

V
B
J
C
36108
I

# THESAURUS
## SPIRITUALIS.
## RERUM AC DOCUMENTORUM VARIORUM AD Societatem JESU pertinentium.






Collegii Camenecensis SJ.

LUBLINI.
Typis S. R. M. Collegii Lublinensis Societ.
JESU Anno Domini 1765.

IMPRIMATUR

STANISLAUS RAYMUNDUS JEZIERSKI Epiſcopus Baccovienſis Officialis Generalis Lublinenſis mpp.




*Gratia Vocationis à Deo.*

GRatias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jesu, quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia, ita, ut nihil vobis deſit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini N. J. C. Qui & confirmabit vos uſq; in finem ſine crimine in die adventus D. N. J. C. *Fidelis Deus per quem Vocati eſtis in Societatem filii ejus Jesu C. D. N. 1. Cor. 1.*

*Cooperandum gratiæ Vocationis.*

D*Icebat B. Pater N. Ignatius*: Perpaucos: ac forte vix ullum eſſe, qui perfectè intelligat, quantùm, Deo volenti in eo operari, ipſe impedimento ſit, quantumque Deus in nobis efficeret, niſi à nobis ipſis impediretur. *Petr. Rib. in Vita ejus. lib. 5. c. 10. Itaq.* chariſſimi mei (*concludit inde B. Paulus*) ſicut ſemper obediſtis non ut in præſentia mea tantùm, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum motu & tremore, veſtram ſalutem operamini. Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate, *Philip: 2.*


*Ex lib. 5. de Vita B. P. N. Ignatii c. 10 Petr. Ribad:*

COadjutorem quemdam ex noſtris, qui negligentior in re quapiā fuerat, me præſēte interrogavit Ignatius. Quid ſpectas? Quid quæris in religione? Quem ad finem actiones tuæ referuntrr? Ille Deum ſe ſpectare reſpondit, Deum ſe habere finem, cu-

jus causâ omnia faceret. Tum Ignatius: Si Deus inquit, propositus tibi finis est, graviter certe multaberis. Nam Mundo servire ac vanitati indiligenter, haud magnum sane crimen est, Deo vero spectante oscitanter aliquid facere atque ignave, intolerabile est. Maledictus inquit, qui opus Dei facit negligenter. Hiere: 48.

*Etiam patiendum, &c.*

TAntum digne Evangelio Christi conversamini (Fratres, B. Paulum vos monentem auditis) ut sive cum venero & videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei Evangelii. Et in nullo terreamini ab Adversariis, quæ illis est causa perditionis vobis autem salutis & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in illum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc auditis de me. *Philipp. 1.*



PRÆ.

# PRÆFATIO.

## QUOMODO RELIGIOSUM quemque affectum esse oporteat erga Institutum ordinis sui, ac Regulas ejusdem.

*Ex lib. 1. Cap. 5. della Prattica Spirituale d'una serva di Dio, ex Italico in Latinum versa.*

DE iis, quæ ad observationem Regularum Ordinis mei pertinent, loquendo, non possum non illorum Jeremiæ prophetæ meminisse. Hier. 11. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Sic enim satis clarè inducit Dominum quasi loquentem propheta. Meritò querar, quod tot modis offendar ab iis, quos ipse creavi: at quod etiam ab amicis, & dilectis meis idem mihi contingat, idq; in domo mea, & in ipso Sacro Religionis statu, quod tales etiam inquam tot committant peccata, obliti Ordinis sancti sui, obliti vitæ spiritualis, quam susceperunt, obliti votorum, quibus se obstrinxerunt, obliti Regularum, quibus ad perfectionem sectandam se obligarunt, id vero longè etiam magis dolendum. Hæc propheta. Et ideo, quia ipsemet de talibus dolet Dominus: longè magis convenit nos dolere, & cum omni diligentia in illud incumbere, ut vitemus, emendemúsque tantum malum.

Nam id quidem quantum malum sit, quamque displiceat vehementer Domino nostro: satis ex sequentium punctorum meditatione, ac lectione frequenti possumus æstimare.

*Consideratio quintuplex, unde religiosus quivis æstimare possit, quantum sit, Instituti sui ordinem transgredi.*

1. COnsidera enim anima mea Deum ea peccata, quæ in locis sacris admissa fuêre, & citò & gravissimè semper hactenus castigasse. Ita Luciferum propter superbiam demonstratam in coelo. Ita Adamum & Evam propter inobedientiam commissam in Paradiso. Ita Dathan & Abiran, quos vivos terra absorbuit. Ita Ananiam & Sapphiram, qui subitanea morte concidêre, quòd B.Petro mentiti fuissent. Ideoque time, ne fortè quid simile eveniat & tibi, vel corporaliter, vel certè, quod longè gravius est, spiritualiter. Absq; ulla enim injuria Deus te, propter unum etiam paruum defectum in domo sua, & in conspectu divinæ Majestatis suæ admissum totaliter deserere posset, ac gratiam tibi suam subtrahere. Ideoq; ut ne in tam justam Domini tui indignationem incurras, fac tecum ipsa statuas, in posterum te quàm observantissimam Instituti tui fore.

2. Considera, quid Dominus de arbore quadam infructuosâ dicat: Luc. 13. *Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat.* Nempè indignum judicabat, ut absque ullo fructu eum locum teneret, quem alia fructifera utiliùs occupasset, Ideoq; tollendam præcepit. Si tale quid de infructuoso ligno statuit, quid de pestifero etiam & venenatas baccas ferente statuisset! Time igitur ô anima, sciens te infructuosam talem arborem esse, imo quæ peccatorum venena sæpè feras, dum ea, ad quæ ex Instituto tuo obligata es, transgrederis. Fiet enim alioqui, ut Dominus tandem te evellat ex vinea sua, abjiciatq; è gratia & Religione sua, & tanquam lignum aridum ad ignem inferni deputet; utque interim alius quispiam, ferventior & observantior regularum suarum in eundem locum substituatur, qui fructus faciat vitæ æternæ. Abi igitur, & lege frequenter Regulas tuas, & observ-

eas integrè, teq; fervori sancto dedè, ut de virtute in virtutem transscendas, sicque eum ex te fructum colligat Deus, quem in Sancta ista Religionis vinea à te expectat.

3. Considera item ô anima mea, quod omnes inspirationes sacræ, omnia auxilia spiritualia, & Regulæ ipsæ, ad eum tibi finem donata sint à Domino, ut in servum ejus magnum, & gratum evadas. Si igitur tu contrarium præstes, certè & ipsius Majestati injuriam facies, & tibi ipsi magnum damnum. Time igitur, ne illa terribilis apud prophetam sententia te quoq; tandem tangat: Isai: 26. *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Quod idem est, ac si diceret: Ego te posui in loco isto sanctorum, ut tu qvoqve sanctus, similis aliis evaderes, tantas ad id commoditates tibi largiendo, tot inspirationes, tot ordinationes, tot regulas: tu contra totus in contrarium abiisti magna iniquitate tua de malo in pejus ambulando. Non igitur videbis gloriam meam, sed damnaberis, quia mediis salutis tibi concessis nequiter es abusa.

4. Considera peccata ea, quæ vel contra vota fiant, vel ab homine spiritualem vitam profitente, graviora esse aliis, eo qvod majorem præ aliis habeat obligationem talis Deo serviendi. Præterquam quod quæcunq; talis accipit sive ad victum necessaria sive ad vestitum, sive à Religione ipsa sua, sive ab aliis: id cum peccato qvodam agat, & fraude. Nam una ex parte, dum regulas suas tansgreditur, quasi proditor quidam fit ipse Religionis suæ: ex altera verò indignum etiam se ipse reddit, qui oret pro proximo suo, à qvo eleemosynam accipit. Neq; enim exaudit Deus eum, qvi non præstat, id quod ipsi promisit. Ideoque ut ne sacrilegii tanti fias rea, time ô anima mea, & propone firmiter exacte in posterum exeqvi coram Domino, quæcunqve pollicita fuisti.

5. Ul-

5. Ultimò considera ô anima mea, quam accenso fueris desiderio ad serviendum Domino, eo tempore, quo primum ad Religionem fuisti vocata. Recordare inqvam, si cum ad huc in miseriis hæreres mundi, tam fervebas tamen, tamq; ardenti desiderio ferebare ad studium omnis perfectionis; quàm indignum sit nunc, dum in loco jam moraris Sancto, dumque tot munita es præsidiis spiritualibus, tam te tepidè agere! Quod si dicas te, quia tum peccatrix eras, ideò venisse ad Religionē sanctam ut melior evaderes: quid igitur est, quod nunc, postquam tantum temporis expendisti in schola ista sanctitatis, tam adhuc sis remote posita ab ista ipsa tua professione, & bona illa voluntate! Pudeat igitur te ipsam tui, dum talem te adhuc animadvertis, & statue tecum redire in antiquos illos fervores, solidamque observantiam regularum tuarum, & sanctorum desideriorum, ut servire queas Domino, ac summo benefactori tuo amore pleno, & tali, ad qualem es obligata.

# AD PP. FFq;. Societatis.

## MERITO MAGNI FACIMUS Regulas Soc. Nostræ etiam minimas.

*Quia maturo consilio ac diligenti admodum cum Deo communicatione à B. P. N. Ignatio fuére conscripta.*
Ex lib.5 Petri Ribad.de vita B.P.N.Ign.Cap.1.

*IN rebus gravioribus, etiamsi rationes probabiles multas haberet, (B. P: N. Ignatius) nihil tamen consuevit prius constituere, quàm rem Domino in oratione*

*commendasset. Hoc tamen studiosius faciebat, cum scribebat constitutiones ac Regulas Societatis.*

*Conscripserat aliquando regulas quasdam Ignatius, ad modestiam religiosam, & totius corporis motum, decoremq; pertinentes. Eas ut promulgaret, Romanæ domûs Ministro jussit, cessavit ille aliquantulum, ac fuit negligentior. Et mihi Ignatius; hac ipsa de re agens:* Ego *(inquit)* in meditandis regulis scribendisq; diutius laboro, Ministri autem ut observentur, remissiores sunt, qvasi parvo mihi constent. Certe vel hasce quas publicare jussi, anteaqvam perscriberem, septies & eô amplius orationem Domino & lachrymas fudi. *Quid de Constitutionibus, aliisq; majoris momenti regulis credere par est!*

*Has ipsas regulas posteà domi nostræ promulgare P. Jacobum Lainem Ignatius jussit, & ad observationem istarum nostros adhortari: atque exhortationi Jacobi Patres, Fratresque qui domi erant antiqui & novi, ut ad unum omnes interessent præcepit. Quod novum admodum atque insolens fuit. Dum concio fit à Jacobo, ingens exauditur fragor, domus tota concutitur, tectum sub quo ea ipsa hora considere in horto primarii Patres à cœna consveverant (erat enim Augustus mensis & calores maximi) repente concidit: quos sine dubio ruina oppressisset nisi præter morem, consvetudinemque in concione illos adesse Ignatius voluisset. Qui tectum collapsum videns, Deo, quod omnes domesticos servasset, gratias egit, mihique: Videtur (inquit) Deus hoc facto significare voluisse, istiusmodi regulas sibi esse non ingratas.*

*In Constitutionibus scribendis, aliisque magni momenti rebus statuendis, Deum semper (ut diximus) consulebat. Consulendi autem modus hic erat. Exuebat imprimis se omni affectu, qui tollit sincerum de rebus judicium, abdicabatque à se omnem propensionem animi: deinde auxilium Domini ac gratiam vera videndi, ac per-*

*sequendi*

*sequendi petebat: tum rationes utraq; ex parte considerabat perattente & graviter, earumq; momentum ac pondus æstimabat, atque inter se etiam componebat. Postremo recurrebat ad Deum iterum, & quæ cogitasset atque invenisset, ejus in conspectu ponebat: Ut ipse confirmaret, quæ in ipso operatus esset.*

*Patrem Jacobum Lainem, qui omnium Sanctorum vitas, ortus omnium ordinum, progressionesq; legerat, sciscitatus est aliquando Ignatius, quod ejus esset de regulis illorum patrum constitutionibusque judicium, qui autores ipsarum Religionum, atque parentes extiterunt: num scilicet, quæ litteris mandassent, posterisq; suis tradidissent, ea omnia per revelationem accepissent, an ex his suo sensu quædam, judicioque statuissent? Cui Jacobus propius fidei esse respondit, gravissima quæq; & maxima instituti cujusque quasi fundamenta à Deo qui omnium religionum fons est, patribus illis tradita fuisse divinitus: reliqua quæ minora sunt, & naturam ipsam Religionis propriè non attingunt, Deum prudentiæ eorum qui leges condiderunt, judicioque reliquisse. Sicuti etiam fecisse videmus cum Pastoribus ac Principibus, Ecclesiæ: in iis quidem quæ ad ejus pertinent gubernationem. Tunc Ignatius: tecum planè sentio.*

*Ex quo conjicere licet, quæ propria sunt, ac præcipua nostræ Societatis firmamenta, ea Ignatium divinitus accepisse: cum verò de re aliqua leviori deliberabat, in qua divinam lucem non haberet, P. Lainem sciscitatum fuisse, ut videlicet illius consilium exquireret, & apud se statueret, utrum posset pariter rem illam præscribere absque Dei revelatione, atque alias cœlesti lumine collustratus scripsisset.*

*Brevis summa totius instituti nostri.*

HOmines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse sit crucifixus, vitæ nostræ ratio nos esse postulat: Homines, inquam, novos qui suis se affectibus exuerint ut Christum induant, homines sibi mortuos ut justitiæ vivant. Qui ut D. ait Paulus (2. Cor. 6.) in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in svavitate, in Spiritu Sancto, in charitate nō ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant & per arma justitiæ à dextris & à sinistris; per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, per prospera deniq;, & adversa, magnis itineribus, ad coelestem patriam & ipsi contendant, & alios etiam quacunque possint ope, studioq; compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes. Hæc est summa, hic scopus, nostræ vocationis.

*Ecclesi.* 12. *D.*

HIs amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis. Finem *igitur* loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo.









PRIMA

# PRIMA PARS
## REGULAS COMMUNIORES
Soc. Jesu continens.
## SUMMARIUM EARUM
*Constitutionum, quæ ad spiritualem nostrorum institutionem pertinent, & ab omnibus observandæ sunt.*

Constitutionum necessitas.

QUamvis summa sapientia, & bonitas Dei Creatoris nostri, ac domini sit, quæ conservatura est, gubernatura, atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem Jesu, ut eam dignata est inchoare: Ex parte verò nostra interna charitatis, & amoris illius lex, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet, potiùs qùam ullæ externæ constitutiones ad id adjutura sit. Quia tamen svavis dispositio divinæ providentiæ suarum creaturarum cooperationem exigit, & quia Christi Domini nostri Vicarius ita statuit, & sanctorum exempla, & ratio ipsa nos ita docet in Domino: necessarium esse arbitramur Constitutiones conscribi, quæ juvent ad meliùs in via incepta divini obsequii procedendum, juxta instituti nostri rationem. In prooe. Conf. §. 1.

*Finis & ratio Vivendi Soc.*

2. Finis hujus Societatis est, non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem, & perfectionem proximorum incumbere. Ex C. 1. §. 2.

3. Nostræ vocationis est diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium, & animarum auxilium speratur. Par. 3. c. 2. lib. G. & Par. 6. c. 3. §. 5.

4. Ra-

4. Ratio vivendi in exterioribus justas ob causas, majus Dei obsequium semper intuendo, communis est; nec ullas ordinarias poenitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet; sed illas assumere quivis poterit, quæ sibi videbuntur cum approbatione Superioris ad majorem sui spiritus perfectum convenire, & quas propter eundem finem Superiores ei poterunt imponere. Ex c. 1. §. 6.

*Sacramentorum usus, & examen conscientiæ.*

5. In ipso initio sui in Societatem ingressus, debet qvisqve generalem totius vitæ confessionem apud aliqvem Sacerdotem à Superiore assignatum facere, & post eam sacratissimum Christi Domini nostri corpus sumere, & sic sexto quoqve mense eodem modo generaliter ab ultima inchoando confitebitur. (Ex c. 4. §. 41.) Et omnes tam Professi, qvam formati Coadjutores semel singulis annis parati esse debebunt ad Confessionem generalem, qvæ ab ultima generali inchoetur, ei, qvem Superior sibi substituerit, faciendam. Par. 6. c 1. §. 2.)

6. Utantur qvotidie omnes conscientiæ suæ examinatione consveta. (Par. 3. c. 1. §. 11. Si Sacerdotes non fuerint, confiteantur oportet, & sanctissimum sacramentum Eucharistiæ sumant octavo quoque die; & unus omnium sit Confessarius à Superiore constitutus: qvod si fieri non poterit, qvisq; certè suum stabilem habeat Confessarium, cui ipsius conscientia prorsus aperta sit. Par. 3. c. 1. §. 11.

7. Qui autem aliis, qvàm suo Confessario designato confiteretur, debet postmodum (quantum recordari poterit) eidem suo Confessario totam suã conscientiam aperire, ut nihil ignorando qvod ad eam pertineat, melius in Domino possit eundem juvare.

*Exuendus inordinatus sæculi affectus.*

8. Unusqvisque eorum, qvi societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo. *Qui dimiserit patrem, &c.* existimet sibi patrem, matrem, fratres, & sorores, & qvidquid in mundo habebat, relinqvendum; immò sibi dictum existimet verbū illud: *Qui non odit patrem, & matrem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et ita curandum ei est, ut omnē carnis affectum erga sangvine junctos exuat, ac illum in spiritualem convertat, eosqve diligat eo solum amore, qvem ordinata charitas exigit, ut qvi mundo, ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumqve loco parentum, fratrum, & rerum omnium habet. Ex c.4. §. 7.

*Vera sui abnegatio.*

9. Ad majorem in spiritu profectum, & præcipuè ad majorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisq; debet, ut omnes errores, & defectus ipsius, & res qvæcunqve, qvæ notatæ in eo, & observatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qvi extra confessionem eas acceperit, manifestentur. Ex c. 4. §. 8.

10. Boni etiam omnes consulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare; ac manifestare sese invicem sint parati debito cum amore, & charitate ad majorem spiritus profectum: præsertim ubi à Superiore, qvi illorum curam gerit, fuerit ita præscriptum, aut interrogatum ad majorem Dei gloriam. Ex c. 4. §. 8.

11. Diligenter animadvertant oportet (magnifaciendo, summiqve momenti id esse ducendo in conspectu creatoris, ac Domini nostri) quantopere juvet, ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omninò, & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mun-

mundus amat, & amplectitur, & admittere, & concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit, & amplexus est. Quemadmodum n. mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, seqvuntur; diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum seqvuntur; amant, & ardenter exoptant, qvæ ijs omnio contraria sunt, indui nimirum eadē veste, ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore, ac reverentia; adeò ut si sine offensione ulla divinæ majestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & injurias pati, ac stulti haberi & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo creatorem, ac Dominum nostrum Jesum Christum, ejusq; vestibus, & insignibus indui; quandoquidem illa ipse propter majorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisq; exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, divina gratia aspirante, eam imitari, & sequi, cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus. Ex. c. 4. §. 44.

12. Ut meliùs ad hunc perfectionis gradū in spirituali vita tam preciosū perveniatur, majus, ac impensiùs studiū cujusq; sit quærere in Domino majorem sui abnegationē, & continuam in rebus omnib9, quoad poterit, mortificationem. v. 4. §. 7. 4. §. 46.

13. In exercendis officiis abjectis, & humilibus, promptius ea suscipi convenit, à quibus sensus magis abhorrebit: siquidem injunctum fuerit, ut in eis se exerceat. Ex c. 4. §. 28.

14. Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis; ut cùm quis animadvertitur ad

super-

superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futuræ videantur: & sic de aliis pravis animæ propensionibus. Par. 3. c: 1. §. 13.

*Perfectionis, solidarumq; virtutum studium.*

15. Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus in absoluta omnium constitutionum observatione, nostriq; instituti peculiari ratione adimplenda prætermittamus. Par. 6. c. 1. §. 1.

16. Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium rerum studium incumbant: ac in hujusmodi majus momentum, quàm in doctrina, vel aliis donis naturalibus, & humanis constitutum esse ducant: Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet. Par. 10. §. 2.

17. Omnes rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res omnes particulares; id semper in eis sincerè spectantes, ut serviant, & placeant divinæ bonitati propter seipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem poenarum, vel spem præmiorum, (quævis hinc etiam juvari debeant) & in omnibus qværant Deum exuentes se, qvantùm fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta sanctissimam, ac divinam ipsius voluntatem. Par. 3. c. 1. §. 26.

18. In concionibus domesticis de iis crebrò tractent, qvæ ad sui abnegationem, & in virtutibus profectum, & omnimodam perfectionem attinent; ad ea se invicem exhortando, & præcipuè ad uni-

onem

onem, & charitatem fraternam. Par.3.c.1.§.21.

19. Magnopere conferet, devote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas, & charitas. Et in universum loquendo, quantò aliquis se arctiùs Deo astrinxerit, & liberaliorem erga summam majestatem se præstiterit, tantò eum in se liberaliorem etiam experietur, & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias, & dona spiritualia uberiora recipienda. Par.3.c.1. §.22.

20. Postquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet; sed in suo perfici, & obsequio Dei, & gloriæ sese impendere. Par.5.c.4.§.5.& in Ex.c. 6 .5 .§. & 6.

*Cura interioris hominis.*

21. Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, & devotioni quærendæ pro mensura gratiæ Dei ipsis communicatæ insistant. Par.3.c.1. §. 20. & Par. 4. c. 4. §. 3. & 4.

22. Ab illusionibus Dæmonis in suis spiritualibus exercitationibus caveant, & se contra omnes tentationes tueantur: simul rationes sciant, quæ adhiberi possint, ut eas superent: & ad veras, solidasque virtutes consequendas insistant, sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores: curent verò semper in via divini servitii progressum facere. Par. 3.c.1. §. 10.

*Paupertas.*

23. Paupertas ut murus religionis firmus, diligenda, & in sua puritate conservanda est, quantùm divina gratia aspirante fieri poterit. Par.6.c.2.§.1.

24. Diligant omnes paupertatem, ut matrem, & juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus ejus effectus aliquos experiantur. (Par.3.c.1. §.25.) nullaque re tanquam propria utantur. (Ibi.)

paratique sint ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia, vel necessitas id exiget. Par. 6. c. 2. §. 10.

25. Victus, vestitus, & lecti ratio erit ut pauperibus accomodata: & unusquisque sibi persvadeat, quod quæ vilissima erunt ex iis, quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius majorem abnegationem, & spiritualem profectum. Ex. c. 4. §. 26.

26. Intelligant omnes, quod mutuo dare, vel accipere, vel dispensare quidquam de iis, quæ domi sunt, minime possint, nisi superior conscius con senium præstiterit. Par. 3. c. 1. §. 8.

27. Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec admittendo stipendium, vel eleemosynas ullas, quibus Missæ, vel Con fessiones, vel Prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur: ut sic majori cum libertate possit, & proximorum ædificatione in divino servitio procedere. Par. 6. c. 2. §. 7. & in Ex. c. 1. §. 3.

*Castitas, sensuumque custodia.*

28. Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non in digent, cùm constet, quam sit perfectè observanda, nempè enitendo angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia. Par. 6. c. 1. §. 2.

29. Omnes diligentissimè curent portas sensuum suorum (oculorum præcipuè, aurium, & lingvæ) ab omni inordinatione custodire, ac se in pace, & vera humilitate interna conservare, & eam in silentio, cùm id observandum est, cùm autem loquendum in circumspectione, & ædificatione verborum, & modestia vultus, ac maturitate incessus, motu-

umque omnium, sine ullo impatientiæ, aut superbiæ signo exhibere: in omnibus procurando, atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo, & exterius honorem, ac reverentiam, qvam exigit cujusqve status, cum simplicitate ac moderatione religiosa exhibendo: atq; ita fiet, ut se mutuo considerantes in devotione crescant, Deumqve Dominũ nostrum laudent, qvem quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat. Par. 3. c. 1. §. 4.

30 In refectione corporis curandum est, ut temperantia, modestia, & decentia interius, & exterius in omnibus observetur. Præmittatur benedictio, & sequatur actio gratiarum; quas omnes agere debent cum ea, qua par est, devotione, & reverentia. Et dum corpus edendo reficitur, sua etiam animæ refectio præbeatur. Par. 3. c. 1. §. 5.

*Obedientia.*

31. Expedit imprimis ad profectum, & valdè necessarium est, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant: Superiorem (quicunq; ille sit) loco Christi Domini nostri agnoscentes, & interna reverentia, & amore eum proseqventes: nec solùm in executione externa eorum, quæ injungit integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, sine excusationibus, & obmurmurationibus obediant, licet difficilia, & secundùm sensualitatem repugnantia jubeat: verùm etiam conentur interiùs resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & judicij habere, voluntatem, ac judicium suum cum eo, quod superior vult, & sentit, in omnibus rebus ( ubi peccatum non cerneretur ) omninò conformantes, proposita sibi voluntate, ac judicio Superioris pro regula suæ voluntatis, & judicii: quo exactiùs conformentur primæ, ac summæ regulæ omnis

mnis bonæ voluntatis, & judicii, quæ est æterna bonitas, & sapientia. Par. 3. c. 1. §. 23.

32. Liberam sui ipsorum rerumque suarum dispositionem omnes cum vera obedientia Superiori relinqvant, nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam tenendo, non repugnando, non contradicendo, nec ulla ratione judicium proprium ipsius judicio contrarium demonstrando: ut per unionem ejusdem sententiæ, & voluntatis, atque per debitam submissionem melius in divino obseqvio conserventur, & progrediantur. Par. 4. c. 10. §. 5.

33. Omnes obedientiam plurimum observare, & in ea excellere studeant: nec solùm in rebus obligatoriis, sed etiã in aliis: licet nihil aliud, quàm signum voluntatis Superioris sine ullo expresso præcepto videretur. Versari autem debet ob oculos Deus creator, ac Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur: & ut in spiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est. Par. 6. c. 1. §. 1.

34. Ad Superioris vocem perinde, ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi simus, re quavis, atque adeò littera à nobis inchoata, nec dum perfecta relicta. Par. 6. c. 1. §. 1

35. Ad eum scopum vires omnes, ac intentionẽ in Domino convertamus, ut sancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu, sit in nobis semper omni exparte perfecta: cum magna celeritate, spirituali gaudio, & perseverantia quidqvid nobis injunctum fuerit, obeundo: omnia justa esse nobis persvadendo: omnem sententiam, ac judicium nostrum contrarium coeca qvadã obedientia abnegando. Par. 6. c. 1. §. 1.

36. Quisqve sibi persvadeat, qvod qui sub obedientia vivunt, se ferri, ac regi à divina providen

tia

tia per superiores suos, sinere debent, perinde, ac si cadaver essent, qvod quoqve versus ferri, & quacunqve ratione tractari se sinit: vel similiter, atqve senis baculus, qui ubicunqve, & quacunqve in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit. Par. 6. c. 1. §. 1.

37. Adimplere qvisque debet quasvis poenitentias, quæ propter defectus, & negligentiam suam, vel qvidvis aliud fuerint injunctæ. (Ex. c. 4. §. 33.) Poenitentias verò hujusmodi prompta voluntate ad mittere deberet cum verò emendationis, & spiritualis profectus desiderio, etiamsi propter defectū non culpabilem injungerentur. Par. 3. c. 1. §. 25.

38. Cùm aliquis ad ministeria culinæ obeunda ingreditur, vel ad eum juvandum, qui coqvus est, eidem obedire cum magna humilitate, in rebus omnibus ad ipsius officium pertinentibus debet. Ex. c. 4. §. 29. Atqve valdè necessarium est, ut omnes non solùm Superiori Societatis, vel Domus, sed etiam sub ordinatis officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, obediant: & assvescant non intueri, quis ille sit, cui obediunt, sed potiùs quis ille, propter quem, & cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus. Par. 3. c. 1. §. 24.

39. Si aliquis ex iis, qvi domi sunt, cuiqvam scriberet, non nisi obtenta facultate, & literis ei ostensis, qvem Superior distinaverit, id faciet. Si ad eundem litteræ mitterentur, ei primò reddentur, qui a Superiore fuerit constitutus: qui eas lectas reddet, aut non reddet illi, ad qvem sunt destinatæ, prout in Domino expedire ad majus ipsius bonum, & Dei gloriam existimabit. Par. 3. c. 1. lit. B. & Ex. c. 4. §. 6.

*Reddenda sui ratio.*

40. Quicunque hanc Societatem in Domino se-

qvi volet, & in eadem ad majorem Dei gloriam manere, sub sigillo confessionis, vel secreti, vel quacunqve ratione ei placuerit, & ad majorem ipsius consolationem fuerit, debet conscientiam suam magna cum humilitate, puritate, & charitate manifestare, re nulla, qua Dominum universorum offenderit, celata; & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti, Superiori, qui tûm fuerit, Societatis, vel cui ex Præpositis, vel aliis ex inferioribꝰ cui ille injũgeret, prout magis convenire videretur, reddat: & sexto qvoque mense rationem hanc sui, ab ultima, quam reddiderit, incipiendo qvisque reddet. (Ex. c. 4. §. 16.) Sic etiam videtur, qvod Coadjutores formati, & Professi singulis annis, vel crebriùs, si Superiori videbitur, suæ conscientiæ rationem dicto modo ei reddant. Ibi. §. 40. & Par. 6. c. 1. §. 2.

41. Nullam debent celare tentationem, qvam Præfecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel Superiori non aperiant: immò verò totam animam suam illis integrè manifestam esse pergratum habeant: nec solùm defectus aperiant, sed etiam poenitentias, vel mortificationes, & devotiones, ac virtutes omnes, voluntate pura optantes ab illis dirigi, sicubi à rectitudine deflecterent, nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniat cum judicio illorum, qvos Christi Domini nostri loco habent. Par. 3. c. 1. §. 12.

*Unio & conformitas mutua.*

42. Idem sàpiamus, idem, qvoad ejus fieri possit, dicamus omnes, juxta Apostolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec scriptis libris (qui quidem edi non peterunt in lucem sine approbatione, atqve consensu Præpositi Generalis.)

Immò

Immò & judiciorum de rebus agendis diversitas quæ mater esse solet discordiæ, & inimica unionis voluntatum, qvantùm fieri potest, evitari debet. Unio verò, & conformitas mutua diligentissimè curanda est, nec, qvæ ei adversantur, permittenda: quo juncti invicē fraternæ charitatis vinculo, meliùs, & efficaciùs possint se divino obsequio, & auxilio proximorum impendere. Par.3.c.1. §.18.

43. In societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quæ esset fortassis inter Principes, vel Dominos Christianos: sed sit potiùs quidam universalis amor, qui partes omnes (licet sibi invicem contrariæ sint) in Domino nostro amplectatur. Par. 10. §. 11.

*Otium & sæcul. negotia vitanda.*

44. Omnes quamdiu corpore benè valent, in spiritualibus, vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur; ne otium malorum omnium origo, quo ad ejus fieri possit, domi nostræ locum habeat. Par. 3. c. 1. §. 6.

45. Ut pleniùs possit Societas rebus spiritualibus juxta suum institutum vacare, quoad ejus fieri poterit, à negotiis sæcularibus abstineat qualia sunt testamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum civilium (aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda suscipiant, vel illis se occupari sinant. Par. 6. c. 1. §. 7.

*Ratio habenda valetudinis.*

46. Ut nimia sollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, reprehensibilis est: ita cura moderata tuendæ ad divinum obsequium valetudinis, ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda est: & ea de causa cùm animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliquid aliud necessarium esse circa victum, vestitum, habitationem, officium, aut

exer-

exercitationem, & sic de aliis rebus, admoneant omnes ea de re Superiorem, vel quem ad id Superior constituerit, duo interim observantes: Primum, ut antequam ad eum quid referant, se ad orandum recipiant, & post orationem si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant. Alterum, ut cum verbo aut scripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositæ relinquant: & quidqvid ille statuerit, optimum ducant: nec contendere, aut urgere per se, vel alium (sive concedatur quod petitur, sive non) pergant, quandoquidem sibi persvadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium, ac suum majus bonum, quod Superiori, re intellecta, in Domino visum fuerit. Par. 3. c. 2. §. 1.

47. Ut non expedit tanto labore corporali qvenquam onerari, ut spiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur; ita aliqva corporalis exercitatio, qvæ utrumqve juvet, omnibus communiter convenit, etiam illis, qui mentalibus exercitiis debent insistere: qvæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec sine mensura discretionis assumi. Par. 3. c. 2. §. 4.

48. Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in vigiliis, & abstinentiis, & aliis poenitentiis externis, ac laboribus, qvæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire solent. Ideò suo Confessario detegi ab unoqvoq; convenit, quidqvid in hac parte faciat. Par. 3. c. 2. §. 5.

49. Ægritudinis tempore non solùm observare unusqvisq; obedientiam magna cum puritate deberet erga Superiores spirituales, ut ipsius animam regant: sed cum eadem hulilitate erga medicos corporales, & infirmarios, ut corpus ejus regant. Ex. c. 4. n. 32.

50.

50. Præterea qui ægrotat, humilitatem, & patientiam suam præseferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, iis, qui ipsum invisent, & cum eo versabuntur, & agent, qvàm dum valebat corpore, ad majorem Dei gloriam præstare curet, (Ex.c.4.§.32.) verbis piis, & ad ædificationem facientibus utendo, qvæ ostendant ægritudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris, ac Domini nostri, qvandoquidem non minùs donum est, qvàm sanitas. Par. 3.c.1. §. 17.

51. Aliquoties singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias injungi propter defectum observationis Regularum petant: ut hæc cura indicium sit illius, quàm de suo profectu spirituali in via Dei qvisque habet. Par. 3. c. 1. §. 28.

*Constitutiones ac regulæ observandæ.*

52. Omnes demum observationi Constitutionum studeant: ad quam easdem scire saltem, quæ ad qvemlibet pertinent, necesse est, quare legere, & audire easdem singulis mensibus oportebit. Par.10. §. 13.

# REGULÆ COMMUNES.

*Quæ quisque erga se servare debeat:*

Singuli præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant cùm omni diligentia in Domino. Par. 4. c. 4. §. 3. & 4.

2. Omnes quotidie sacro decenter intersint: & concionem, lectionemve sacram, cum in templo nostro habebitur, audiant. Ibid.

3. Singuli statuto die, & assignato sibi Confessario confiteantur, & non alteri sine Superioris facultate. Par.3.c.1.§.11. & Par.6.c.3. §. 2. & in Bull. 3. Pauli III.

4. Omnes (qui Professi, aut formati Coadjutores non sunt) bis in anno sua vota renovabunt, præmissa confessione generali; quo tempore rationem suæ conscientiæ reddent, & quoties etiam Superiori visum fuerit, juxta morem Societatis. Par. 4. c. 4. §. 5. & Par. 5. c. 4. §. 6. &

5. In abstinentia sextæ feriæ Societatis consvetudo servetur. Ex. c. 4. §. 38. & 41. & c. 10. §. 5.

6. Nullus mortificationem publice faciat, nec concionetur, nisi Superiore approbante.

7. Nemo pecuniam apud se habeat, apud alium verò, nec pecuniam, nec quidquam aliud. Ex. c. 4. §. 4.

8. Libros nemo habeat sine facultate: in iis verò, quibus uti licet, nec scribat quidquā, nec notam ullam imprimat. Par. 4. c. 6. lit G.

9. Nemo rem ullam ex domo, vel ex alterius cubiculo sibi usurpet, aut ab externo quovis modo, sibi, aut alii accipiat, sine Superioris licentia.

10. Ad majorem unionem eorum, qui in Societate vivunt, majusq; auxilium eorum, apud quos habitant, singuli addiscant ejus regionis lingvam, in qua resident, nisi forte ipsorum nativa illic esset utilior: salva tamen Latini sermonis lege in iis, qui literis dant operam. Par. 4. c. 6. §. 13.

11. Nullus ita cubiculum suum claudat, quin aperiri extrinsecus possit, aut arcam, seu quidquam aliud habeat obseratum absq; Superioris facultate.

12. Aperta fenestra nemo noctu dormiat, nec sine indusio, aut non coopertus. Par. 3. c. 2. lit. E.

13. Nemo cubiculo egrediatur, nisi decenter vestitus.

14. Nemo eorum, qui ad domestica ministeria admittuntur, aut legere discant, aut scribere, aut si aliquid scit, plus litterarum addiscant; nec quis-

qvam

quam eum doceat, ſine Præpoſiti Generalis facultate: ſed ſatis ei erit ſancta cum ſimplicitate, & humilitate Chriſto Domino noſtro ſervire. Ex. c. 6. §. 6.

15. Signo campanæ conſtitutis horis audito, omnes ſtatim, vel imperfecta litera relicta, ad id, ad qvod vocantur, ſe conferant. Par. 4. c. 10. §. 9.

16. Ut conſulatur valetudini, nemo extra conſveta tempora bibat, nec extra domum cibum ſumat abſqve facultate Superioris.

17. Qui male ſe habere præter ſolitum ſenſerint, id infirmario, vel Præfecto ſanitatis, aut Superiori referat: nemo vero medicinam ullam accipiat, aut medicum eligat, vel conſulat, niſi approbante Superiore. Par. 3. c. 2. n. 6.

18. Singuli, etiamſi Sacerdotes ſint, cum primum ſurgunt, lectum operiant, eumq;, & reliqua componant hora conſveta, & ſcopis cubiculum verrant tertio ſaltem quoq; die, exceptis iis, qui ob occupationes majoris momenti, aut valetudinis cauſa, judicio Superioris ſublevandi ſunt.

19. Munditíes, quæ & ad valetudinem, & ad ædificationem confert, omnibus curæ ſit, tam circa ſeipſos, quàm circa alia omnia.

*Servanda erga Superiores.*

20. Qui gravem tentationem alicujus noverit, Superiorem admoneat, ut ei ipſe, pro paterna in ſuos cura, ac providentia, convenienti remedio poſſit occurrere.

21. Quæ à Superiobus circa adminiſtrationem agenda ſunt, nemo curioſè ab aliis exquirat, aut conjecturam faciendo de iis ſermonem miſceat; ſed unuſqvisqve ſibi, ac muneri ſuo attendens, quidqvid de ſe, atque aliis conſtituendum erit, tanqvã de manu Dei expectet.

22. Omnes caput aperiant ſuis Superioribus, & ſacer-

ſacerdotibus ii, qui ſacerdotes non ſunt: diſcipuli etiam ſuis præceptoribus. Unuſqviſq; autem Superiores alloquatur magna cum reverentia: is verò, qvem Superior alloqvitur, aut reprehendit, humiliter, & ſine interpellatione audiat.

23. Si cui à Superiore denegatum aliqvid fuerit, alium Superiorem ne adeat ſuper ea re, quin ei aperiat, qvid ſibi ab alio fuerit reſponſum, & qvas ob cauſas negatum.

24. Cui fuerit alicujus rei cura commiſſa, ſi impedimentum aliquod intervenerit, maturè admoneat aliqvem ex Superioribus, ut provideat.

25. Nemo cum ex uno loco in alium proficiſcitur, quidqvam ſecum aſportet ſine facultate Superioris.

26. Extra tempora recreationi aſſignata, hac ratione ſilentium ſervandum eſt, ut nemo loqvatur, niſi obiter, & perpaucis, aut de rebus neceſſariis, præſertim in Eccleſia, Sacriſtia, & Refectorio: in miſſa verò, concione, menſa, lectionibus, & diſputationibus, ſi qvid privatim dicere neceſſe erit, breviſſimè, & ſubmiſſa voce ſuggeratur.

27. Nemo præter eos, qvi à Superiore deputati fuerint, loqvatur cum iis, qui in prima probatione verſantur: excipiuntur tamen uſitatæ ſalutationes, qvas cum alii aliis obvii fiunt, charitas religioſa exigit. Par. 1. c. 4. §. 4. & lit. A.

28. Omnes de miſſa voce, ut religioſos decet, loqvantur: nulluſqve cum alio contendat; ſed ſi qva in re nobis eſt diverſa ſententia, eaqve videtur manifeſtanda, rationes modeſtè, & cum charitate afferantur, eo animo, ut ſuus veritati ſit locus, non ut in ea re Superiores videantur.

29. Qui facultate accepta ægrotos inviſent, non ſolùm demiſſa voce loquantur, ſed tanta etiam mo-

dé-

deratione, ut illis molesti non sint, atque de iis agant, quæ & exhilarare, & consolari ægrotos, circumstantesque ædificare in Domino possint.

30. Caveant sibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus sinistre sentire, aut loqui solent, qvin potiùs, & benè sentiant, & peculiari affectu diversas à sua nationes prosequantur in Domino: ac proinde nemo bella, contentionesve inter Christianos Principes in colloqvium inducat. Par.10.§.11.

31. Nemo præter eos, qvibus per Superiorem licet, qvidquam aliis jubeat, aliosùe reprehendat.

32. In alterius officium nemo se ingerat: in locũ verò alieno ministerio deputatum nullus ingrediatur sine facultate Superioris, aut præfecti illius loci, in rebus necessaris. Par.4. c 10. §. 6.

33. Nemo in alienum cubiculum ingrediatur, sine generali, aut specialis Superioris facultate: qvod si aliqvis intus sit, non priùs aperiat ostium, qvam post pulsum audiat, ingredere; & tamdiu aperta sit janua, qvamdiu intus una fuerintPar.3.c.1.lit.D.

34. Ut ea, qvæ religiosos decet, gravitas, & modestia retineatur, nemo alium etiam joco tangat, præterqvam in signum caritatis amplexando, cùm qvis aut abit, aut redit peregre.

35. Nemo dum mensa accumbit, cuiqvam ex nostris, præterqvam ei Superiori, qvi præest toti Domui, aut Collegio, caput aperiat. Et cum aliqvid in mensa cuiqvam deest, is qvi illi assidet, admoneat eum, qvi ministrat.

*Servada erga externos.*

36. Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet sine facultate generali, aut particulari Superioris.

37. Nemo cujusqvam externi ad domesticum, aut domestici ad externum mandata deferat, aut litte-

litteras, inscio Superiore: sæculares autem rumores, qvi foris audiuntur, ne temere, & sine fructu narrentur.

38. Nemo, qvæ domi acta, vel agenda sunt, externis referat, nisi Superiori id probari intelligat. Constitutiones verò, aliosve hujusmodi libros, aut scripta, quibus Societatis institutum vel privilegia continentur, non nisi ex Superioris expresso consensu iis communicet.

39. Nemo scriptas dabit, aut mittet cuiquam externo, vel domestico instructiones spirituales, aut meditationes, nec exercitia spiritualia Societatis alicui communicabit nisi à Superiore id approbetur.

40. Nemo ab externis consilium petat sine facultate Superioris.

41. Nemo cujusqvam negotii, etiam pii, sine facultate Superioris curam suscipiat, nec ad id operam suam promittat, aut se propensum ostendat: sæcularia verò negotia, ut quæ sunt à nostro instituto aliena, & vehementer à spiritualibus avocant, multo magis aversari convenit. Par.5.c.3. §.7. & Par. 9. c. 6. §. 4.

42. Omnes, pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur piis colloqviis proximum ad meliora promovere, & consilio, ac exhortatione ad bona opera, præsertim ad confessionem excitare. Par.7.c.4.§.8.& Exa.c.6.§.4.

43. Nullus domo egrediatur, nisi quando, & cum quo socio Superiori visum fuerit. Par. 3.c.1. §. 3. & Ex.c.4.§.25.

44. Cum qvis facultatem à Superiore petit aliqvo eundi, simul etiam aperiat, quo, & cujus rei causa ire velit, præsertim si prælatus, aut alius vir primarius conveniendus sit, eademqve die referat

eidem

eidem, qvid egerit, ſicut ipſum velle intelliget, & res poſtulaverit.

45. Ingreſſuri, egreſſuriue domo, tintinabulum nec vehementius, nec crebrius pulſent, quam par eſt. Nemo autem niſi conſveta domus janua egrediatur, vel ingrediatur.

46. Qui domo egrediuntur, ſignabunt ſua nomina, qvæ prope oſtium domus in tabula deſcripta ſunt, & admonebunt janitorem, qvo ſint profecturi.

47. Omnes ante noctem, qui foris ſunt, ſe domum recipiant, nec egredientur ante lucem ſine facultate Præpoſiti, vel Rectoris.

48. Cùm qvis iter faciens tranſit per locum, ubi Domus aut Collegium Societatis ſit, ad aliud hoſpitium ne divertat, ejuſq; qui illic præeſt, obedientiæ ſubſit in omnibus. Sicut & reliqui, qui in eadem Domo, vel Collegio commorantur. Quod ſi qvis etiam ad negotia tractanda venerit, ea non niſi ex ejuſdem conſilio, ac directione tractabit. * Can. 13. cong. 3.

49. Singuli has regulas, & officiorum ſuorum habeant, atque intelligant, ſibiq; faciant familiares, ac earum memoriam menſibus ſingulis eis legendis, vel audiendis renovent: qui tamen peculiaria miniſteria Coadjutorum obeunt, eas, qvæ ad ipſorum officia pertinent, ſingulis hebdomadis repetant. *Par. 4. 10. lit. F.

# FORMULA VOTORUM Simplicium.

OMnipotens Sempiterne DEUS, Ego N. licet undecunque divino tuo conſpectu indigniſſimus,

mus, fretus tamen pietate, ac misericordia tua infinita, & impulsus tibi serviendi desiderio, Voveo coram sacratissima Virgine MARIA, & curia tua coelesti universa, Divinæ majestati tuæ, PAUPERTATEM, CASTITATEM, & OBEDIENTIAM perpetuam, in Societate JESU, & promitto eandem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuò degam; omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones. A tua ergo immensa bonitate, & clementia, per JESU Christi sangvinem peto suppliciter, ut hoc holocaustium in odorem svavitatis admittere digneris; & ut largitus es ad hoc desiderandum, & offerendum, sic etiam, ad explendum gratiam uberem largiaris. Par. 5. a. 4. §. 4.

*Orationes pro votorum adimpletione.*

DEUS, qui nos à seculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis: pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis qua in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus impleamus, & nostræ professionis executores effecti; ad ea quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus.

DEUS, qui renunciantibus sæculo, mansiones parres in coelo, dilata fratrum nostrorum corda coelestibus bonis, ut fraterna teneantur compagine charitatis, unanimes, præcepta custodiant, sobrii, simplices, & quieti, gratis sibi datam suæ professionis gratiam fuisse cognoscant: concordet illorum vita cum nomine, professio sentiatur in opere.

DIgnare benignissime JESU, per hoc sanctum nomen tuum, esse mihi JESUS, & dare mihi spiritum Societatis JESU, Insere, quæso, cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut ejus dulcedine pascar, ejus-

ejusque amore ita ardeam, ut moriar in te, JESU mi dulcissime, JESU mi svavissime, JESU mi dilectissime, invocato semper hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo, JESU, JESU, JESU.

# REGULÆ
## *Modestiæ.*

IN conversatione nostrorum illud in universum dici potest, ut in omnibus externis actionibus appareat in nostris modestia, & humilitas conjuncta cum religiosa maturitate: speciatim autem hæc observanda erunt. Par. 3. 1. §. 4.

2 Caput huc illuc leviter non moveatur, sed cum gravitate, ubi opus erit; & si opus non sit, teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo.

3. Oculos demissos ut plurimum teneant, nec immoderatè eos elevando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo.

4. Inter loquendum cum hominibns præsertim alicujus auctoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potiùs sub oculos.

5. Rugæ in fronte, ac multo magis in naso evitentur, & serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.

6. Labia nec nimis compressa, nec nimiùm diducta.

7. Tota facies hilaritatem potiùs præseferat, quàm tristitiam, aut alium minùs moderatum affectum.

8. Vestes sint mundæ, & religiosa decentia compositæ.

9. Manus, si non in sustinenda veste occupentur, decen-

decenter quietæ teneantur.

10. Incessus sit moderatas sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeret: in qua tamen, quantum poterit, decoris ratio habeatur.

11. Omnes denique gestus, ac motus ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant.

12. Si plures simul erunt, ordinem præscriptum à Superiore, bini vel terni incedendo servent.

13. Si loquendum fuerit, meminerint modestiæ & ædificationis tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi. Par. 3. c. 1. §. 4.

# INSTRUCTIO

## *Ad reddendam conscientiæ rationem juxta morem Societatis.*

INtelligant singuli, dum rationē conscientiæ sunt reddituri, quanti momenti Pater Noster sanctæ memoriæ Ignatius id duxerit ad majorem Divinæ bonitatis gloriam, ut subditi magis in spiritu cum gratia uberiori proficiant, ac tanto majore cum diligentia, amore, & solicitudine juvari, & à periculis conservari possint, ut quæ in Examine (c. 4. § 36. & 37.) & Constitutionibus toties commendantur, & regula 40. summarii Constitutionum præscribuntur de reddenda ratione conscientiæ, exactè serventur. Proinde unusqvisque cum puritate, sub sigillo confessionis, aut secreti; aut quacunqve ratione ei placuerit, & ad majorem ipsius consolationem fuerit, totam animam suam integrè manifestam faciat, nullam rem celando, qua Dominum universorum offenderit, post ultimam rationem redditam conscientiæ; vel certè aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravant ipsius animam.

Capita verò, quibus conscientiæ ratio reddi debet,

bet, hæc fere erunt: ex quibus cum ea retulerint, quæ ad plenam sui manifestationem dicenda putaverint, petant à Superiore, ut eos interrogando juvet, ac suppleat, si quid esse judicet, quod ad majorem Dei gloriam, & suorum notitiam scire velit

1. An vivat contentus juxta suam vocationem.

2. Quomodo se habeat circa obedientiam etiam intellectus, paupertatem, castitatem, & usum aliarum virtutum, & quarum præcipuè studio intentus sit.

3. An sentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes molestas, & de facilitate & difficultate, & modo eis resistendi, & ad quos affectus, vel peccata sit magis propensus, & incitatus.

4. An contra constitutiones, vel regulam aliquã, vel ordinationem Superiorum firmum judicium habuerit, vel contra eum disputaverit.

5. Quid sentiat de ipso instituto Societatis, & mediis, quibus illa utitur ad suum finem consequẽdum & quem experiatur in se zelum animarum.

6. Quomodo spiritualibus rebus sit affectus, quãtum temporis orationi tribuat, & num vocali, an potiùs mentali juvetur, & utri plus temporis tribuat, & quem modum in orando teneat.

7. Num in usu rerum spiritualium consolationem, & devotionem habeat, an verò contrà desolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur, & quomodo in iis se gerat.

8. De fructu, quem ex communione, confessione, examine, præsertim particulari, & aliis exercitiis spiritualibus percipiat.

9. Num post ultimam rationem conscientiæ, qvam reddidit, majorem an minorem fructum fecerit, & quem animum experiatur ad perfectionem consequendam.

10. Quomodo obſervet, quæ ex conſtitutionibus, & regulis tum communibus, tum officii ſui ad eum pertinent.

11. De mortificationibus, pœnitentiis, & aliis exercitationibus, quæ faciunt ad ſpiritus profectũ; & in ſpecie de præparatione ad injurias,& ad alia, quæ ad Chriſti crucem pertinent, ferenda,atque de eorum deſiderio.

12. De ſociis, & quomodo ex eorum converſatione proficiat in Domino, & an alicui plus ſit familiaris quàm aliis.

13. An averſionem animi ſentiat ab aliquo, & an offenſus ſit in aliquo à Superioribus, vel officialibus, vel qvavis alia perſona, & quomodo ſit affectus erga Superiores.

14. An tentationes aliquas ſit paſſus, qvas alii intellexerint, præſertim circa vocationem.

# CATALOGUS Miſſarum

## & Orationum, quæ noſtris præſcribuntur.

**SACRA JUXTA** *noſtrum inſtitutum à Sacerdotibus Societatis ordinariè facienda.*

Singulis annis.

1. IN principio cujuſq; anni unuſquiſqve Sacerdos Miſſam celebret pro noſtra Societate. Par. 10. § 1.

**ORATIONES** *juxta noſtrum inſtitutum, ab iis, qui Sacerdotes non ſunt, ordinariè faciendæ.*

Singulis annis.

ET ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionẽ integrum Roſariũ Dominæ noſtræ, videlicet centum quinqvaginta

Ave

| | | |
|---|---|---|
| Ave Maria, & quindecim Pater noster, aut tres coronas recitent. | | |
| 2. Singulis annis præscripto die, in quo memoria fundationis Collegii, vel Domus fit Missa cum solennitate pro fundatore proprii Collegii, vel Domus, & benefactoribꝰ vivis, & defunctis, celebretur; & reliqui Sacerdotes, qvi in Collegio, vel Domo habitaverint, pro eisdem sua sacrificia offerant. | Par. 4. c. 1 §. 2. & can. 8. con. 3. | Et singuli, qui sacerdotes non sunt ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Rosarii recitent. |
| *Singulis mensibus.* | | *Singulis mensibus.* |
| 3. In principio cujusq; mensis unusquisque Sacerdos Missam celebret pro nostra Societate. | Par. 10. § | Et singuli, qui Sacerdotes non sunt ad eandem intentionem tertiam Rosarii partem, aut unam coronam recitent. |
| 4. Initio cujusq; mensis omnes Sacerdotes, qui in Collegio, vel Domo fuerint, pro fundatore proprii Collegii, vel Domus, & benefactoribus vivis & defunctis semel Missæ sacrificium offerant. | Par. 4. c. 1. §. 2. | Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam Rosarii partem recitent. |

*Singulis hebdomadis.*

5. Singuli Sacerdotes pro illis de Societate, qui extra Provinciam moriuntur, semel in quavis hebdomada Missæ sacrificium offerant. (can. 11. cog. 3.)

6. Singulis hebdomadis, ubicunque fuerint decem vel pauciores Sacerdotes, pro nostra Societate una Missa à designato à Superiore dicetur; duæ vero, si fuerint plures, quam decem; tres autem, si fuerint plures, quam viginti; & ita deinceps in reliquis decadibus, si numerus Sacerdotum fuerit major. (Par. 10. § 1.)

7. Singulis hebdomadis pro benefactoribus vivis, & defunctis propriæ Domus, vel Collegii præter eas, quæ pro fundatore dicuntur, una, aut duæ, aut plures Missæ pro numero Sacerdotũ offerantur, servando or[illegible] modo prædictũ. (Par. 7. c. 4. § 4)

*Singulis hebdomadis.*

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam Rosarii partem recitent.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quavis hebdomada ad eandem intentionem septem Pater noster, & septem Ave Maria recitent.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in quavis hebdomada ad eandem intentionem septem Pater noster, & septem Ave Maria recitent.

8. Sin-

| | | |
|---|---|---|
| 8. Singulis hebdomadis Miſſa ſemel pro fundatore proprii Collegii, vel domus, & benefactoribus vivis, & defunctis à deſignato à Superiore celebretur. | Par. 4. c. 1. §. 1. | Et unus ex iis, qui Sacerdotes non ſunt, à Superiore deſignatus ad eandem intentionē unam coronam, aut tertiam partem Roſarii recitet. |
| 9. In Domibus & Collegiis, quæ ſaltem viginti ex noſtris alere poſſunt, etiam ſi nō habeant proprium fundatorem, fiant pro iis vivis & defunctis, qui eorum fūdationem notabiliter adjuverunt, eadem ſacra, quæ pro fundatoribus ordinariè fieri ſolent. | Par. 4. c. 1. lit E. | Et ſinguli qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem pro eiſdem facere debent eaſdem orationes, quæ pro fundatoribus ordinariè fieri ſolent. |
| *Sacra ab eiſdem extraordinariè facienda.* | | *Orationes ab eiſdem extraordinariè faciendæ.* |
| 10. Cum primum Societas in Collegii alicujus poſſeſſionem venerit, quilibet Sacerdos ter ſacrum faciat pro ſuperſtite fundatore ipſius, ac benefactoribus. | Par. 4. c. 1. §. 3. | Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem Roſarium integrum aut tres coronas recitent. |
| 11. Cum ex hac vita idem fundator exceſſerit, ſinguli Sacerdotes ter ſacrum pro a- | Par. 4. c. 1. § 4 | Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem Roſarium integrum aut |

nima-

nimabus, illius & benefactorum faciant.

12. Idem judicium erit de Comitatibus, vel Rebusp. quæ non moriuntur, fient n. tria sacra pro viventibus, & tria pro defunctis earum. Sic etiam faciendum, quando plures simul fundationem constituunt.

Par. 4. c. 1. lit. D & E.

13. Cum primū Societas in alicujus Domus professæ possessionem venerit, quilibet Sacerdos intra illam Provinciam ter sacrū faciat pro superstite fundatore ipsius, ac benefactoribus, & quando vita functus fuerit, alia tria sacra ab eisdem pro animabus illius & benefactorum fiant.

Can: 18. cong 3.

14. Pro communitatibus vero, & pluribꝰ, qui simul Domus professæ fundationem cō stituunt, fiant intra eandem Provinciā, quæ de Collegii dicta sunt num. 10. 11. & 12.

Par. 4 c. 3 lit. D & E.

15. In Domo vel Col

Can.

tres coronas recitent.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, integrum Rosarium, aut tres coronas pro viventibus Comitatibus, & totidem pro defunctis earum recitabunt. Similiter facient, quando plures simul fundationem constituunt.

Et singuli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes nō sunt, integrū Rosarium, aut tres coronas pro superstite fundatore, ac benefactoribus; & quando vita functus fuerit, alterum Rosarium integrum, aut tres coronas pro animabꝰ illius, ac benefactorum recitēt.

Et singuli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non sunt, ad eandem intentionem faciant quæ de Collegii, eisdem numeris dicta sunt.

Et singuli ejusdem Do-

mus

legio, ubi quis de Societate decesserit, singuli Sacerdotes pro eo tria sacra, in aliis vero provinciæ locis duo sacra faciant.

11. cong. 3.

16. Cum de obitu cujusq; nostrorum, qui extra provinciam obijt, significatur per universam Societatem, omnes Sacerdotes in Missis illius animam Deo commendent, pro cujusq; devotione.

Can. 1. cō gr. 1.

17. Omnes Sacerdotes curent, juxta cōstitutiones frequenter orare pro universa Ecclesia ac pro iis præsertim, qui majoris sunt momenti ad ejus universale bonum, cujusmodi sunt Principes Ecclesiastici, & sæculares, & alii, qui multum prodesse, vel obesse bono animarū possūt; & pro amicis, & benefactoribus viventibus, & vita functis, & pro aliis, in quorum auxilium pe-

Par. 7 c. 4 §. & lit. A

mus, aut Collegii, qui Sacerdotes non sunt, pro eo tres coronas, aut tres partes Rosarii, pro aliis verò ejusdē Provinciæ duas coronas, aut duas partes Rosarii recitent.

Et singuli, qui Sacerdotes non sunt, in suis orationibus illius animam Deo commendent, pro cujusq; devotione.

Et omnes, qui Sacerdotes non sunt, idem juxta constitutiones curare debent.

cula-

culialiter ipſi, & reliqui de Societate in variis locis inter fideles, & infideles incumbũt, *& etiam pro malè affectis erga noſtram Societatem. Par. 10. lit. B.

*Sacra ex præſcripto P. N. Genlis ab unoquoque Sacerdote Societatis ordinariè facienda.*

18. Unuſquiſque Sacerdos ſingulis menſibus duo ſacra faciat, alterum pro Indiis, & gentium converſine: alterum pro Regionibus Septentrionalibꝰ, & hæreticorum reductione, & in aliis ſacrificiis, & orationibus eadem Domino commendabit.

19. Singulis hebdomadis unuſquiſque Sacerdos ſacrum unum ad intentionem Rever. Patris Noſtri Generalis faciat, & in aliis ſacrificiis, & orationibus eundem Domino commendabit.

*Orationes ex præſcripto P. N. Generalis à ſingulis, qui Sacerdotes non ſunt, ordinariè faciendæ.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, unam coronã, aut tertiã partem Roſarii pro Indiis, & gentiũ converſione, & alteram coronã, aut tertiam Roſarii partẽ pro regionibus Septentrionalibus, & hæreticorũ reductione recitent, & in aliis orationibus eadem Domino cõmendabunt.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionẽ unam coronam, aut tertiã Roſarii partem recitent, & in aliis orationibus eandem Domino commendabunt.

Non

*Non intendimus per ea, quæ superius recensentur, & excludi reliqua sacra, & orationes omnes, quæ pro occurentibus necessitatibus à Superioribus imponi ad tempus solent.*

# REGULÆ PEREGRINORUM.

1. PErsvadeant sibi, peregrinationis finem non tam esse corporis defatigationem, & ut multum iter conficiant, quàm ut ex ea fructum aliquem spiritualem percipiant, atque ex eo fine, & iter ipsum, & cæteros peregrinationis labores moderentur.

2. Litanias simul omnes quotidie in ipso itineris ingressu, vel itinerarium dicant, nec orationem & consveta examina prætermittant, & alias etiam regulas observent, quatum ratio itineris permittit.

3. Studeant frequenti oratione, & meditatione comitem itineris sibi Christum facere; & colloquiis interdum piis, & religiosis, ac lectione alicujus libri pii molestias itineris levare poterunt: quod si cum externis in via, aut in hospitiis egerint, meminerint pro ratione sui gradus, habita ratione temporis & personarum, sermones de rebus spiritualibus inducere, & fructum aliquem, quoad poterunt, efficere.

4. Eleemosynas simpliciter pro Christi amore petant, ut omni spe illa abjecta, quam in pecuniis, & rebus creatis habere possint, integrè vera cum fide, & ardenti amore eam in suo creatore, ac Domino constituant, memores à Christo Domino Apostolos sine sacculo, & pera missos, ipsum etiam Dominum non habuisse, ubi caput suum reclinaret. Ex. c. 4. 12.

5. In-

5. Indigentia, & penuria rerum corpori necessariarum probari exoptent, ut ad incommoditatem cibi, somnive capiendi libenter assvefiant. (Ex. c. 4. §. 12. & 26.) injurias vero, illusiones, & opprobria, quæ illis in itinere inferri contigerit, patienter cum Dei gratia ferant, gaudeantque, materiam præberi sibi imitandi aliquo modo Christũ Dominum ejusq; vestibus, atq; insignibus seipsos induendi. (Ibid. §. 44.)

6. Qui majoribus pollent ad viam peragendam viribus, eos, qui sunt infirmiores subsequi & non præcedere debent, & iter cujusque diei horum debilium infirmitate commensuretur: quod si quis viribus destitueretur, jumento, aut alia ratione juvari debet: qua in re non qualitatis personarum, sed necessitatis, & caritatis fraternæ ratio est habenda.

7. Si quis in morbum incideret, ita ut ulterius progredi non posset, nec expediret reliquos ibi moram trahere, si vicinum esset Collegium, aut Domus Societatis, eo esset æger (si modo morbus patiatur) deducendus: alioqui aliquis ex nostris illi erit socius relinquendus, ut consolationi ei sit & auxilio: ægro autem viribus restituto, cœptum iter ambo prosequentur.

8. Si in via ab honesto, & pio amico invitarentur, posset, qui præest, hospitalitatis beneficium admittere, tunc autem curare debent verbis, & religioso exemplo hospites ædificatos in Domino relinquere.

9. Ejusdem ædificationis, & exempli in omnibus hospitiis meminisse debent: sobrietatis etiam in mensa, & modestiæ in conversatione nunquam obliviscantur.

10. Cum in itinere ad Collegia, vel Domos Socie-

cietatis divertent, studeant omnes bonum ædificationis odorem exemplo vitæ, ac morum nostris relinquere. De rebus vero aut personis aliorum Collegiorum, aut Domorum nihil loquantur, aut tractent, nisi ad ædificationem.

11. Si transierint per locum, ubi Domus, aut Collegium Societatis sit, nihil ab externis nec pro se, nec pro aliis petant, aut accipiant sine facultate superioris ejusdem Domus, vel Collegii.

12. Omnes alii, qui iter faciunt ex nostris equites, aut pedites, has regulas peregrinorum suo modo, quantum fieri potest, etiam servent: & tam peregrini, quam reliqui, qui iter faciunt, patentes litteras sui Superioris habere curent.

# REGULÆ SCHOLASTICORUM NOSTRÆ SOCIETATIS.

*Animi puritas & intentio.*

1. IN primis animi puritatem custodire, & rectam in studiis intentionem habere Scholastici nostri conentur nihil aliud in his, nisi divinam gloriam, & animarum fructum quærentes; & in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant, crebro petant; (p. 4. c. 6. §. 1.) ut tandem idonei, sicut ab iis sperat Societas, ad vineam Christi Domini Nostri exemplo, ac doctrina excolendam evadant. (p. 4. c. 3. §. 2.)

*Solidarum virtutum cum studiis conjunctio.*

2. Serio, & constanter ad studia animum applicare deliberent, (p. 4. c. 6. §. 2.) atque cavendum sibi putent, ne fervore studiorum intepescat soli-

ſolidarum Virtutum, ac religioſæ vitæ amor, ita ſibi viciſſim perſvadeant, nihil gratius ſe Deo facturos in Collegiis, quàm ſi ea intentione, de qua dictum eſt, ſtudiis ſe diligenter impendant: & licet nunquam ad exercenda ea, quæ didicerint, perveniant; illum tamen ſtudendi laborem ex obedientia, & caritate; ut par eſt, ſuſceptum, opus eſſe magni meriti in conſpectu divinæ, & ſummæ Majeſtatis apud ſe ſtatuant. (p. 4. c. 4. §. 2.)

*Ex ſuperiorum præſcripto Studendum.*

3. (P. 4. c. 5. §. 2. & c. 6. §. 6.) Iis facultatibus ſinguli operam dabunt, eoſque audient Præceptores, quos ſuperior aſſignabit: præſcriptam verò à Præfecto, vel à Magiſtro diviſionem temporis, ac rationem ſtudendi ſervent diligenter univerſi, nec aliis, quàm ab eodem Præfecto ſibi traditis, utantur libris.

*Diligentia.*

4. In audiendis lectionibus ſint aſſidui, & in eis prævidendis diligentes, & poſtquam eas audierint, repetendis, iis, quæ non intellexerint, interrogandis, aliis vero, quæ oportuerit, adnotandis, quo in poſterum memoriæ defectui conſulatur. (p. 4. c. 6. §. 8.

*Diſputationes publicæ.*

5. Interſint ordinariis ſcholarum, ad quas accedunt, diſputationibus: & ſingulare ſui ſpecimen in doctrina præbere, modeſtè tamen, curent. (p. 4. c. 6. §. 10.

*Privatæ.*

6. Privatis præterea, & quotidianis diſputationibus, ac repetitionibus omnes interſint, & qui diſputant, ei, qui præeſt, religioſè obediant. (p. 4. c. 6. §. 11.

*Modeſtia.*

5. Cum

7. Cum ad publicas ſcholas eundem erit, eant, & redeant invicem aſſociati cum ea modeſtia interiore, & exteriore, quæ ad ſui, & aliorum ædificationem conveniat. (p. 4. c. 4. §. 6.)

*Colloquia cum externis.*

8. Eorum colloquia, qui cum ſcholaſticis externis loquendi habuerint facultatem, ſint ſolum de rebus ad literas, vel ad profectum ſpiritus pertinentibus, prout ad majorem Dei gloriam omnibus utilius fore judicabitur. (Ibidem.)

*Latinæ lingvæ uſus.*

9. Omnes quidem, ſed præcipuè humaniorum literarum ſtudioſi, latinè loquantur: atque hi memoriæ, quod à ſuis Magiſtris præſcriptum fuerit, commendent, ac ſtylum in compoſitionibus diligenter exerceant. (p.4.c.6.§.13. & c.13.§.3.)

*Studii tempus.*

10. Ultra duas horas nemo aut legendo, aut ſcribendo ad laborem incumbat, quin ſtudium intermittat aliquantulo temporis intervallo. (p. 4. c. 4. §. 1.

*Privati ſtudii.*

11. Horis privato ſtudio attributis, qui ſuperioribus facultatibus dant operam, domi relegant, quæ ſcripſerunt in ſcholis, eaque curent intelligere: & intellecta ſic examinent, ut ipſi objiciant, & quæ objecerint ſolvant; quæ nequeunt, adnotent ad interrogandum vel diſputandum. (p.4.c.6.§.14.M.)

# REGULÆ Sacerdotum.

QUÆ de diſciplina religioſa in regulis, & inſtituto noſtro ſervanda omnibus propoſita ſunt, ea Sacerdotes, pro ratione ſui gradus, ſibi præcipuè dicta exiſtiment, & obſervent.

2. Di-

2. Divinum officium nitantur attente, devotè, & opportuno tempore recitare.
3. Ita vivere studeant, ut quotidie meritò celebrare possint; ad idque conducet sæpius in hebdomada confiteri. Quamvis ex Constitutione. (Ex. c. 4. §. 25.) octavo ut minimum quoque die confiteri teneantur.
4. Cæremonias Missæ ex usu Romano accuratè unusquisque observet; in eaque celebranda pronunciationem, & quamcumque aliam exteriorem actionem ita moderetur, ut nõ minùs aliorũ ædificationi, quàm propriæ devotioni serviat; & ideo semihoram in faciendo sacro nec multùm excedat, neque ita brevis sit, ut illam non expleat. (Par. 4. c. 8. §. 2.)
5. Qui in summo altari sacra facturi sunt, simul atque campanæ se vocantis pulsum audierint, vel admoniti fuerint, ad vestes sacerdotales induendas se conferant, ut in omni tempore exire ex sacristia possint.
6. Salutare tradendæ doctrinæ Christianæ ministerium Pueris, ac rudibus, quod à sui origine nostra Societas tanto affectu complexa est, pari omnes studio promovere curent. (Par. 4. c. 8. §. 6. & lit. F. Can. 14. cong. 1. & Can. 20. congr. 2.)
7. Intelligant sibi ratione peculiari incumbere, ut exerciorum spiritualium, quæ tantopere ad Dei obsequium conferre cernuntur, usum valde familiarem habeant; quo & alios ad ea suscipienda adducere, & in eo tam utili armorum spiritualium genere tractando dexteritatem habere possint. (Par 4. c. 8. §. 5. & par. 7. c. 4. §. 8. & litera F.)
8. Omnes ii, quibus ex obedientia confessiones audiendi sanctum munus committitur, multum ad id affici studeant, & tamquam nostri instituti valde pro-

de proprium magnifaciant. (Par.7.c.4. §.5.)

9. Nemo ad confessiones audiendas accedat nisi à Superiore deputatus, & qui simul intelligat, quâ facultatem ad hoc munus ab eo habeat. (Par. 7.c. 4. §. 5.)

10. Modum ea Sacramenta ministrandi, quæ Sacerdotes nostræ Societatis tractare possunt perfectum omnes habeant (Par.4.c.8.§.4.& lite.D.) in eoque uniformes sint, quantum regionum varietas patietur; formam tamen, & rationem absolvendi ab excommunicatione, & aliis censuris, & peccatis eandem omnes sequantur; attendantque, ne ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarii, & Parochi jure offendi possint (P.8.c.1.§.8.& p.10.§.9.)

11. In casibus conscientiæ, iisque præsertim, qui ad censuras, casus reservatos, & restitutiones pertinent, sese diligenter exerceant; earumque rerum, compendia, & brevem interrogandi methodum, ac contra singulorum peccatorum species exempla, & dicta Sanctorum, atque alia salutaria remedia comparare studeant. (Par.4.c.8 lite.D.)

11. Confessarii inter se ipsos, & in modo procedendi cum poenitentibus conformes esse curent; & quantum res tulerit, ita aliorum Confessariorum existimationi unusquisque consulat, ut omnes intelligant, mutuo caritatis & uniformis doctrinæ vinculo, Societatis Confessarios in Christo esse colligatos. Par.3.c.1.§.18.& par.8.c.1.§.8.& par.10.§.9)

13. Vocati ad Ecclesiam, ad confessiones audiendas, statim cum animi alacritate eò se conferant, & quo major pœnitentium multitudo futura est, eo magis tempestivè ab aliis occupationibus se expediant.

14. In templo confessiones, dum concio fit, vel sacra lectio, nemo audiat.

15. Confessarii ita audiant poenitentes, ut mutuum aspectum fugiant; sic enim attentius, & liberius audient quod si locus non erit ejusmodi, ut tabula confessarium à confitente dividat, manus inter posita inter faciem propriam, & confitentem, qui ad latus esse debet, id præstabit.

16. In audiendis confessionibus, foeminarum præsertim, severos potius se, quàm familiares exhibeant: in universum tamen paterna quædam, & spiritualis gravitas in eis eluceat.

17. Eos, qui crebrius confitentur, maximè foeminas, breviter expediant, nec de rebus ad confessionem non pertinentibus in confessione loquantur: extra confessionem verò, si oportebit eas alloqui, longum sermonem ne misceant, & oculos modestè demissos habeant.

18. Quando quis à Superiore mittetur ad confessiones foeminarum audiendas, vel alia de causa eas adierit socius, quem Superior ipsi designabit, quamdiu foeminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, unde videre eos, sed non, quæ secreta esse oportet, audire possit, quantum loci dispositio patietur; quod si non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne ostium sit clausum, nec locus obscurus. (p. 3. c. 1. §. 3.

19. Particularem personarum, præsertim foeminarum curam nemo suscipiat, & quamvis Confessarius pro suo munere in vita spirituali poenitentem instituat, nullius tamen obedientiam admittat. (Par. 6. c. 3. §. 5.

20. Si quis uni confiteri solitus ab eodem alium confessarium adeundi facultatem petierit, vel ea non petita adierit; id sibi gratum esse Confessarius benignè ostendat.

21. Ut sanitatis etiam ratio ad Dei gloriam habeatur

tur, Confeſſiones mane ad horam uſq; prandii tantum audiant; ita ut cum ſignum primæ menſæ audietur, ſtudeant ſe ita accommodare, ut ad ſecundam accedant; niſi forte pœnitentium neceſſitas aliud exigat.

22. Nemini aut petere, aut accipere quidquam libet, ſiue ab iјs, quorum confeſſiones audierit, ſiue ab aliis, quod vel in pauperes diſtribuat, vel alteri ſatisfactionis nomine reſtituat; niſi Superior,cum opus eſſet, ſecus faciendum iudicaret.

23 Etſi vota ad perfectionis ſtatum pertinentia, ut ſancta laudari debent & circa ea Confeſſarij conſilium, ſed magna cum cōſiderātione, dare poſſint: quia tamen non humanam, ſed diuinā vocationem requirunt, nemo ad ea emittenda quemqnam inducat, verum ad orationem tales hortetur, ut à Deo adiuti, vocationem ſuam melius intelligant, & exequantur.

24. Si quos viderint ad religionem propenſos; non facile ad vnam potius quam ad aliam, ad hoc, quam ad illud monaſterium inuitent, ſed liberam illis ſuam electionem relinquant: poterunt tamen petentibus conſilium eas religiones, vel monaſteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino iudicauerint.

25. Nullus eis, quorum audit confeſſiones, certum veſtimenti genus, hunc, aut illum habitum, vel colorem præſcribat: tametſi omnes ad honeſtum, & ſuo ſtatui conuenientem veſtitum hortari poſſit.

26. Vtpium eſt ad frequenter communicandum fideles exhortari,ita quoſ ad id propenſos viderint, admonere debent, ne crebrius, quam octauo quoq; die accedant. præſertim ſi matrimonio ſint coniuncti.

27. Admoneant eos, qui ſibi confitentur, à Dominica palmarum ad Dominicam in Albis incluſiue,

eo tempore ( nisi aliud consuetudo loci postulauerit ) debere semel in sua Parochia communicare, exceptis peregrinis, & ijs, qui facultatem haberent, & reliquis, quos ius excipit(par 7. c. lit.D.)

28. Qui vocantur ad iuuandos eos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant, quæ eo tempore, in quo tantum est momenti, usui esse possint: tamdiuque illis adsint, quamdiu sola necessitas postulabit: cæterum & si, cum opus est, ægrotos ad condenda testamenta hortari conueniat, ijs tamen conficiendis non assistant. ( par.4.c.8. § 7.& liter.G.

REGULÆ CONCIONATORUM.

REGULÆ, quæ Sacerdotibus propositæ sunt, eas sibi Concionatores in primis commendatas existiment, nec minore cura, quam cæteri obseruent.

2. Memores sint vocatos se esse ad reducendas animas suo creatori, quod cum sit opus omnium difficillimum, summo studio media illa adhibeant, quæ instrumentum cum Deo coniungunt, cuiusmodi sunt solidæ virtutes, ac præcipuè caritas, pura intentio diuini seruitij, familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus syncerus animarũ ad gloriam divinæ maiestatis. ( Par.10.§2.)

3. Enitatur cum Dei gratia esse cæteris exemplo ut non minus vita, quàm doctrina, ad omnem virtutem proximos alliciant. (p.7.c.4.§2.

4. Lectioni sacræ Scripturæ, ac Patrum precipuè incumbant: conferet etiam peculiari studio vidisse Euangelia toto anno currentia, & in eis ea, quæ usui esse possunt, adnotasse; itemq; compendium facere explicationis rerum ad fidem, & Christianam vitam necessariarum: atque in communes locos redegisse omnja, quæ ad virtutũ commendationem, & peccatorum detestationem pertinent.(p. 4. c. 8. lit. B. & F.

5. Con-

5. Conferet vidisse præceptiones, si quas de modo concionandi illi tradunt, qui bene hoc munus obierunt; bonos audiuisse Prædicatores; & in concionibus domi, vel in alijs locis minus frequentibus se exercuisse. ( P. 4. c. 8. lit. G. )

6. Optare debent, ut admoneantur, si quid in concione corrigendum videbitur ijs, qui à Superiore ad id deputati fuerint, & humili, & grato animo id accipere. ( P. 4. c. 8. lit. C. (

7. Ita operam suam in celebrioribus concionibus libenter impendant, ut non minus se ad docendos pueros, & alios rudes instruendos, faciles, & paratos exhibeant. ( In 1. Bulla nostri instituti, & p. 5. c. 3. lit. B. & p. 7. c. 4. §. 7. )

8. Si quando occasio tulerit, ut alius eodem tempore concionari velit, quantum in ipsis erit, libenter cedant.

9. Ea populo proponant, quæ ad captum, & utilitatem auditorum erunt accommodata; ijsque insistant, quæ ad Christianam institutionem, atque ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas valent: & à rerum subtilium curiosa tractatione se abstineant p. 4. c. 8. §. 3. li, B. )

10. Commendare debent Confessionis, & Eucharistiæ frequentem usum, in bonis operibus profectum, & perseverantiam, Ecclesiasticarum cæremoniarum obseruationem, & cætera, quæ ad cultum diuinum pertinent, eamque obedientiam, quæ principibus: & prælatis; qui Dei in terris vices gerunt, exhibenda est. ( Inult reg. libri ex reg. 2.

11. Commendabunt etiam peculiari ratione poenitentiæ, & Misericordiæ opera, ( Ibid. reg. 7. ) sanctarum precum, ( Ibid. reg. 3 ) & aliarum piarum devotionum exercitia. utilium librorum lectionem, & bonam filiorum educationem. ( Ibid reg. 6. & reg. 10. (

12. Cum experientia doceat, & sanctæ memoriæ Pater Ignatius scriptum reliquerit, nihil utilitatis percipi ex ijs concionibus, in quibus principes, & magistratus reipub. prælati, & alij Ecclesiastici in particulari reprehenduntur, Concionatores nostri ab hujusmodi reprehensionibus abstineant.

13. Caueant ne religiosos aliorum ordinum, quos revereri, & obseruare debent, etiam tacite videantur reprehendere: & quamuis nostros ad maiores in virtute progressus excitare possint, præsertim in domesticis exhortationibus, reprehensionem tamen alicuius particularis, vel ipsius Societatis ne attingant ( Par. 3. c. 1. lit. S. )

14. Ne rumoribus populi moueantur, ut noua & parum confirmata in publicum afferant, & multo-minus ea populo proponant, quæ alioqui dubia, & incerta sunt.

15. Curent ut rationem, & modum quem observare debent in rebus populo denunciandis; & certis pauperibus, alijsque pijs operibus commendandis, á Superiore accipiant.

16. Caueant omnino, ne facetijs, aut inutilium rerum narratione concionem contemptibilem faciant ijsve auditores ad risum moueant, vel contra, ut ad fletum excitent, spectanda aliqua populo proponant á communi in Societate concionandi consuetudine aliena, nisi in aliquo particulari casu ad communem ædificationem pertinere Superior pro ratione loci, iudicaret.

17. Ea quæ dicturi sunt, diligenti præmeditatione, & peculiari ad Deum recursu ( quatenus per tempus licebit ) paranda erunt.

18. Caueant arrogantiam, & ostentationem in concione, humilitatemque, cui ex intimo cordis affectu studere debent, in omni actione præ se ferant:

quod

quod si aliquid pro se, aut Societate cogantur respondere, ea modestia satisfaciant, ut causam Christi, non suam agere videantur.

19. Modus concionandi, qui à Scholastico diversus esse debet, ita sit ad docendum comparatus, ut ad animorũ motũ præcipuè dirigatur; cũq; quæstio aliqua earum, quæ ad fidem, aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit, non ita exactè proponantur argumenta, quibus contraria pars confirmatur (nisi auditorium id postulet) ut simpliciores ipso proponendi modo offendi possint, sed eo pacto res exponatur, ut illi ex data explicatione solutionẽ eorum, quæ sibi in mentem venerint, aut ab alijs audiuerint facile colligant. (Par.4.c.8.§.3.)

20. Ne sint affectati, aut verborum lenocinia sectentur, nec studio politioris sermonis eos libros habeant familiares, ex quorum lectione detrimentum in spiritu accipiant, & seculare aliquid redoleant.

21. In laudibus, & reprehensionibus à nimijs exaggerationibus, & ab omni specie adulationis abstineant.

22. Gestus corporis sit modestus, & in quo grauitas quædam religiosa præcipue eluceat! vocemque accõmodent ad res, quas tractabunt; proinde eam, ubi non est opus, ne præter modum extollant, aut deprimant.

23. In concionibus, & lectionibus templi, spatium horæ ne excedant.

# REGULÆ EORUM.
## QUI IN MISSIONIBUS Versantur.

CUM scopus, ad quem tendit Societas, sit varias mundi partes, ex obedientia Summi Pontificis, vel

vel Superioris Societatis peragrando, verbum Dei prædicare, confessiones audire, & reliquis quibuscunque poterit medijs uti ad animas diuina aspirante gratia, iuuandas; quicumque in huiusmodi missionibus versantur, sibi persuadeant, rem maximi ponderis in Societate sibi commissam esse, atque ita se comparare studeant, ut apta Dei instrumenta ad rem tantam esse possint. ( In Declar. Proœ. 4. Par. lit. A. & P. 6. c. 3. § 5. )

2. Quia vocationis nostræ est vitam agere in quauis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur: unusquisque paratus esse debet, ut in ea vineæ Christi parte, atque opere se exerceat, quod ipsi commissum fuerit, siue per varia loca discurrendo, siue in quibusdam continentur residendo. ( Par. 3. c. 2. lit. G. & p. 7. c. 1. § 1.&c. 3. § 1. )

3. Vnusquisque plenam in his, ac liberam sui dispositionem Superiori, qui eum Christi loco dirigit, relinquat; ( Par. 2. c. 1. § 1. ) poterit tamen motus animi, aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi proponere, subijciendo suum sentire, & velle ei, quod ipse in Domino iudicauerit. ( Ibid. liter K. )

4. Ei, qui mittendus erit, plurimum conueniet, ut intelligat à Superioribus scopum suæ missionis, & effectum, cuius gratia mittitur, id qnod in scriptis, si fieri potest, habere curabit. (Par.7.c.1.§5.)

5. Cum oppidatim missi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam, qno ad fieri poterit ut more pauperum Enangelium prædicent. ( Par. 7. cap. 2. lit. G. ) proinde pedites, vel in toto, vel in parte iter facient, si eos Superior id præstare posse iudicauerit, & ex eleëmosynis, vel oblatis, vel cum ædificatione emendicatis viuent,

nisi alia ipsi à Superiore sustentationis ratio sit constituta. ( Can 2. Cong. 3. )

6. Si nullum eis à Superiore designatum fuerit hospitium, intelligant sibi ad aliquod hospitale, tamquam ad hospitium pauperum esse diuertendum, si tamen honestum id sit, atque ad exercenda ex eo ministeria Societatis accommodatum: alioqui conuenientius erit, ut in domum pij alicuius, & exemplaris Ecclesiastici, aliumve eiusmodi locum se recipiant, in quo cum ædificatione manere possint.

7. Cum ingressi fuerint loca ea, in quibus Ordinarij resident, eos quam primum adeant, suamque operam illis submisse offerant, & facultatem ad exercenda Societatis ministeria modestè, ac religiosè petant. eosq; omnes tam Ecclesiasticos, præcipuè Parochos quam seculares quorum auctoritate, aut fauore opus habent, beneuolos sibi facere studeant. ( Par. 10. § 11. & lit. B. )

8. Cum eo peruenerint, ubi diutius immorari debent, prudenter, ac mature operam dabunt, ut notitiam habeant probatorum virorum, & pietate, ac rebus agendis insigniorum, quorum informatione, vel auxilio iuuari possint ad ministeria Societatis maiore cum fructu animarum exercenda.

9. Qui in missione Superior erit, initio suscipiendorum operum, vel quando maior subsidij necessitas cernitur: quod res magni momenti sint, vel difficultates graues incidant ) applicabit, curabitque applicari Missas, & orationes, ut omnia cedant ad majorem Dei gloriam, & proximorum utilitatem. ( Par. 7. c. 2. lit. M. & c. 4. § 3. (

10. Si ijs, qui mittuntur, non fuerit iniunctum, ut medio aliquo utantur limitato, quale esset vel legere, vel prædicare &c. in ijs tantum se exercebunt, quibus Societas uti solet, iuxta Constitutio-

(Par.

( Par. 7. c. 3. §. 2. ) conferre tamen illa cum eo Superiore, qui eis propior fuerit, semper erit securius. ( Ibidem lit. A. )

11. Media spiritualia, quibus iuxta institutum Societatis, & beneplacitum Superioris uti poterunt, fere sunt ministerium verbi Dei in prædicationibus, sacris lectionibus, priuatisque exhortationibus, & colloquijs; sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ administratio; exercitiorum spiritualium traditio; dissidentium reconciliatio; casuum conscientiæ ad Ecclesiasticos, eorumque officij magis priuata explicatio; & Christianæ doctrinæ ad pueros, ac alios rudes publica declaratio. ( Par 4. c 8. & per 7. c. 4. )

12. Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum spiritualia permittent, & vires patientur incumbere poterunt, ut in firmos, præcipuè in xenodochijs, per se, vel per alios iuuando, & pauperes, ac in custodijs detentos; quatenus licebit eodem modo sublevando. ( Par. 7. c. 4 §. 9. )

13. Etsi certus ordo in nostris ministerijs exercendis præscribi non potest plerumque tamen utilius erit, & securius, ab humilioribus inchoare, ut à doctrina Christiana pueris explicanda, ab ægrotis hospitalium inuisendis, eorumque, & aliorum magis indigentium confessionibus audiendis.

14. Quanquam humana media non solum spernenda non sunt, sed etiam, cum opus est, prudenter, & relgiosè adhibenda: diuinis tamen, & nostri instituti magis proprijs præcipuè utendum est, in eisque magis fidendum; orandusque Deus, ut ijs omnibus det eam efficaciam, quæ sit proposito fini consequendo necessaria.

15. Iuxta eam caritatis regulam, qua se Apostolus omnia omnibus faciebat, ut omnes lucrifaceret;

expe

expediet non nunquam, ut ingenio eorum, cum quibus agent, initio se attemperent ( quatenus ratio, & virtus ferent ) ita tamen, ut meminerint ad id tandem eos cum Dei gratia perducere, quod illis in Domino magis conferre iudicabunt.

16. Eam animi magnitudinem, & æquabilitatem retinere studeant, ut & prosperis successibus, & aduersis superiores sint, quo nullo euentu fracti, nec religiosæ modestiæ, nec sanctæ libertatis, nec bonæ de se conceptæ existimationis, quæ ad fructum colligendum necessaria est, quidquam amittant.

17. Si quos erga se, aut Societatem malé affectos esse intellexerint ( præsertim non vulgaris auctoritatis homines ) aut qui nostra ministeria impediant, non solum pro eis orabunt, sed etiam conuenientem aliquam rationem inibunt, ut eos amicos, aut saltem non aduersarios faciant; ad quam rem non parum conferet, si data occasione, instituti nostri rationem illis exponant, nullumque officij genus prætermittant, quo illos, cum opportunum fuerit, sincere, ac religiose demereri, & conciliare possint. ( Par. 10. lit. B. )

18. Si quando prælatum aliquem in visitanda diœcesi comitabuntur, nihil se in negotijs ad visitationem spectantibus, alijsue id genus ad iurisdictionem pertinentibus immisceant, sed ijs tantum ministerijs attendant, quæ sunt nostri instituti propria. ( Par. 4. c. 11 §. 3. )

19, Quamuis optare debeant, ut in sua quisque vocatione proficiat, æquumq; est, ut pro suo munere ad eam rem omnes hortentur; nullam tamen reformandi Cleri, aut Monialium, aliorumue religiosorum curæ partem admittant, sic n. fiet, ut & munus suum sine impedimento exequi, & populum

lum ad uberiorem fru&um ex visitatione percipiendum sine offensione disponere possint. ( Par. 6. c. 3. §. 5. )

20. Cum præter id, quod eis fuerit peculiari ratione iniunctum, res aliqua diuini seruitij se obtulerit, in qua possint sine detrimento suæ missionis suam operam ponere, opportunitatem, quam Deus ad eam dederit, quantum in eodem conuenire indicabunt, e manibus elabi non sinent. ( Par. 7. c. 1. §. 7. )

21. Si in locis designatis diutius residendum erit, locumque dederint præcipua negocia ( quæ nunquam propter alias occasiones, licet bonas, diuini obsequij posthabebunt ) excursiones aliquas facere, si eas cum fructu fore iudicabunt, non erit inconueniens. ( p. 7. c. 1. §. 7. )

22. Sine facultate Superioris nulli Confraternitati, Congregationiue statuta condent, seu vetus illa sit, seu noua instituenda videatur. De noua autem instituenda & quæ nullibi sit in usu non prius agent, quam Superiorem consulant.

23. Quæ Deo auctore perficient ea quantum licebit, ita constituant, ut stabilia sint, & diu durare possint, quod facilius obtinebunt si res conuenienti ordine disponant, earumq; bonum progressum ijs commendent, quorum exemplo, auctoritate, studio, & diligentia, facile conseruari, & promoveri possint.

24. Scribent ad eum, quem designauerit ille, à quo missi sunt, singulis hebdomadis, vel quoties ipsis fuerit constitutum, ( can. 28. Cogr. 2. ) oequantum fieri potest, totius successus eum certiorem reddant, quemadmodum personæ & nogotia exegerint, ut consilio, & alijs auxilijs iuvari possint. ( P. 7. c. 2. §. 1. )

25. Cum propter nullas occupationes intermittendum sit propriæ perfectionis studium, diligenter animaduertant, ne prætextu procurandæ aliorum salutis, propriæ obliuiscantur, ipsamque propriam salutem ea ratione in discrimen adducant: sed sæpe illud Domini mente reuoluant, Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur: sibique illud D. pauli unusquisque dictum existimet, Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qni te audiunt.

26. Hanc ob rem caueant, ne consueta in Collegijs, ac Domibus orandi, & examinandæ conscientiæ exercitia imminuant; nisi si quando necessitas, aut in eventu alioqui caritas aliud faciendum postularet Conuersationem cum secularibus nimiam non habeant, aut incautā quæ secularē sapiat, (P. 7. c. 4. §. 1.) sed in omnibus se integritatis, & grauitatis exemplum præbeant, atque in summa regularum Soeietatis, siue earum, quæ omnibus communes sunt, siue quæ ipsorum officij propriæ, quantum locus patitur, obseruationem non prætermittant. ( P. 7. c. 4. §. 1. )

27. Præter hæc, si pro ratione diuersarum regionum, & missionum qualitate, alia quædam à Superioribus constituenda videbuntur; ea in peculiaribus instructionibus addita, pari diligentia obseruanda erunt. ( par. 7. c. 2. §. 2. )

FINIS.

# SECUNDA PARS

EPISTOLAS COMMUNIORES RR.PP. NN. Generalium complectens.

DE

# DE OBEDIENTIÆ VIRTUTE Epistola B. N. P. Ignatij.

*IGNATIVS LOIOLA FRATRIBUS Societatis JESU, qui sunt in Lusitania, gratiam & amorem Christi Domini sempiternum.*

MAgnā animi voluptatem capio, fratres in Christo carissimi, cum affertur ad me, quam acri studio, conatuque ad summam virtutis, ac diuini obsequij perfectionem enitamini, beneficio illius, qui vos ut ad hoc vitæ institutum vocauit, sic in eodem pro sua clementia retinet, dirigitq; ad beatum finem, ad quem, qui sunt ab ipso electi perueniunt.

*Obedientia tanquam Virtutum omnium parens magni facienda est, & ex ea germana Societatis Soboles discernenda.*

Atque ego sane cū vos omnibus donis ornamentisque spiritualibus perfectos, tū vero (quod alias ex me cognouistis) in primis obedientiæ virtute præstantissimos esse cupio: idque non solum ob eximia quædā ac singularia ejus bona quæ tot, tamq; illustribus sacrarum litterarum testimonijs, atque exēplis, in testamento æque nouo, ac veteri comprobantur, sed etiam quod (ut est apud sanctū Gregorium lib. 35. Mor. c. 10. (Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. Hæc dum floruerit, florebunt proculdubio reliquæ, edentque fructus, quales & ego in animis vestris exopto, & suo iure postulat is. qui humanum genus neglectæ obedientiæ scelere afflictum, ac perditum, salutari ipsemet obedientia reparauit, ) Phil. 2. ) *Factus obediens Vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

Ab alijs religiosis ordinibus facilius patiamur superari nos ieiunijs, vigilijs, & cætera victus, cul-

cultusque asperitate, quam suo quique ritu, ac disciplinâ sanctè suscipiunt: vera quidem, ac per fecta obedientia, abdicationeque voluntatis, atque iudicij maximè velim, fratres carissimi, esse conspicuos, quicunq; in hac Societate Deo Domino nostro deseruiunt; eiusdemque Societatis veram, germanamque sobolem hac quasi nota distingui, qui nunquam intueantur personam cui obediunt, sed in ea Christum Dominum, cuius causa obediunt.

*Non tam homini, quam in homine Deo ipsi defertur Obedientia religiosa.*

Siquidem Superiori, nec si prudentia, bonitate cæterisue quibus libet diuinis donis ornatus, instructusque sit, propterea obtemperandum est; sed ob id solum, quod vices gerat Dei, eiusdemque auctoritate fungatur, qui dicit. ( Luc. 10. ) *Qui Vos audit, me audit, & qui Vos spernit, me spernit.* nec contra siue consilio, aut prudentia minus valeat, quidquam idcirco de obedientia remittendum quatenus ille Superior est; quando illius personam refert, cuius sapientia falli non potest; supplebitq; ipse, quidquid ministro defuerit: siue probitate, alijsq; ornamentis careat, siquidem disertis verbis Christus Dominus cum dixisset, ( Matth. 23. ) *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*; protinus addidit, *Omnia ergo, quæcunque dixerint Vobis, seruate & facite; secundum opera vero eorum nolite facere.*

Quocirca sedulo vos in eam curam, atque exercitationem incumbere cupio, ut Christum Dominum in Superiore quolibet agnoscere studeatis, in eoque diuinæ maiestati reuerentiam atque obedientiam summa cum religione præstare; Quod vobis minus mirum videbitur, si animauer-

dverteritis præceptum esse ab Apostolo, ut Superioribus etiam secularibus, ethnicisque parcamus, ut Christo, ex quo omnis potestas bene instituta descendit: sic enim scribit ille ad Ephesios, ( cap. 6. ) *Obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis Vestri; sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut* DOMINO, *& non hominibus.*

Atque hinc existimare poteritis ipsi, cum se religiosus quispiam regendum, ac modarandum alteri tradidit, non solum ut Superiori, sed etiam nominatim ut Christi partes agenti; quo illum loco apud animũ suum habere, utrum ut hominẽ,an ut Christi vicarium debeat intueri.

*Obedientiæ gradus triplex est. Infimus, in nuda executione. Secundus in voluntatis etiam propriæ cum Superiore confirmatione.*

Iam vero illud etiam vobis clare compertum esse ac animis vestris penitus insidere vehementer cu pio, infimam, & valde imperfectam esse primam illam obedientiæ formam quæ mandata duntaxat opere exequitar; nec virutis nomine dignam nisi ad alterum gradum ascendat, qui voluntatem Superioris suam efficiat, & cum ea ita concordet, ut non solum in effectu executio appareat, verum etiam in affectu consensio; sicque idem velit uterque, idem nolit. Atq; propterea in sacris literis legimus, ( 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victimæ*; siquidem ( ut Gregorius docet, lib. 35. Mor. c. 10. ) *Per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.* quæ quidem pars animi, quoniam est adeo præstans, sic fit, ut eius oblatio Domino, ac Creatori nostro

pre

per obedientiam facta magni ſit æſtimanda.

*Etiam in Exercitiis piis, nihil præter voluntatem Superioris ſuſcipiendum.*

Quanto in errore, quamque periculoſo verſantur non dico ſolummi, qui in iis quæ ad carnē, & ſanguinem pertinent, ſed illi etiam, qui in rebus alioquin admodum ſanctis: ac ſpiritualibus ut jejuniis, precationibus, aliisvé quibusvis pietatis operibus, fas putant à præſcripto Superioris ac voluntate diſcedere. Audiant quod ſapienter adnotat Caſſianus in Collatione Danielis Abbatis:(Coll. 4. cap. 10.)Vnum ſanè, inquit, atque idem inobedientiæ genus eſt, vel propter operationis inſtantiam, vel propter otii deſiderium, ſenioris violare mandatum; tamque diſpendioſum eſt pro ſomno, quam pro vigilia, Monaſterii ſtatuta convellere: tantum denique eſt Abbatis tranſire præceptum, ut legas, quantum ſi contemnas, ut dormias.

Sancta fuit actio Marthæ, ſancta contemplatio Magdalenæ, ſancta poenitentia & lacrimæ, quibus pedes Chriſti Domini rigabantur: ſed hæc omnia nimirum oportuit fieri in Bethania, quam vocem domum obedientiæ interpretantur: ut ea re, quemadmodum ait ſanctus Bernardus, (In Serm. ad mili. templ. c. 13.) nobis ſignificare voluiſſe Dominus videatur, Nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, nec lacrimam poenitentis, extra Bethaniā illi accepta eſſe potuiſſe.

Quocirca voluntates veſtras, fratres cariſſimi, quo ad ejus fieri poteſt, omnino deponite: libertatem conditori veſtro, quam vobis ipſemet elargitus eſt, in ejus miniſtris libere tradite, ac dicate: nolite exiguum veſtri liberi arbitrii fructum putare, quod liceat vobis illud, à quo id eccepiſtis,

ftis, eidem per obedientiam plene reddere. Quod cum facitis, non modo non perditis ipsum, verum etiam augetis, atque perficitis; quippe qui vestras omnes voluntates certissima rectitudinis regula moderemini voluntate divina, quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine præsidet.

*Falsa obedientia est, quæ voluntatem Superioris ad suam detorquet.*

Itaque diligenter illud etiam cavendum est, ne Superioris ulloun quam tempore voluntatem (quam ducere pro divina debetis ) ad vestram detorquere nitamini id enim esset non vestram divinæ conformare, sed divinam vestræ voluntatis norma regere velle, eiusdem divinæ sapientiæ ordinem invertentes. Sane quam magnus est error, & quidem eorum quos amor sui obcæcavit obedientes existimare sese, cum Superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint. Sanctum Bernardum in hac re præclare exercitatum audite, ( In serm. de tric. ordin. Eccle. ad Patres in capitulo. ) *Quisquis*, inquit, *vel aperte, vel occulte satagit, vt quod habet in voluntate hoc ei spiritualis Pater injungat; ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.*

Quæ cum ita sint, quisquis ad obedientiæ virtutem velit pervenire, oportet ad hunc secundum obedientiæ gradum ascendat, ut superioris non solum jussa exequatur, sed etiam ejus voluntatem suam faciat, seu potiùs suam exuat, ut divinam à Superiore expositam induat.

*Tertius & summus obedientiæ gradus in Judicii etiam proprii subjectione consistit.*

Qui verò se totum penitus immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoq; qui tertius.

as, & summus est gradus obedientiæ, offerat necesse est; ut non solum idem velit sed etiam ut idem sentiat, quod Superior, eiusq; judicio subijciat suum, quo ad potest devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animi, tametsi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita est, atque ipsa natura fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari, quæ res cum incidunt, debet, quisquis obedientiam profitetur inclinare sese in sententiam Superioris.

Etenim cum obedientia sit quoddam holocaustum, quo totus homo sine vlla prorsus imminutione Conditori suo, ac Domino per manus ministrorum in caritatis igne immolatur; cumque sit eadem renunciatio quædam integra, per quam omni suo jure sponte decedit religiosus, ut divinæ providentiæ Superioris ductu gubernandum, ac possidendum ultro se se addicat, ac mancipet: negari non potest, quin obedientia comprehendat non solum executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat, sed etiam judicium, ut quæcunque Superior mandat, ac sentit, eadem inferiori, & recta, & vera esse videantur, quatenus, ut dixi, vi sua potest voluntas intelligentiam flectere.

*Necessaria obedienti Iudicii Obedientia.*

Vtinam hanc mentis, ac iudicii obedientiam, ita & intelligerent homines, & exercerent, ut grata Deo est, ac omnibus, qui in religione vivunt, necessaria. Nam ut in corporibus, globisque cœlestibus, ut alius alium afficiat, moveatque requiritur, ut certa quadam convenientia & ordine infe-

ferior orbis superiori subijciatur. sic in hominibus, cum alter alterius auctoritate movetur, quod perobedientiam fit: oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, subseruiat, & obsecundet, ut virtus ab imperante ad eum derivetur, & influat. Hæc autem obtemperandi obsecundandiq; ratio constare non potest, nisi voluntas, ac judicium inferioris cum Superioris voluntate, ac iudicio congruat.

Iam verò si finis, & causa obedientiæ spectatur, quemadmodum voluntas, ita & iudicium in eo, quod nobis convenit, decipi potest: ergo sicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate coniungitur; sic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda est. ( Proverb. c. 3. ) *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, Sacræ literæ monent, atque in rebus etiam humanis censent sapientes, verè prudentis esse, sua ipsius prudentia minimè fidere; præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni iudices esse non possunt. Quod si in rebus nostris alterius etiam non Superioris, iudicium, atque consilium nostro anteponendum est; quanto magis ipsius Superioris, cui nos, ut Deo vicem gerenti, ac divinæ voluntatis interpreti moderandos tradidimus: In causis verò, personisq; spiritualibus eo major etiã cautio procul dubio est necessaria, quo gravius est spiritualis vitæ periculum, cum sine frenis consilij, discretionisuè in ea decurritur. Qua de re commodè Cassianus in Collatione Abbatis Mosiait, ( Coll. 2. cap. 11. ( *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum eum neglectis consilijs seniorum, suo iudicio persuaserit, definitioniq; confidere-*

Præterea, nisi hæc obedientia iudicii existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel exe-

executio talis ſit, qualem eſſe oportet. Natura enim ita comparatum eſt, ut animi noſtri vires quæ appetitivæ dicuntur, ſequantur aprehenſivas, & niſi adhibita vi, voluntas iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quod ſi forte quis aliquo temporis ſpatio obediat per communem illam apprehenſionem, qua cenſetur, & perperam etiam præcipienti parendum eſſe; certe id ſtabile, ac fixum eſſe non qoteſt, atque ita perſeverantia deficit, vel ſaltem obedientiæ perfectio, quæ in prompte, & alacriter obediondo conſiſtit. Non enim ibi poteſt eſſe alacritas, ac diligentia, ubi eſt animorum, ſententiarumq; diſſenſio.

Perit etiam exequendi ſtudium, & celeritas, cū ambigitur expediat, nec ne, facere quod jubemur: perit celebris illa obedientiæ cœcæ ſimplicitas, cum apud nos ipſoſosin quæſtionē vocamus rectene poæcipiatur, an ſecus, atque etiam fortaſſe damnamus Superiorem, quod ea mandet, quæ nobis non ita jucunda ſunt: perit humillitas quoniam & ſi ex altera parte patemus, ex altera tamen noſmet ipſos Superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo: perit denique ( ut ſummatim complectar ) virtutis hujus vis omnis, ac dignitas ſuccedunt autem in eorum locum dolor, molaſtia, tarditas, laſſitndo, obmurmurationes excuſationes, aliaque vitia non ſane levia, quibus obedientiæ pretium, ac meritum profuſ extingvitur.

Itaque ſanctus Bernardus, de ijs, qui graviterferunt imperata minus ſibi ſuavia, ſic ait, (Serm. 3. de Circumcis. ) *Hæc ſi moleſtè cæperis ſuſtinere, ſi dijudicare Prælatum, ſi murmurare in corde: etiam ſi exterius impleas, quod iubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ.* Quod ſi pax, & tranquillitas animi quæritur: certe hac non frue-

 tur,

tur, qui habet intra sese causam perturbationis, atque tumultus dissensionem, videlicet iudicii proprii ab obedientiæ lege. Atque idcirco, tuendæ concordiæ causâ, quæ Societatis omnis est vinculum, tantopere hortatur Apostolus, ( Rom. 15. 1. Cor. 1, 2. Cor. 13. Phil. 2. ) ut id ipsum omnes sapiant, & dicant; nimirum ut consentientibus & iudiciis, & voluntatibus mutuò foveantur, & conserventur. Iam si unum eundemque oportet esse membrorum sensum, & capitis; facile cernitur, utrum sit æquius, caput membris, an membra capiti consentire.

*Præstantissima judicii obedientia.*

Atque ex his quidem, quæ dicta sunt hactenus, satis apparet, obedientia judicii quam sit necessaria. Quam verò sit eadem ipsa perfecta, grataque Domino, inde primùm ostenditur; quod per eam præstantissima pars hominis, ac pretiosissima Domino consecratur: deinde quod obediens ita fit holocaustum viuum, gratumque Maiestati Divinæ, cum nihil suimet omnino retineat: postremo quod magna est huius certaminis difficultas; frangit enim se se Dei causâ obediens ipsemet, resistitque naturali propensioni, quæ omnibus hominibus insita est ad suam complectendam, sequendamq; sententiam. Ex his igitur rebus efficitur, ut obedientia, tametsi propriè voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam, ac paratam, nihilominus ad intelligentiam quoq; ipsam ut diximus, pertinere debeat, eamq; inducere ad sentiendum id ipsum, quod sentit Superior: sic enim fiet, ut omnibus connixi viribus, & voluntatis, & intelligentiæ ad executionem celerem, atque integram veniamus.

*Media ad comparandam Iudicii obedientiam tria.*

Pri-

*Primum: Christum in Superioris persona intueri.*

Videor mihi vos, fratres carissimi, audire dicentes; de virtutis quidem huiusce necessitate ambigere, illud verò ut cognoscatis, vehementer optare quo, pacto ad eius perfectionem pervenire possitis. Huic ego quæstioni cum Sancto Leone, (Serm. 5. de Epip.) ita respondeo: *Nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus.* modò non desit vobis humilitas, non desit mansuetudo; non utique deerit Deo benignitas ad vos adjuvandos, ut quæ sibi promisistis, ea præstare possitis animo non solnm æquo, sed etiam libenti.

Præterea vobis tria nominatim propono, quæ ad obedientiam judicii comparandam multum iuvant. Primum illud est: ut, quemadmodum initio dixi; non intueamini in persona Superioris hominem obnoxium erroribus, atque miseriis, sed Christum ipsum, qui est sapientia summa, bonitas immensa, caritas infinita, qui nec decipi potest, nec vos vult ipse decipere: & quoniam conscii vobismet estis, vos Dei amore iugum obedientiæ subiisse, ut in Superioris voluntate sequenda volūtatē divinam certius sequeremini; nolite dubitare, quin pergat fidelissimi Domini caritas, eorum ministerio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, & rectis itineribus ducere. Itaque Superioris vocem, ac iussa, non secus ac Christi vocem excipite; siquidem Apostolus etiam in hanc sententiam scribens ad Colossenses, (cap. 3. ) cum ad obtemperandum Præpositis subditos adhortatur ; ait: *Quodcunque facitis ex animo operamini sicut Domino & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite.* Sanctus verò Bernardus; in tractatu de præcepto &

dispensat. fere initio. *Sive Deus* ( inquit ) *sive homo vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcepit homo.* Atque ita, si non hominem externis oculis, sed Deum inspexeritis internis; haud sane grave fuerit vobis volnntates vestras, atq; iudicia conformare ad eam regulam actionum vestrarum, quam ipsimet elegistis.

*Secundum medium: adamare quæcunq; iubentur propter Christum.*

Altera est ratio, ut, quod Superior mandat, vel sentit, defendere semper apud animos vestros studiosè nitamini, improbare autem nequaquam, atque ad eam ipsam rem proderit bene animatos, affectosque esse ad id omne, quod ipse iusserit: sic em̃ fiet, non solum ut sine molestia, sed etiam ut cum voluptate lætitiaque pareatis. Nam ( ut est apud Sanctum Leonem Ser. 4. de. ieiunio septimi mensis. ) *Non dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod iubetur.*

*Tertium medium: mandatum Superioris, pro Dei mandato habere.*

Postrema subiiciendi iudicii ratio est cùm facilior, tutiorqne, tum etiam apud sanctos Patres in more posita; ut statuatis vobiscum ipsi quidqnid Superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem, atque ut ad credendá, quæ catholica fides proponit, toto animo assensuq; vestro statim incumbitis, sic ad ea facienda; quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetn voluntatis parendi cupidè sine ulla prorsus disquisitione feramini. Sic egisse credendus est Abraham, ( Gen. 22.) filium Isaac immolare iussus: sic novi testamenti tempore aliqui, è sanctis Patribus iis, quos commemo-

memorat Cassianus, ( Lib 4. c. 24. & 26. ( ut Joannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum, non reputabat utileue esset, an inutile; ut cum aridum lignum tanto, ac tam diuturno labore per annum irrigavit: nec utrum fieri posset, nec ne; ut cum conatus est tam ex animo ingens saxum solus dimovere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent: quod obedientiæ genus ipsis interdum miraculis divinitus comprobatum videmus. Nam ( ut alios taceam, quos ipsi non ignoratis ) Greg. 2. dialog. c. 7. Maurus sancti Benedicti discipulus, mandato Superioris lacum ingressus, nec mersus est: alius quidem à Superiore iussus, ( In vitis Patrum 2. par. libr. de obed. ) leænam ad se ducere, illam cepit, atque perduxit.

Est igitur hec ratio subiiciendi proprii iudicii, ac sine ulla quæstione sanciendi, & collaudandi apud se, quodcunque Superior iusserit, non solum sanctis viris usitata, sed etiam perfectæ obedientiæ studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto coniunctæ non sunt.

*Quomodo se gerat obediens, dum quid ei Superioris sententiæ contrarium occurrit.*

Nec tamen idcirco vetamini, si quid forte vobis occurrat à Superioris sententia diversum, idque vobis ( consulto suppliciter Domino ) exponendū videatur, quominus id ad Superiorem referre possitis: verum in hac re, ne vos amor vestri, iudiciumq; dicipiat, illa cautio est adhibenda, ut animo sitis, & ante, & post relationem æquissimo, non solum quod pertinet ad eam rem, de qua agitur, vel suscipiendam, vel deponedam; sed etiam ad approbandum, rectiusq; putandum quidquid Superiori placuerit.

*A legitima subordinatione singulorum, tota Societatis*

*tis conservatio & integritas pendet.*

Atque hæc quæ de obedientia diximus, æque privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus, Præpositisq; localibus erga Provinciales, Provincialibus erga Generalem; Generali deniq; erga illum, quem Deus ipsi præfecit, nempe suum in terris Vicarium, observanda sunt; sic, ut & ordinum perfecta distinctio, ac proinde pax retineatur & caritas, sine qua nec Societatis nostræ, nec alterius cuiusvis Sodalitii posset recta gubernatio conservari.

Nimirum hoc modo providentia illa Divina disponit omnia suaviter, ( Sap. 8. ) infima per media mediaperſumma ſuos ad fines cũcta perducens Hinc illa videlicet in Angelis unius Hierarchiæ ad aliam subordinata series; hinc & coelestium, & aliorum omnium, quæ moventur, corporũ certis locis, ac sedibus inter se apta connexio, quorum conversiones, ac motus ab uno movente supremo gradatim omnes usque ad infimos rite proveniunt. Idem in terris cum in omni civitate bonis instituta legibus, tum vero in Hierarchia Ecclesiastica cernitur, cuius omnia membra, & functiones ab uno Generali CHRISTI Domini nostri Vicario derivantur; & quo accuratius hæc dispositio, & collocatio custoditur, eo rectior est gubernatio, & melior: contra vero huius ordinis negligentiã, quàm gravia incommoda multis omnium Societatibus importentur, nemo non videt. Atq; idcirco in hac, cuius mihi nonnullam procurationem, ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri, vigereq; percupio, quasi in ea Societatis nostræ bonum, ac solum universã consistat.

*Seria B. P. N. Ignatii ad obedientiam adhortatio.*

Quæcum ita sint, ut unde exorsa est, ibidẽ termine-

minetur epistola; vos ego per Christum Dominũ nostrum obtestor, qui sese nobis non modo præceptorem, sed etiam exemplar præbuit obedientiæ, ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis, & gloriosæ victoriæ appetentes, atq; avidi, vosmetipsos superare, id est excelsiorem & difficiliorem animi partem, voluntatem dico, atq; iudiciũ expugnare, & subjicere studeatis, quo Dei Domini nostri solida, veraq; cognitio. atq; amor vestros ad se animos penitus trahat, totoq; vitæ huius, & quasi peregrinationis curriculo usq; eo gubernet, ac regat, dum vos demum aliosq; complures, vestra opera exemploq; adiutos, ad ultimum & felicissimum finem, nimirum ad beatitudinem sempiternam perducat. Vestris ad Deum precibus me valde comẽndo. Romæ vii. Kal. Aprilis MDLIII.

# DE RENOVATIONE SPIRITVS.

Epistola R. P. N. Claudii Aquavivæ, ad PP. Fratresque Societatis JESU

*ADMODVM REVERENDI in Christo Patres, Fratresq; carissimi.*

*Pax Christi, &c.*

*Renovationem Spiritûs continuam requirent à nobis, tum magna animarum messis nobis proposita, tum ipsum institutum Societatis, tum tot Ecclesiæ & orbis calamitates &c.*

SPiritûs ac fervoris renovatio spiritualibus ac religiosis hominibus adeò necessaria est, Patres Fratresque carissimi, ut studium hoc cum semper flagrans esse in nobis omnibus velim, tum præcipue hoc tempore. Nunc enim JESVS Dominus noster non septentrionibus modo & oriente, alios ex ali-

ex alijs agros nobis colendos assignans ait. *Videte regiones, quia albæ iam sunt ad messem:* verum etiã in Indiis, vel Orientis, vel Occidetis, præsertim verò in Iapone insula vastissima campum latissimum aperit, ubi ad Christiani nominis, Divinæque gloriæ amplificationem longè lateque nostra excurrere possit industria. Itaque, si quando nostri ordinis homines, & suæ perfectionis studio, & summa cum Deo coniunctione aptos se & idoneos Dei ministros præbere debuerunt; nunc quidem profecto quam maximè debent. Neque enim multitudo solum Ecclesiæ calamitatum, acerbitasque verberum, quæ nobis Divina severitas infligit, sic, ut graviora etiam (ad huc enim manus eius extensa) in dies minitetur, nos admonet, ut imperfectum nostrum lugeamus, & murum nos opponamus pro domo Dei; sed etiam instituti nostri debitum cogit, tam multis panem, quo æternam ad vitam alantur, petentibus aliquando frangamus.

Atque, ut de aliis taceam, ex Iapone proximis Nostrorum literis affertur, Reges aliquot ac Dynastas quatenus inprimis, quanquam nondũ Christianos, templis multisDeorũ eversis, nonnullis etiã Christo excitatis, potestatẽ nostris hominibus Evangelij prædicandi, populis suis suscipiendi fecisse, ut Christianæ religionis propagandæ spes ostendatur vel maxima. Ergo illi admirantes in captura piscium, annuunt socijs ut veniant & adiuvent eos. Quoniam quidem magnam Deus spem & facultatẽ affert suis retibus concludendi tam copiosam gentem & idoneam, ut iam adesse tempus videatur, cum per hosce qualescumq; operarios etiam in maxima illa atque horrida ethnicorum sylua id efficiat Dominus, quod in Filii sui adventu facturum se prolixè Isaiæ ore pollicetur. ( Isaiæ 41. )

Cum enim ille dixisset, *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.* adiungit: *Dabo in solutudinem cedrum, & spinam* ( quæ arbor & specie & immortalitate cæteris antecellit ) *& myrtum & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul, ut videant & sciant, & recogitent & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc*, ut scilicet in ariditate gentium ( quemadmodum D. Hieronymus interpretatur ) invenirentur fluenta virtutum, & in terra quondam deserta plenaque salsuginis cedrus & cyparyssus, & aliæ arbores nascerentur.

Ergo ut omnes ad hanc mentis ac spiritus renovationem accenderemur, adductus sum ut per literas, quoniam coram non licet, de iis vobiscum agerem, quæ ad hoc negotium pertinere maximè arbitror. Vt autem tota res ad certum ordinem redigatur, eam ad duo capita revocare conabor, si prius, quibus in rebus hæc, quam dico, renovatio sita sit, ostendero. Primū enim quanti ea sit momenti, ostendemus: tum remedia aliquot exponemus, quæ nos ad eam consequendam non mediocriter iuvare possint.

## PRIMA PARS.

*In quo sita sit plena Renovatio Spiritûs, scilicet in primo feruore recuperando, & in vetere homine exuendo.*

Atque ut planius intellgatur qua in re hæc instauratio consistat, qnid inveteratum sit animaduertamus necesse est. Quod si attenderimus, reperiemns mentem illam, ardoremque animi nobis initio datum à DEO, consenescere, hoc est item uti res veteres neqne nitorem, neque celeritatem, neque usus cæteros habere, quibus præditæ sunt recentes ac novæ. *Vetu-*

*Vetustatis nostræ signa.*

Vetustatis illa argumenta esse possunt: orare ac meditari divina sine sensu animi atque fructu: ægre se se colligere,& ad cor redire,cogitata, dicta, factaque sua sine pudore, proposito, emendatione cursim examinare: in res externas libenter effundi, idque non proximi iuvandi gratia, seb tædii vitandi: solatiola è rebus creatis cupidius emendicare: liberius obloqui, & aliena dicta ac facta carpere: religionis disciplinam levem olim ac suavem iniquo animo ferre: ad otium aspirare: in animarum zelo languere, laboresque earum caussa suscipiendos, qui dulces olim erant, acerbos ducere, ægrè, tardè, repugnanter obtemperare: honorificè ab omnibus, indulgenterque tractari velle, immunitates & commoda singularia postulare: in animum inducere: se laborare plus æquo, nihilque esse, quod non tibi debeatur, aliaq; generis eiusdē.

Quæ quidem argumenta omnia facilè declarant naturam, quæ sui juris retinens admodum, atque appetens est, antea ferventis gratiæ beneficio compressam ac domitam,tanquam intentum arcum nervo remisso, ad ingenium redisse. Id autem committere nihil aliud est, nisi divinæ gratiæ opus ac vim labefactare; & integritatem, colorem symmetriam tollere, quibus rebus animæ Deo desponsæ & copulatæ forma continetur. Hæc igitur omnia renovanda sunt, id est, in pristinum revocanda statum, atq; adeò nova facta accessione cumulanda, *Iustorum enim semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* ( Pro. 4. )

*Vetus homo noster.*

Sed quoniam non hæc vna in nobis senectus est ex virium langvore: verum etiam illa interior( veterem hominem Apostolus vocat ) quæ nisi omni studio-

ſtudio vigilantiaque arceatur, perennis eſt fons pri oris, propterea omnino veterem hominem exuere, novũ induere, oportet motus õnes atque impetus a nimi quibus impellimur, ut nos ac noſtra ſpectemus, ut ad rem quampiam mortalem & caducã adhæreſcamus; ut divini obſequii puritas ac libertas retardetur: ut minus prompti & agiles ſimus ad Dei voluntatem, hæc inquam omnia veteris homini, vitia ſunt.

Quocirca renovatio poſita erit tum in primis illis propoſitis ac fervoribus revocandis; tum verò in veteri homine vitioſaque natura exuenda. Sic prorſus ut voluntas noſtra ( quo ad hæc exulum vita patitur ) perpetuò intueatur divinam, ſeq; totam ad eius arbitrium ac nutum fingat, & accommodet: quidquid DEO placet, vehementer expetat; quidquid diſplicet, conſtãtiſſimè reſpuat: omni denique conatu penitus homo à ſeipſo deſciſcat, ubi factus ſibi ipſi terra ſterilis, & regio egeſtatis veteraſcit atque corrumpitur ſecundum deſideria erroris: accedat autẽ ad eum, qui ut nobis appropinquaret, ad noſtram deſcendit humilitatem, ut ibi ſcilicet, tanquam in vitali regione, in iuſticia & ſanctitate veritatis quaſi aquilæ renovetur iuventus noſtra, itaq. alacriter progrediamur quotidie, ut nunc primum iter ingredi videamur.

*Continuò ad anteriora progrediemdum.*

Quod quidem nobis præcipit, dum de ſe profitetur Apoſtolus; (Phil. 3. (*Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora extendens meipſum ad deſtinatum perſequor bravium ſupernæ vocationis.* Nam (ut ad eum locum notat Divus Chryſoſtomus Homil. 12.) qui tantum ſibi proceſſiſſe videtur in ſtadio, ut iam ad calcem ſe perveniſſe arbitretur, de curſu utiq; conſiſtit, at qui etiamnum à meta abeſſe ſe cogitat,

decurrere neutiquam desistit.

Idem igitur faciendum est nobis, etiam simaximos in virtute progressus habeamus. Etenim si Paulus ipse ( inquit ille ) sexcentis mortibus, periculisque perfunctus ita de se ipso sentiebat, profectò multo magis convenit nos sentire de nobis. Et nimirum hac demum ratione sanctarum virtutum species conservatur, ac nitor. Quippe animus noster ( inquit Gregorius Libr. 22. mor. c. 2. ) dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione feruoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur, *Renovamini spiritu mentis vestræ*. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis iam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat. *Dixi, nunc cœpi*, quia videlicet nisi lassescere ab inchoatis bonis volumus, valdè necesse est, ut inchoare nos quotidiè credamus.

Id verò quanti intersit, Magnus Antonius declaravit qui ( ut in eius vita D. Athanasius refert ) fratrum coetu aliquod ab eo vitæ præceptum efflagitante, ita sermonem exorsus est, *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit*. Idque cum sæpe alias suis inculcavit, tum verò extremo iam spiritu quasi testamento legavit his verbis: Ego quidem, filioli, secundum eloquia scripturarum, Patrum gradior viam: iam enim Dominus me invitat; iam cupio videre coelestia. *Sed vos. ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis, hodie vos religiosum stadium arripuisse arbitremini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescat*. Sed quoniam nihil attinet, hac in re diutius immorari, ad huiusce renovationis necessitatem veniamus. SECUN-

# SECUNDA PARS.

*Quàm sit necessaria Renovatio Spiritûs ex tribus capitibus æstimandum est.*

HÆc autem quanti momenti sit, tribus ex capitibus ex parte intelligi poterit.

1. Primum ( quod ad salutem perfectionemquè nostram attinet ) si attendas perfectæ vitæ consectandæ obligationem: intestinos rebellantium affectionum tumultus, externas occupationes ac prælia, quæ solidarum germanarumque virtutum, quasi armorum assiduam tractationem exercitationemque desiderant.

2. Deinde ( quod spectat ad salutem adiumentumqne aliorum ) si nomina expendas, quibus nominibus ex nostro istituto hominibus opitulari debemus, quantum opis ac virium ad eos à pravitate vitæ ad innocentiam, pietatemque convertendos requiratur: quo zelo, qua caritate, qua patientia, qua coelesti luce opus sit ad idonea remedia adhibenda: qua humilitate, ne qua ex parte impediatur id, quod per nos Deus efficere molitur: qua prudentia, ne in adiumento aliis afferendo, ipsi detrimentum accipiamus.

3. Denique ( si res ipsa spectetur )quia facilè admodum ( autore *D.* Greg. l. 17. mor. c. 16. ) fervor hic mentis ac studium virtutis refrigescit atq; inveterascit. A fervore eñ mentis ( inquit ) vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, & assumptæ novitatis speciem fuscamus, quo fit, ut nihil religioso viro tam suspectũ esse debeat,( nihil enim æque periculosum )quàm si in se studium procedendi in virtute, & perfectæ vitæ persequendæ refrigescere sentiat

*Tepiditas omnis, maxima animæ pericula creat.*

Etenim ea res non modò facit ut lentè gradiamur, aut potiùs consistamus, & ad speciem duntaxat, usurpationemque consuetudinis nostra munera obeamus; verùm etiam assiduè tanquam tinea quædam vires roburque nostrum sensim sine sensu corrodit. Itaque idem nobis quod tigno carioso usu venit, quod etsi integrum videtur extrinsecùs, tamen pondere imposito frangitur, & casu ipso ostendit, quid anteà vitii lateret interiùs. Eius autē qui ita affectus est, & moeror moerore cumulatur, & vita ac salus periculis magnis exponitur. Ita fortes olim ac robusti debilitantur paulatim, ac franguntur. Lapides enim ( ut ait Scriptura Iob. c. 14.) excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur. Nam revera perpetuò enitendum, & tanquam adverso flumine progrodiendum est ei, qui retro rapi nolit, ac regredi. Fortasse enim idcirco D. Petrus Dominum negavit, quòd sequebatur eum à longè.

Neque verò existimandum est ( ut ait D. Bernardus Serm. con. vit. ingr ) cùm ruinæ alicuius cernuntur, tum incipere damnum: sed quia comederunt alieni robur ejus, & ignoravit. Ob eam causam ita nos Spiritus sanctus admonet: ( Eccles. 10. ) *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum stillabit domus.* Nam ut disturbare domum nemo conetur, tamen si imber paulatim tegulas pervadens tigna putrefecerit, profectò unius pigritiæ vitio tectum corruet, & inutiles reddentur ad habitandum, quamuis amplæ ædes atque magnificæ. Hinc odiosus ille tepor, qui Deo ( ut ipse in Apocalypsi denunciat ) nauseam movet, ac vomitum. Quem quidem locum Daniel Abbas apud Cass. in sua collatione 4. c. 19. hisce verbis explanat, quæ mirificè rem ante oculos constituunt.

*Nec*

*Nec immeritò eos Dominus, quos iam in visceribus receperat caritatis, noxiè tepefactos quadam convulsione pectoris sui evomendos esse pronunciat, qui cum salutarem quodammodo ei potuissent præbere substantiam, avelli ab ejus visceribus maluerunt, tantò deteriores effecti illis, qui nunquam ori dominico illati sunt cibis, quantò id quod nausea compellente projicimus, odibilius detestamur.*

Causæ Tepiditatis variæ.

1. *Naturalis peccati fomes.*

Equidem nos hujus teporis causas & multas habemus, & intestinas. Cupiditates enim ( quas membrorum leges vocat Apostolus Rom. 7. ) cœteræque pravæ affectiones sacrum nobis ignem restingvere conantur: atque uti nos Spiritus sanctus, suo nos amore incendens, erigit, & extollit, ita hæ pestes contrà opprimunt, atque prosternunt. Quod si ambitio, honorisque cupiditas, si commodorum desiderium, si impetus iracundiæ, si livor invidiæ, animos nostros deprimunt, ac deorsum trahunt, & tum hoc vitium, tum illud, tum universa nos degravant, quem tandem ad perfectionis culmen nostræ industriæ cursum fore putamus? Vtinam, quemadmodum hoc impedimentum plane intelligimus, atque adeo in se quisque plus minùsve experimur, ita ad id removendum oculos aliquando aperiamus.

2. *Continuus & maximus hostis noster Diabolus.*

Nam quid ego de externis bellis pugnisq; dicam? mitto hostem, qui præterquam quod hoc est in prælio superior, quod est invisibilis, calliditate usuque valet plurimum, quippe qui cum tot tantisque viris depugnarit, interdumque victor è pugna discesserit; ita prætereà pollet viribus, ut existimet ( quod ait Iob 41. ) quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs. Nihil dico de perpe-

tua eius vigilantia, qua nos dies & noctes impugnat, nihil de pertinacia, qua nos obsidet atq; oppugnat non unum alterumve mensem aut annum, sed vitam plane universam. Taceo insaturabile odium, quo ad eos potissimum devorandos rapitur, qui arctissimis se cum Deo vinculis devinxerunt. ut vere dicatur, ( Abac. 1. ) *Cibus ejus electus.*

3. *Continua inter homines conversatio.*

Venio ad ea, quæ tum domesticis, tum externis hostibus tela acuunt ac suppeditant. Primum igitur, nisi nimios animi motus domitos habeas, teque assidue in eis frangendis ac vincendis exerceas, quoties te offensurum esse censes: Quod si hæc cura religiosis viris omnibus necessaria est, quanto tandem magis iis, qui opitulando aliis, in hominum coetu quasi in acie versantur. Nam ( ut prudenter disserit Chrysostomus Libr. 6. de Sacerd. ) in his ce omnibus eæ belluæ ( sic enim vitiosas animi affectiones appellat ) pabuli multò plus habent. Superbia enim laudibus & honoribus alitur, qui suapte sponte consequuntur concionandi munus, literarumque, & aliarum rerum tractationem, quæ hominum oculis patent: Invidia aliena existimatione & famâ inflammatur: Ira, si quis nobis se se opponat. Quamobrem ejusmodi Christi milites necesse est gloriæ contemptores esse iracundiam compressam, cæterosque impotentes animi motus subactos, in sua ditione ac potestate habere. Hi enim motus haud dubie facilius se se produnt in hoc misto vitæ genere eorum, qui in suam aliorumq; salutem incumbunt, quam in simplici illa vitæ ratione eorum, qui sua perfectione contenti sibi vacant, & Deo. Quare idem Chrysostomus eodem loco: ut ignis ( inquit ) metalla probat, ita Cleri exacta probatio mortalium animos secernit atque in-

terno.

ternoscit. Ac si quis est vel iracundus, vel pusillanimis, vel gloriæ appetens, vel arrogans, vel alio quovis morbo obsessus, id omne detegit, ac latentes statim morbos denudat.

*Occupationes & distractiones magnæ.*

Iam si occupationes assiduæ ( ut D. Bernadus tradit Lib 1. de consid. )sibi hominem quodammodo furantur, facilè apparet, quàm sit mentis renovatio ad nosmetipsos tuendos conservandosque necessaria.

*Vt fervor noster maximo adiumento est conversioni animarum: ita tepiditas maximo impedimento.*

Nam quod ad iuvandos alios attinet, pauca illa capita, quæ supra exposuimus, attigisse satis est. Illud tamen non prætermittam, quod in mentibus ac visceribus vestris hærere summopere exopto. Qui in hominum animis ad bonam frugem revocandis versantur, horum ut virtutis ardor atq; impetus maius omnium opinione momentum habet: ita languorem contrà ac vitia longa maximo esse detrimento. Idq; non idcirco solum, quia factis improbant, quod verbis docent; & altera manu ( ut ait Nazianzenus in senten. num. 4. ) animas advocare videntur, altera repellere; verùm etiam, quoniam ut nihil obsit exemplum, minus quidem certè idoneos se DEI administros præbent, minusq; efficaces. Quare debet quisque nostrûm imperfectum suum æstimare ac lugere non ex suo tantùm unius damno, sed aliorum etiam multorum, quorū salutem impedit. Nam ut parum fermenti magnam farinæ massam in se se convertit, panemque omnem bonum efficit; ita non quantitate numeri ( ait Divus Chrysostomus de virt. & vit. ) sed gratia Spiritûs vim suam justi homines tenent. Sic enim Apostoli duodecim numerô, parvi instar fermenti

maximam orbis terræ maſſam fermentårunt. Sic omnibus ætatibus in Eccleſia DEI homines non magno numero, ſed magna vi ac virtute, quid efficere poſſent, cum illuſtri orbis terrarum emolumento declarârunt. Sic deniq; ( domeſtica exempla non deſunt ) primos illos Societatis noſtræ Patres admodum parvos,induſtriæ ſuœ fructus tuliſſe ſcimus tantos, quantos DEI beneficio ipſi videmus, ac fruimur. Hinc profectò colligitur commodum æque & incommodum, quod ex parvo fermento bono,maloqvè naſcitur, univerſum in panem redundare; uſuq; evenire poſſe, ut alicujus è Societate vitium & culpa, quæ per ſe alioqui levis æſtimaretur, converſionem tamen impediat ſalutemque multorum. *Ergo impigrè profectui quotidiano intendamus.*

Sed ut alterum hoc caput epiſtolæ concludam, unum addam ex D. Baſilio, qui illa Deuteronomii verba ( cap. 15. ) ex ſeptuaginta interpretum verſione luculenter explicans, *Attende tibi ipſi*, hanc, ait, ſententiam omnibus neceſſariam, omnibus temporibus, omnibus ordinibus eorum, qui DEI Eccleſiâ continentur. *Habet enim*, ( inquit ) *Domus Dei, quæ Eccleſia viventis eſt, Venatores, Viatores, Architectos, Ædificatores, Agricolas, Paſtores, Athletas, Milites; omnibus his convenit breve hoc verbum, ſingulis, & diligentiam operis, & ſtudium propoſitæ voluntatis inducens.* Ac mihi quidem hæc omnia officia ac munera videntur, præterquam paſtoris ( quanquam hoc quoque proportione quadam accommodari poteſt ) in noſtræ Societatis homines convenire. Itaque Baſilii oratione, quam propter egregiam in hoc genere doctrinam fuſiùs exponendam cenſeo, & vos ego hortari poſſum, & ſe quiſque veſtrûm, ad ea,quæ dicuntur, attendens incitare.

*Venator es* miſſus à DEO ita monente, *Ecce ego mitto*

*mitto multos venatores, & venabuntur multos suprà omnes montes.* Attende igitur multa cum diligentia ne fortè fugiat te præda; ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis convictos Salvatori offeras.

*Viator es* ei similis qui orabat; *Gressus meos dirige:* Attende tibi ipsi, ne qua exorbites, neu ad dexteram deflexeris, aut sinistram, progreditor viâ regiâ.

*Architectus* solido tutove in loco jaciat & collocet fidei fundamentum, quod est JESUS CHRISTUS.

*Aedificator* quo pacto ædificet, videat, ut ne ligna, non foenū, neque calãmum, sed aurū, argentum, lapides pretiosos.

*Pastor es?* Attende ne quid te prætereat eorum, quæ ad obeundum munus istud pastorale attinent. Hæc porro quæ tandem sunt? Palabundum pecus & erraticum convertito: quod conquassatum est, & contritum, colligato quod, ægrotum, sanato.

*Agricolationisne professor?* ficum, infructuosa si est, circūfodito, illique ingerito, quæ conductura noveris ad edendos fructus.

*Miles?* collabora Evangelio: milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, adversum vitiosas carnis affectiones, induitor omnem armaturam DEI, ut probes te ei sisq; gratiosus Duci tuo, qui huic te militiæ adlegit. Provide; ut nullis impliceris vitæ istius negotiis & perplexis curis.

*Athleta es?* Attende tibi ipsi ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis inveniare transgressus: nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Imitare Paulum, & cursu contendentem, & in Palæstra colluctantem, & in agone pugillari decertantem: ut strenuus pugil ipse habeto animæ oculum nusquam evariantem, sed attentum & peruigilem. Premuni ac tuere passis manibus partes, quarum pla-

plaga lethalis sit, In adversarium immotum oculum intendito fixiùs. In stadiario cursu, qui tibi præcurrunt, in eos te extendens, fac assequaris. Sic currito, ut prævertas. In luctamine repugna invisibilibus adversariis. Per vitæ istius curriculum talis ut perseveres, hæc sancit sententia, nimirum animo ut sis non supino, aut concidente; sed arrecto. non dormiturienti; sed pervigili ac sobrio; quique multa cum vigilantia præsens sit, & nôrit sibi præesse. Cupientem me singula percensere, hic me deficiet dies. Hæc ille.

Atque hæc quidem, quæ dicta sunt de vitæ mistæ difficultate, de virtutis absolutione, quam illa desiderat, deque aliis rebus ejusmodi, quas aut sanctorum virorum auctoritas, aut usus ipse nos docet; hæc, inquam, omnia ad excitandos animos nostros, & ad eam, quæ in nobis requiritur, vigilantiam valent vel plurimùm. Sed videndum est, ne fortè contrà, quàm oportet, ut languorem cuipiam afferant, quominus ad perfectæ vitæ culmen aspiret, aut sic aliquem afficiant, vti iam præclaram vitæ rationem minusq; dulcem, minusq, expetendam putet. Sanè tantæ rei præstantiam qui intuetur, non potest non magnopere eam suspicere; quisquis autem bene de nostro instituto sentit, huiusmodi cogitatione vehementer impellitur: & scilicet, qui præscriptis à Societate remediis utitur accuratè, magnitudinem animi incredibilem DEI beneficio ac munere experitur ad quamcunque rem suscipiendam: planeque videt perdifficile non esse, quod antea fieri nullo modo posse judicabat.

TERTIA PARS.

*De variis renovandi Spiritûs adiumentis. Primum est, Diligens tantæ Necessitatis recogitatio, & examen quotidiani profectûs.*

REstat, ut ad ea, quæ valent ad renovationem (quod erat ex iis, quæ proposuimus, extremum) aliquando veniamus. Primum igitur ejus, quam exposui, necessitatis cogitatio ad eam rem valde conducet, eoq; etiam magis, quod etsi vita nostra terris superior, altiorq; esse debet, ( *in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus, sed nostra conversatio in cœlis est.* 2. Cor. 10. ) debemus tamen necessariò prædæ capiendæ causâ inter communis vitæ homines versari, eorumque vitia non levia solum, sed etiam gravia interdum cognoscere. In quo periculum est ( ut D. Basilius monet in reg fus. disc. c. 6. ) ne quis se cum aliis longè deterioribus comparans quodammodo sibi de virtute blandiatur, progressum scilicet suum metiendo non tam spacio ejus, quod restat, itineris, quam intervallo, quo alios post se reliquit.

Et vero sic naturâ comparatum est, ut oculos libenter convertamus ad ea; quæ nos delectant, avertamus ab iis, quæ offendere aliquo modo possunt. Atq; uti factæ progressionis, bonorumq; partorum cogitatio voluptatem: ita distantiæ contrà inopiæq; nostræ consideratio molestiam parit. Idque hoc etiã magis, quod ille nos aspectus ad quietem invitat, hic incitat ad laborem. Nimirum ut viatores, ubi tædere eos itineris cœpit, respectare solent quantum viæ confecerint: ita nos simul ac virtutis ardor restingui, & industria frangi coepta est, decursum spacium respicientes, facilè nos ipsos conferimus cum iis, quos aut in voluptatis coenum prolapsos, aut in avaritiæ dumetis hæsitantes, aut ambitioni & honori misere servientes in sæculo reliquimus.

Quamobrem metam perpetuò ante oculos propositam habere convenit, & quam longè ab illa etiamnum

amnum abſimus, ſedulò videre. Vt ſcilicet coram DEO, in clariſſima ejus luce, rectè facta, bonaque noſtra omnia divinæ veritatis ſtaterâ examinemus: quid ſortis demum ac rei familiaris domi noſtræ ſit, intelligamus, atq; hac ratione ſciamus quid deſit nobis.

Ac mihi credite permagni intereſt quotidiano ac peculiari vitæ examine uti diligenter, ut tecum te ipſe conferas, & tanquam prudens & induſtrius paterfamilias, cuſtoſque domûs tuæ, non modò ad fures arcendos advigiles; ſed etiam luſtres omnia, quid ad domeſticas rerum neceſſariarum proviſiones deſit, perſpicias. Hoc nimirum illud eſt, quod Salomon vir in ſapienti illa ac provida muliere Eccleſiam, atq; in ea cuiuſq; noſtrûm animam deſcribens, aiebat in Proverb. Prov: 31. *Conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit.* & paulò ante: *Quæſivit lanam & linum & operata eſt conſilio manuum ſuarum: facta eſt quaſi navis inſtitoris: de longè portans panem ſuum, & de nocte ſurrexit, deditq; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.*

2. *Adiumentum: Diligens beneficiorum Dei, & debitorum noſtrorum meditatio, quodq; ipſum non proficere, deficere ſit apud Deum.*

Deinde ad eam, quam dixi, vitæ renovationem magno erit adiumento divinorum beneficiorum meditatio, nominumque innumerabilium, quibus DEO inſervire debemus; ſimulq; illa cogitatio, quam in quodam ſermone Divus Chryſoſtomus, de virt. & vit. exponit: Nihil boni facere, nihil aliud eſſe, niſi facere aliquid mali, quippe cùm noſtro officio deſimus, & prætermittamus id, quod noſtri inſtituti profeſſio poſtulat.

Exempli cauſâ, inquit ille, ſi ſeruum habeas non rapacem, non ebrioſum, non contumacem; ſed ſobrium,

brium, moderatum, vitii omnis expertem: idem tamen totos dies si domi sedeat otiosus, omittatq; ea, quæ ad suum munus attineant, nonne graviter vapulabit? Atqui nihil maleficii commisit; sed satis maleficii est, munus officiumque suum neglexisse.

Quid agricola, qui cæteris quidem in rebus vacet culpâ, sed domi desideat, non serat, non aret, non vites colat, nonne is quoque vapulabit? At nihil injuriæ intulit, nihil damni; verùm cessationem ipsam, iniuriam, damnumq; ducimus.

Atque etiam in ipso corpore, si manus ita affecta sit, ut non linguam illa quidem præscindat, non oculos eruat, nihil deniq; detrimenti afferat, sed desidiosa cesset, reliquo corpori nullô inserviat; quis non istiusmodi manum inutilem, & præcidendam potius quàm retinendam putet? Eodem pacto, ait ille, non modò aliquid fecisse mali, verùm etiam aliquid omisisse boni magna comprobatur iniuria. Porrò divinis in rebus id ipsum multò magis apparet. Atq; haud scio, an ob eam causam DEVS per Prophetæ personam quæratur, ( Psalmo 34. ) *Retribuebant mihi mala, pro bonis sterilitatem animæ meæ.* Quod scilicet terra tam sedulò exculta, tot divinorum beneficiorum imbribus irrigata, tot Solis iustitiæ radiis tepefacta, si uberes fructus non ferat, mala retribuat pro bonis ei, qui tot illam benedictionibus dulcedinis prævenit.

*Quadruplex debitum nostrum in divinis.*

Equidem ( Patres, Fratresque carissimi ) nescio quî fiat, ut tantorum beneficiorum consideratione, tantoque divini erga nos amoris æstu non animorū nostrorum glacies( ut ita dicam) penitus liquefiat! quî fieri possit ut quatuor illa nomina, quæ nos DEO debitores constituunt, à D. Bernardo quodam sermone, ( de quadr. debit. ) breviter expensa, considе-

fiderantes: Satisfactionem scilicet peccatorum, quæ sempiternis erant suppliciis vindicanda; Creationem atque conservationem, quo nomine quod sumus, quod vivimus, DEI sumus; Divini sangvinis pro nobis profusionem, denique promissionem mercedis ac beatitudinis æternæ, nescio, inquam, qui eveniat, ut qui hæc secum reputant, non se & gratiores & liberaliores præbeant ei, cui se totos omnibus nominibus debent.

Quis enim multa pertulisse, multumque laborâsse sibi videbitur, si sempiternas inferorum poenas obierit animo, quas millies meritus est?

Quis queri poterit ab se nimium postulari, cum cor postulatur, si meminerit se se & naturæ & conservationis jure, totum ejus esse, cui se tradit.

Quis aliquid dare se existimabit, cum vitam reddet DEO suam, qui eam antea sua causâ profudit? Et certè nec ejus vitæ pretium, nec obligationis ratio, qua nobis teneretur, nec illorum conditio, pro quibus eam profudit, ullam in hac re comparationem admittit. Etenim si vitam Dei causâ ponimus, suum illi reddimus; facimus id pro eo, qui tot modis meritus est, ut faceremus: vitam denique ponimus pro eo, qui posuit ante pro nobis. Ille contra DEVS ac Dominus sanguinem ac vitam dedit non modò pro vermiculis, quibus nihil omnino deberet, sed pro servis, pro sceleratis, pro inimicis, quod nimirum Apostolus ( ut scitis Rom. 5. ) tantopere exaggerat.

Quis porrò carius ducet pretium momentaneum & leve, quo supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus sibi comparat, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?

Quæ cùm ita sint, nihil est quod non pro tot immortalibus promeritis, tali tantoque Domino anima de-

ma debeat. Itaq; mentem omnem nostram, cor, ossa, viscera ipsa clamare oportet, *Domine quis similis tibi*; eiusque laudem ac prædicationem in nostro semper ore versari. Nempe hoc frœnum est illud, quod se hominum generi DEVS iniecturum Isaiæ ore confirmat. (Isaiæ 48.) *Laude mea infrænabo te, ne intereas* Dulce verè frænum ac suave; quo, nisi forte retrectantes sumus & effrænati, nullo negotio flecti, reflectiq; possumus ad nutum & arbitrium regentis Dei.

Ac sanè si animus noster sui adhuc iuris manet, nec totum se DOMINO dedit ac tradidit, meritò sterilis dici potest, qui mala retribuat pro tot ac tantis bonis. Quo mihi spectare videtur DEVS, cùm apud Isaiam exclamat, Isaiæ 57. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, ac percussi eum: abscondi faciem meam, & indignatus sum, & abiit vagus in viam cordis sui.* Neq; enim qualiscunque avaritia est, sed incredibilis quædam avaritiæ iniquitas, si neges te ei, cui debeas omnia. Atque istiusmodi quidem hominibus iure accidit interdum, ut DEVS abscondat faciem suam ab eis, & abeant vagi in viam cordis sui, quæ quidem pœna est longè gravissima.

*Debitum Religiosorum singulare.*

Id adeo multo magis nos convenit, qui nos totos nova quadam voluntate consecravimus DEO, & per vota quasi holocaustum immolavimus; in quo ille holocausto gravissimè fert surripi sibi aliquid ex eo, quod fuerat consecratum. Huc enim etiam divinam illam vocem derivare possumus. (Isaiæ 61.) *Ego DOMINVS diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto.*

Nos verò steriles & ingrati erimus, si nostra in Deum officia exiliter ad calculos revocabimus, quasi verentes ne maior datorum ratio sit, quàm acceptorum:

rum: si divini obsequii annos, si susceptos labores, si præsentem disciplinam, si emolumenta à nobis in proximos profecta numerabimus ac pendemus. Hæc enim omnia nova beneficia sunt, quibus etiã arctiùs devincimur. Quare Divus Bernardus Serm: 83. in Cant. negat animam nostram amori cælestis Sponsi mutuo respondere ullo modo posse. Nam & cùm se totum, inquit, effuderit in amorem, quantum est hoc ab illius fontis perenne profluvium? Quocirca permagni mihi ponderis videtur quædam D. Chrysostomi sententia, qui illam Isaiæ visionem tractans, *Vidi Dominum*, & quæ sequuntur, ait, Seraphinos alis non ora solùm tegere, quod intelligentiæ obtutum figere in summa illa luce nequeant, sed pedes quoq; contegere, quae reverentiæ amorisq; sui exiguitatem erubescant, qui non pro ejus dignitate Procreatorem suum diligant, neq; tanta ejus caritate flagrent, quantam præcellentissima illa natura postularet. Quod si Seraphini ipsi beatorum spirituum Principes, qui á divini amoris ardore nomen invenerunt, minus ab se quàm par esset, amari Deum erubescunt; cujus tandem oris & impudentiæ erit homuncio, si in animum inducat suum se DEI causâ plus æquo laborare?

Vel hæc animi inductio efficere deberet, ut de nobis ipsis quam demississime sentiremus; quippe clarissimum signum perexiguæ vel divinorum erga nos metitorum cognitionis, vel nostræ in DEVM benevolentiæ. Animus enim divina caritate ardens non contrahit se, in angustumq; deducit, sed in dies augescens pro amoris accessione dilatat se se, & immensam, interminatamq; abyssi magnitudinem in DEO nanciscitur, ubi infinite se in omnes partes effundat. Etsi dederit omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihilum despiciet eam.

§. *Adiumentum: Breve sibi laborum ac lucrandi tempus in Spiritualibus circumscribere.*

Iam verò illud quoq; proderit inprimis, brevem sibi quemque hujus vitæ cursum circumscribere, & simul meminisse, quod perfectionis & gratiæ divinæ non comparâris in vita, id te comparaturum esse nunquam. Vitam autem ipsam ( ut Divus Gregorius Nazianzenus tradit in sentent. ) esse quasi mercatum, cujus dies cùm abieri, tempus amplius non sit emendi, quæ velis. Hinc illa Sapientis admonitio, Eccl. 9. ) *Quodcunque facere poterit manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, sunt apud inferos, quò tu properas.* Itemque Apostolus nos monet, (Ephes. 5. ) ut cautè ambulemus, *non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus*, hoc est, occasionem negotiandi, significans videlicet: quemadmodum mercator pecuniæ non parcit ut emat, redimatve quod adamavit: ita nos nulli labori parcere oportere, ne merendi occasio elabatur; quoniam dies mali sunt. Ita fiet, ut neque laborum brevitas gravis videatur, neque ullum punctum temporis lucro vacuum præterire patiamur.

Constat enim, gratiæ in hac vita partæ, gloriam in æterna illa vita, & felicitatem proportione responsuram, ut ne minimum quidem lucrum parvi faciendum sit, cui tanta mercedis accessio sit proposita. Ita quo minus aberis à meta, eo magis properabis, & quò magis accedes ad præmium, eò plus animi accedet ac virium. Illud etiam summa ope vitabitur, ne idem cursui nostro accidat, quod violentis motibus solet, qui ab externa vi atque impulsu profecti, processu paulatim remittuntur ac languent, sed contra nos ab insita vi ac virtute acti, hoc est, ab inhabitante Spiritu S. ( *quicunque* enim

*Spiri-*

*Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii. Dei*(Rom. 8.)tanto concitatiore cursu rapiamur, quanto viderimus appropinquantem finem.

4. *Adiumentum: Manum operi, seu profectui, seriò admovere.*

Hinc ultimum, idemque præsentissimum remedium peti licet, ut manum operi admoveamus, & in rebus, quibus caremus, comparandis omnem operam collocemus. Id enim demum est ( ut D. Gregorio placet, Lib: 18. Mor: cap: 5. ) non cor modo, sed etiam manus, quod Hieremias monuit, ad DEVM tollere. Nam qui ad solidas virtutes parandas satis esse unam voluntatem arbitratur, is profectò vehementer errat.

*Vsu & exercitatione proficimus non, nuda contemplatione.*

Quamobrem Divus Basilius, Reg: fus disc. c. 7. docens in solitaria vita & plus periculi esse, & minus ad necessarias virtutes parandas facultatis, ait: Neque eum suæ humilitatis documentum dare posse, qui neminem habeat cui subjiciat se, ac submittat; neq; mansvetudinis, qui cùm mortalium nullo versetur, nec patientiæ, qui nullum omnino habeat suis voluntatibus adversantem. Ad extremum illud adiungit: si quis autem ad componendum, moderandumque animum sacrarum litterarum præcepta, doctrinam, meditationémve satis esse ducit, is similiter facit, ut si quis disceret ædificare; neque unquā tamen ædificaret, disceret æs cudere, & tamen quæ didicisset nunquam in actum educeret. Atqui usu docti scimus non nisi faciendo artes addisci, quæ temn ipsæ in externa tantum materia cum versentur, nihil admodum habent repugnantiæ. Neque enim architecti, neque cæterorum artificum conatibûs operis materia reluctatur: at

tur: at nostra hæc philosophia, quæ in interioribus animi motibus perdomandis occupata est, difficultates habet & impedimenta nec minima & plurima. Vt enim in quadrando lapide difficultatis aliquid & negotii fuerit; quadratus certe ad rudem illam asperitatem nequaquam redit: at efferatos animi motus quamuis edomitos ad ingenium tamen redire sæpius experimur.

*Omne lucrum spirituale gradus est ad aliud maius consectandum.*

Et verò si in virtute ac pietate quotidie augenda sedula à nobis opera poneretur, ad majora quotidie lucra aditus pateferet, præsertim cum in hoc quoque genere sua sponte lucrum vel minimum ( ut D. Chrysostomus admonet, De virt. & vit. ) animos faciat, & ad lucrum maius alliciat. Id quod cerni licet, inquit, in pecunia & mercibus. Lucrum enim, exempli gratia, unius & alterius aurei nummi, animum addit lucrandi decem, aut etiam viginti. Videmus etiam locupletes, quibus plus & auri sit & animi, facilius ad maximas pecunias pervenire, quam pauperes locupletari. Quare in eã curam incumbendum est, ut oblatas lucri occasiones ne dimittamus, quoniam quidem qualecunque incrementum animos nobis ac vires addit ad majora. Nec verò illas modò virtutes quæ desunt, parari, verùm etiam quæ sunt, perfici oportet tum gradu; tum etiam firmitate.

Qua de re Divus Gregorius ad illa verba Iob præclare disserit, ( Lib. 22. mor. c. 14. ) *Per singulos gradus meos pronunciabo illum*; librum autem, dicit illum, quem humeris ferre, & coronæ instar capiti imponere gestiebat; significans sacras litteras factis expressas, coronam parere nobis victoriæ. Ita Christus Dominus noster ( ut notat D.

Gregorius ) terram dixit animæ noſtræ, ubi divini verbi ſemen iactum ſit, fructificare primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Hoc utique ſtudium in eo, qui ad perfectam vitam, cumulatamque contendit, vigere opus eſt: & ad hoc quoque ipſum quotidianum examen referendum eſt. Cæterùm hæc remedia libet eadem ſententia claudere, quam Divus idem Gregorius eo loco poſuit, quem ſuprà indicavi, cùm doceret mentis noſtræ fervorem paulatim veteraſcere. Ibi igitur hæc ille ſubiecit, ( Libr. 19. cap. 15. ) Aqua tamen vetuſtate quotidie ſi ſtudio circumſpectionis invigilamus, orando, legendo, bene vivendo renovamur; quia vita noſtra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad novitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur.

*Principia noſtra naturaliter fervent, finis friget, eidemque etiam diabolus maximè inſidiatur. Igitur attendamus.*

Ac ne longior ſim, illa nos potiſſimum cogitatio adiuvabit, actiones ferè noſtras initio fervidiores eſſe, ſed tempore procedente refrigeſcere. Idcirco enim ( ut docet D. Chryſoſtomus Hom. 3. in ver. Iſai. Vid. Dom. ) Spiritus ſanctus Davidis ore nos admonet: in fine ne corrumpas, quoniam tum vigilantia deſideratur ut cum maximè. Quippe in actionis ingreſſu, cùm vires animæ integræ ſunt, nemo quantumvis piger non multum adhibet ſtudii ac diligentiæ; at in progreſſione, & ſcilicet in extremo hæc admonitio neceſſaria eſt: In fine ne corrumpas. Idque hoc etiam magis quod eo præcipuè tempore Diabolus omni ope atq; opera nos bonis omnibus conatur evertere.

Vt prædones ( inquit ille ) non ſolventem

portû navim inanem & merces alicunde petentem invadunt, sed onustam in reditu observant, atque diripiunt: ita Diabolus ubi complures virtutes magno studio collegeris, tum verò in te, quasi onustā mercibus navim, impetum facit. In quo quidem illius præda non eo solùm magna est quòd de nostris bonis prædatur; sed etiam quòd offensio nostra ad direptionem valet aliorum, qui nostro exemplo in fraudem ac perniciem inducuntur.

*Humilitas custos est omnis lucri spiritualis.*

Quare omnino humilitatis præsidio tecti semper simus necesse est. Nihil enim (quæ naturæ nostræ est infirmitas) superbiam elationemq; animi (nisi vigilantia comprimatur) æqnè gignit, atque innocentiæ ac rectè factorum conscientiæ, & industriæ fructus ex multorum conversione perceptus. Vt rectè nobis DOMINVS ita præcipiat, (Luc. 17.) *Cùm omnia feceritis; dicite servi inutiles sumus.* Hoc adminiculo carens Ozias corruit, (2. Paral. 26.) nempe cui sacræ litteræ testimoninm dederant sanctitatis, quod rectum fecisset in conspectu Domini. Verùm is per superbiam sacerdotale sibi munus asciscere conatus, teterrimam in lepram incurrit. At Moses (id quod observavit Theodoretus. Q. 10. in Exod.) non prius tantæ hominum multitudinis dux est creatus à DEO, quam dextrā illam, quæ mare divisura, totq; res admirandas editura esset, insertam in sinum suum leprosam animaduertit; nimirum ut homines in meditationis tanquam sinu intelligant, quid ipsi per se sint, quid munere ac beneficio DEI: atq; illud liquido profiteantur: Dextera DOMINI fecit virtutem. Ita demum vera germanaq; humilitate nixi, in vita nostra renovanda perpetuò versabimur, & habentes nobis ipsis & non in altero gloriam nostram, id est,

teſtimonium bonæ conſcientiæ, quæ nihil ſpectat aliud præter divinam gloriam, dicemus cum ſancto Iob, ( Iob 26.) *Gloria mea ſemper innovabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* Vt videlicet partim hoc conſcientiæ teſtimonium, noſtræ perfectionis ſtudio, partim zelum ſalutis animarum ſtudioſè curantes, arcum ſagittaſq; noſtræ militiæ inſtauremus, tanquam veri germaniqne filii excuſſorum, ut animas divini amoris telis ſauciatas, mundo mortuas, CHRISTO Domino mancipemus.

Neq; verò vitiis, quæ in nobis cernimus, (dummodo de hac arcus & gloriæ renovatione, quam dixi, laboremus) deterreri à ſuſcepto conſilio, ſed potius vocationis noſtræ gratia freti, animos vireſq; renovare debemus, & nos ipſi iucundiſſima illa, quæ apud Zachariam eſt ( Zach: 12. ) DOMINI voce conſolari: *In illa die ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno, & devorabunt ad dexteram & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu.* Et quoniam hæc ſunt eiuſmodi, ut noſtras vires longè multumq; ſuperent, accipite, unde animi nobis vires addantur. *In illa die proteget Dominus habitatores Hieruſalem.* Magnus verò patronus ac potens. Sed quid tandem ab eo opis afferetur? *Et erit, qui offenderit ex eis in die illa, quaſi David, Dextera DOMINI faciet virtutem.* Vt ſcilicet claudus, qui paſſim offendebat, robore alter David exiſtat, uſque eo fortis, ut funda & lapide carneam illam turrim ( ſic enim Philiſtæum appellat Divus Chryſoſtomus ) nullo negotio deiiciat, ſuo illum gladio obtruncet, victoriam ac lætitiam populo pariat univerſo.

*Iubilæi criuſdam promulgatio.*

Atque ut paratioribus animis, ſtudiiſque ardentioribus in mentis inſtaurationem incumbamus,

Gre-

Gregorius XIII. Pont. Max pro ſua paterna in filios omnes caritate, & egregia Hæreticorum, Ethnicorumque in Eccleſiæ ovile cogendorum voluntate; partim cupiditate impulſus videndi in Societate noſtra novum in dies ſplendoris incrementum, novoſque fructus noſtrorum opera colligendi, atque in primis tantam hominum multitudnem, quæ extra Eccleſiæ arcam obruitur, conſervandi: partim etiam noſtris precibus adductus, occaſione ianuæ, quam initio dixi, in Iapone patefactæ: his, inquã, de cauſis Pontifex Indulgentiam plenariam, Iubilæumque ampliſſimum omnibus ſocietatis hominibus largitur, quicunque ſacra confeſſione & communione facta, nominatim pro illorum populorum ad Eccleſiam traductione Deum erunt deprecati.

Quo quidem tam præſtanti munere, ut cum certa ſtabilique animorum noſtrorum utilitate, & illuſtri atque inſigni illius nationis emolumento perfruamur, cohortor omnes in DOMINO, ut ( quod commodo cuiuſque, ex præſcripto ſuperiorum, fieri poterit) in exercitiis ſpiritualibus dies aliquot ponant: ſeque ad ſinceram animoſamque confeſſionem comparent, generalem ſcilicet, aut ſuperiorum duntaxat menſium, initio ab ultima facto (uti ſtatis temporibus fieri ex Conſtitutionibus noſtris ſolet ) aut etiam vitæ totius in Societate actæ, ut cuique commodum erit. Ex quo novam omnes vitam novo animi ardore inſtituant, ſic prorſus, ut re ipſa cuiuſque appareat inſtauratio, tum in perfectione ſua, tum in zelo animarum.

*Ad ſpiritualia exercitia exhortatio.*

Et quoniam etiam perfecti viri aliquid ſemper habent quod renovent, & in quo creſcant; neque ſatis eſt hac aut alia quapiam occaſione interdum huc cogitationem conatumq; conferre: vos ego vehemen-

hementer etiam atq; etiam hortor; ut animum ad eiusmodi exercitationes identidem referatis; præcipuè verò post operam aliquandiu in missionibus aliisq; Societatis muneribus collocatam. Vt nimirum cogitemus vias nostras; & quo majore deinde animo, ac viribus ad opus redeamus, interquiescamus interdum ac respiremus: Ita demum quisque nostrum verè illam Prophetæ vocem usurpabit. Os meum aperui, & attraxi Spiritum. Illud enim & usus ipse docet, & Societatis nostræ Parens IGNATIVS censuit, atq; adeò in epistola quadam testatum reliquit, eiusmodi meditationes (quas ille arma spiritualia in Constitutionibus appellat) non modò ad cuiusq; nostrum, sed etiam ad aliorum incolumitatem ac salutem maximo esse præsidio.

Hinc porrò magna DEI cũ gloria fiet, ut omnes, qui viderint nostros, cognoscant illos, quia isti sunt *semen cui benedixit DOMINVS*, Quam ille benedictionem pro sua immensa benignitate planè confirmet, perpetuoque adaugeat in vobis, ut quos & vitæ genere, & purgandi illuminandiq; alios munere, Angelorum (quorum festum solennemq; diem hac luce celebramus) in hoc exilio socios esse voluit, his beneficium suum stabiliat, & cumulet in patria: ubi unà cum beatis illis spiritibus misericordias DOMINI in æternum cantetis, & simul cum aliis compluribus eodem per vos introductis, ante thronum DEI & Agni concinatis, (Apoc. 5.) Redemisti nos Domine DEVS in sangvine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione; & fecisti nos DEO nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus in æternum. Amen. Romæ III. Calendas Octobris, Anno post CHRISTVM natum M. D. LXXXIII.

*Omnium in Christo Servus.*
Claudius Aquaviva.

# DE STVDIO PERFECTIONIS ET CARITATE FRATERNA.

*Nec non & de religioso BB. Virginis cultu.*

Epiſtola R. P. N. Claudii Aquavivæ ad PP. FFque Societatis.

## PRIMA PARS.

### De ſtudio perfectionis.

*Perpetua difficultas proficiendi, perpetuum ſtudium perfectionis à nobis requirit.*

SI munifici dona largitoris, cuius beneficio vitam, & eam, quæ natura nobis ineſt, & longè diviniorem alteram adepti ſumus, primigeniam apud nos dignitatem ſuam perpetuo retinerent: & ſi nos arborum inſtar, ad vitalis fluvii, qui coeleſtem lætificat Hieruſalem, patriam noſtram, decurſum conſiti, & ab æſtu quàm longiſſimè geluq; ſemoti, perennem illam irrigationem, & ſempiternam velut patrii ſoli coeliq; ſerenitatem hauriremus: nihil attineret tam gravem nos, & quotidianam in rebus noſtris, quæ pene in horas dilapſæ fluunt, aut ſylveſcunt, dijudicandis, & prout opus fuerit, repurgandis, novandis, & alio atq; alio apparatu tuendis, operam collocare.

Iam verò cùm perpetua atq; infeſta mortalis corporis pugna gravemur, & ſarcina: cumque quaſi ſtirpes quædam in ſiticuloſos ſaltus tranſpoſitæ peregrina adverſaq; gleba conflictemur, mirum nemini videatur, ſi neceſſe ſit jugem adhibere ſolertiam, ac velut artem, quæ nos excolat, erigat, obtegat, adminiculetur; & adiumenta conquirere, quæ adomnem nobis incolumitatem, atque incrementa præſidio ſint, non ſecus atq; teneriores quædam, atque opere topiario eleganter intextæ, aureorum malorum arbuſculæ, ſi frigidiore coeli pla

ga, ac perpetuis vexentur nivibus, singularem cultoris vigilantiam, laborumque contentionem desiderant, ut nativam vim suam, & pulchritudinem tueantur. Cùm præsertim etiam postquam religioni nomen dedimus, non raro reliquum fiat in nobis veterum semen aliquod errorum, ac velut anteactæ vitæ lolium: præterquam quod in ea, quæ auspicato coepta sunt, transversa soleat incurrere parum constans naturæ nostræ conditio, quæ quantis ponderibus ad peiora fere nos deprimit, tanto majoribus vigiliis, & quasi lacertis est obnitendum.

*Exemplum Regis Saulis ex gratia Dei lapsi, acuere debet in nobis diligentiam proficiendi.*

Ea de re cùm verba faceret D. Gregorius Nazianzenus, exponeretq́, coeleste donum, quod initio divinitus accepimus, quam ægre conservetnr, Saulis Regis pertractat exemplum, negatque ulli dubitandum esse, quin per inhabitantem spiritum sanctum fuerit ille in spiritualem virum commutatus. ( 1. Reg. 10. ) Verum, inquit, quia non se totum spiritui præbuit, nec pure alium in virum mutatus est, quemadmodum oraculo de ipso proditum fuerat, sed improbitatis scintilla pristinæ, maliq́; seminis aliquid in eo restabat, eratque in eo pugna spiritus & corporis, notissimis illis tandem iactatus est tragediis. Et subiicit pauló post; illud tamen hinc animadvertitur, quod tametsi gratia divina non contingat indignis, nec omnino in malum, & ineptum instrumentum cadat, (nam rectè dictum est, etiam me assentiente: *In animam malevolam non intrabit sapientia.* Sap. 1. ) nihilominus propter mutabilitatem habitus ac naturæ humanæ, nequaquam minoris negotii sit, mea quidem sententia, dignitatem suam, & concinnitatem servari, quam ab initio vere aptum concinnumque

reddi

reddi, ac dignum effici: præsertim cùm ipsa gratia sæpenumero ( ut quod omnium malorum nostrorũ miserrimum est, & absurdum maximè proferam ) fastu quodam animos efferens à Deo deiiciat eos, qui non rectè ad ipsum propius accesserant, eoque modo fiat, ut dum extollimur, deturbemur, quo peccatum fiat, supra modum peccans per rem bonam mihi mortem afferens.

Duas nobis res hoc facto, & tam gravibus verbis religiosissimus Pater commendat, ambas quidem pernecessarias iis, qui ( cum Saule 1. Reg. 9. ) à despicatis, ac stolidis domus suæ iumentis conquirendis, hoc est, à vecordibus, ac brutis huius vitæ voluptatibus, & curis abstracti, se se in altioris vitæ genus recepêre.

Vna res est, ut Deo se quisque tota mente devoveat, nec ullam in se ipso vanæ cupiditatis sementem reliquam patiatur. Nam propterea sanctissimus Doctor affirmat fuisse adhuc in Saule spiritus, & corporis pugnam. Neque enim sentiebat ab ea posse nos penitus immunes esse, dum fragili fluxoq; corpore distinemur; sed illud modo nos monitos voluit; Si ad Deum, ut inquit Apostolus, *in plenitudine cordis accedamus* ( Heb. 10. ) hoc est, si & nosmetipsos exuere, & induere Deum ex animo studeamus, ita posse nos & solere divinis auxiliis confirmari, ut licèt nonnulla resideat rationem inter sensumq; dimicatio, non ea tamen sit, quæ vel internæ civitatis tranquillitatem perturbet, vel in dubium revocet, uter hac in domo dominetur atque imperet: sed potius invicta mens ius suum tueatur, & impetus concupiscentis animæ, ne longius evagentur, coerceat. Contra verò quicunque ita se Deo, Religionique addixêre, ut interea loci neque omnem de se curam abiiciant, neque mun-

do

do placere velle desinant, minimè mirum est, si magnis periculorum fluctibus agitentur.

Nam hoc quicquid mali seminis in ipsis residuum est, sensim pullulat, atque adolescit in culmum: & ( quod aliquando sibi D. Augustinus fatetur timuisse ) quæ tenuissima licia videbantur, in funes pene nauticos excrescunt, arctissimeq; quos implicuére, devinciunt. Itaque testatur ille, se tunc à Deo, ut nequaquam desisteret, extimulatum, ne, si non, inquit, abrumperetur id ipsum exiguum, & tenue quod remanserat, revalesceret iterum, & me robustius alligaret.

Altera res est, quod, esto rebus iis, quas admirantur homines, initio nuncium remiserimus ex animo; tam lubricum tamen & ad deteriora declive naturæ pondus est, ut quam facillimam conversionem, & inclinationem tranquilli status cavere nihilominus laboriosum atque arduum sit, quam ad præclaram aliquam animorum dignitatem, & quasi concentum pervenisse: cum præsertim ( quod in malis nostris luctuosissimum miseriæ genus est ) ipsamet erga nos Dei liberalitas nonnullos interdum plus nimio iam elatos, sibique præfidentes ex coelestium copia donorum ( nisi tanquam in gyrum rationis ac modestiæ ducantur ) ab eodem Deo, ad quem, non ut par erat, accessere, deducat atque abstrahat. Eos igitur præcipites agit, dum attollit incautos, ut satis inde perspicuum fiat illud Apostoli, ( Rom. 7. ) *peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum,* hoc est ( ut Chrysostomus interpretatur ) peccatum turpitudinis, ac nequitiæ suæ virus satis manifesto prodit, cum sanctissimam plane rem per summum scelus, ac socordiam nostram in strumam vertat ac pestem.

*Ma-*

*Magna est obligatio hominis Religiosi, ad proficiendum continuo: Longe etiam maior quàm cuiusvis alterius Christiani.*

Quocirca, nec mihi, nec vobis molestum esse decet, quas possumus, sequi atque urgere opportunitates ad mentem nostram identidem excitandam, *scientes fratres à Deo dilecti electionem vestram* (1. Thes. 1.) cum quanto maioribus donis aucti videmur, tanto severior eorum ratio reddenda sit; & quanto copiosiorem miserationis suæ vim erga nos Deus ultro profudit, consequns etiam, sit ut tanto gravius nostræ tarditati inertiæque suncenseat: usque adeò verò succenseat, ut, si hoc spectetur, hominum cæterorum, qui se pene totos tenebris mersêre, delictis vix commoveri videatur. *Quis cæcus* (inquit per Prophetam quendam Isai. 42.) *nisi servus meus; aut quis surdus, nisi ad quem nuncios meos misi*; ac si aperte profiteretur, cæteros, neque cæcos esse censendos, si offusis coelo tenebris videant nihil, neque surdos, si, quibus nihil loquere, non audiant: Verum si qui sint, qui in clarissima luce caligent, & ad nunciorum clamores obsurdescant, id demum cæcitatis esse, id surditatis argumentum.

Id quòd, ut planius explicem (tametsi de vobis dilectissimi meliora, quin etiam altiora confidam) ullam nobis excusationem in Dei conspectu profuturam, nisi eum teneamus vitæ cursum, eamque lucem sequamur, quæ nobis, id agente Deo, per famulum suum Ignatium ex Constitutionibus, ex regulis, ex nostræ Societatis instituto, ex eiusdem denique optimi parentis, dum in humanis ageret, gravissimis monitis, & salutaribus affulget exemplis. Cum præsertim Dei præterea benevolentissima sedulitas quotidie mentibus nostris variè præ-

præluceat, & ſtimulos ad meliora ſubiiciat, neque nobiſcum velut cum ſeruis agat, exponens duntaxat, quid à nobis herili more depoſcat, ſed ut cariſſimos ſibi liberos inſtituat, conſiliorum etiam ſuorum communicatione dignatos.

Atque, ut miſſa alia faciamus, una vox illa Redemptoris noſtri Ioan. 14. ( *Si diligitis me, mandata mea ſervate* ) cuiuſnam pectus non emolliat? ſane ac ſi dixiſſet, non poenas denuncio, pollicitationes meas non inculco, non meorum erga vos meritorum rationes exigo, non pono ob oculos præmiorum amplitudinem: ſed illud unum: Si diligitis me, perficite quæ iubeo. Quis tam ferus, ac ferreus ſit, qui ſi ſecum ipſe reputet quis loquatur, & quibus id verbis commendet, inuſitata mentis dulcedine non liqueſcat, ac fluat? certoque ſtatuat alacri atque erecto animo aggredi, quicquid perſpexerit illius, aut voluntati gratum, aut honorificum maieſtati? Hæc eſt *pars mea & hæreditas mea*, canebat ſanctus David. Sequantur alii quæ maxime velint: ſuas, licet, quam longè lateque norint, proferant cupiditates: *mea* verò *pars* fuerit *Domine cuſtodire legem tuam* ( Pſal. 119. )

Verùm majora adhuc, atq; illuſtriora jura ſunt, ut D. annotat Baſilius, quæ nobis quaſi Prætorianis militibus, aut Regiis cubiculariis ſanciuntur, quam quæ promiſcuè feruntur in vulgus. Eam ob rem noſtræ quæ ſint partes attendamus. Sunt autem illæ in quibus figenda noſtra omnis mens & locanda eſt, nimirum, ut in omnem vitam divinæ voluntati obſequamur, & gloriæ, neque Dei ſervus alia in re ulla ſuam poſitam eſſe exiſtimet vitam, delitias, beatamque tranquillitatem, quam ſi totum ſe fingat, & accommodet ad arbitrium nutumque Dei; cuius voluntas totius eſt iuris ac

recti

recti certa lex, cuius ſtudium, ut ei nos, noſtræ ſolùm felicitatis cauſa, morem geramus, cuius obſequium jucundiſſima quies: ab eo verò recedere, extremum malorum omnium.

*David Rex exemplo nobis eſt, quam anhelo ſtudio ſit ad perfectionem tendendum.*

*Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*, aiebat Pſaltes( Pſal: 118. )Cùm enim os aperuiſſet neceſſariæ refrigerationis gratia, teſtatur duxiſſe ſe vitalem auram de coelo, hoc eſt, perficiendi quæ Deo placent, deſiderium; quod ſolùm reſpirationis loco velit habere, dum vivat. Deus meus ( ut ita loquentem David faciamus ) in quo vivo, moveor, & ſum, meo quidem in ea quæ iubeas obſequio, tibique obtemperandi ſtudio perinde ſuſtentor, atque animantes reſpiratu. Itaq; ſicut corpus quovis temporis puncto frigidiorem auram hauriat oportet, ne nativus calor interclusus extinguatur; ita multo etiam magis pene in horas, aut in momenta potius explendæ tuæ voluntatis amore, ac pietate meus animus recreatur. Hoc itaque deſiderio quaſi quodam oris hiatu ſuaviſſimam requiro aſpirationem, & quidem quanto poſſum creberrimam, prout huius foeneæ domus, quam inhabito, patiuntur anguſtiæ.

Neque immeritò ait, *Os meum aperui.* Nam ut ſapientes tradidêre, aſpiratio meatu oris excipi traiicique non ſolet, niſi cum permagnum, & præſentiſſimum influentis aeris ſubſidium vita, ne opprimatur, expoſcit: iis igitur verbis ſanctiſſimus Vates declaravit non ſine maximo melioris vitæ periculo, vllis unquam momentis piam hanc aſpirationem, qua ſub divinæ ius voluntaris noſtram ſubiungere cupimus, intermitti: aut fortaſſis ita vehementibus incenſiſque ſtudiis ad *D*ei voluntatem

tem capessendam se se inflammatum animadvertebat, ut propterea se respirandi vicissitudine, tanquam gravis æstûs allevamento, reficiendum putaverit.

*Obligatio Instituti nostri.*

Hoc deniq; illud est studium quod nostræ vocationis ratio nobis imponit: hoc consilio Societati Iesu nomen dedimus, ut patris ac dominatoris nostri voluntate, nihil habeamus antiquius, & re ipsa præstemus, id quod ex gravissima Constitutionum asseveratione, & ex primis adeò tyrocinii nostri rudimentis, tanquam cum lacte nutricis exugere visi sumus, nempe, ut Dei voluntatem, cuius interpretes Præpositi nostri sunt, nostram esse arbitremur. Qua in re frequens, ac perennis exercitatio eximiam quandam vim habet efficiendi, ut & in dies majorem ex illa capiamus voluptatem, & nescio quo sapore admirabilique luce, quæ naturæ facultatem atq; aciem exuperat, perspicue dignoscamus, hoc disciplinæ genus haustum decerptumque fuisse de coelo. Id tanquam pro testimonio dixit Salvator noster iis verbis. ( Joan: 7. ) ( *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea utrum ex Deo sit.* ) Hoc est, eam doctrinam si vita ac factis exprimere studeamus, arcanos quosdam sensus. & inusitatos afflatus supra consvetudinem, supra mortalitatem nanciscemur, ut propterea sapientiam istam divino satu fuisse ortam, facile in animum inducamus.

*Obligatio qua ad totius corporis Societatis integritatem tuendam singuli tenemur, magnum perfectionis studium in nobis requirit.*

Verùm huius suavitas argumenti meam longius quam oportuit provexit orationem, voluissem enim non ut alias feceram, pluribus agere, sed breviter id

id duntaxat, quod hoc tempus postulabat, expo nere. Scripseram namq; alias impulsus ea, quæ tunc nunciabatur, Iaponicæ Ecclesiæ bona fruge, & cohortatus vnumquemque, vt renovaretur spiritu mentis suæ, misi etiam quod nobis ad eam rē promovendam piæ memoriæ Gregorius XIII. concesserat, Iubilæum. Nunc cùm non ita pridem ex Sinarum regnis recens orta esset occasio, ut ex eius rei lætioribus initiis, quod Dei munus est, cognoscere potestis, alterum putavi mittendum, quod à Sanctissimo Domino Nostro Sixto Quinto impetravimus, in quo illud adhuc amplius est, quod ad bonum Societatis nostræ statum, eiusque feliciores progressus à Deo impetrandos concessū est.

Inde planum fit, & *quanta sit huiusce rei magnitudo, & quanto officii nostri maior obligatio*, quanta deniq; *in uno quoq; nostrum sit posita vis, ac facultas*, ut eorum quæ agimus secundos exitus consequamur.

*Magni interest ad fructum in proximis ferendum, ut totum corpus Societatis ritè sit compositum.*

*Rei magnitudo*, inquam, neque enim solum ad Dei obsequium per se valet quàm plurimum prosperitas ac perfecta pietas Societatis nostræ; sed etiam, si cogitationem intendas in omnia studia, quæ nostrates in Iaponiorum, Sinensium, aliarumve gentium salutem conferunt, certè nec ad animarum lucra, nec ad Dei gloriam, ut oportet amplificandam, conatus nostri momentum vllum habituri sunt, nisi sua ipsa Societas vi ac firma valetudine cohæreat. Nam, & imbecillum si fuerit, nec probè affectum corpus, eiusque membra in suis obeundis muniis languescant, nullum cum laude cursum, seu pugilatum adorietur.

*Ex singulorum defectu, maxima impedimenta fructui*

Dixe-

*in proximis ferendi oriri possunt.*

Dixeram ad huc: *Officii nostri maior obligatio:* Nam si ( ut superioribus litteris de spiritu renovando fusius disputavi ) religiosissimam vitæ rationem à nobis Deus exigit, ut proximis adiuvandis Societatis industria sit salutaris, quanto severius reposcet, ut ipsa Societas non modo nihil per nos de statu declinet, sed ut vigilantia potius, & contentione nostra ad ampliora se tendat atq; erigat? Quam sane ad rem, nec leve nobis calcar accesserit. si cogitemus ex nobis universis corpus unum coagmentari, èamq; esse membrorum inter se consensionem, ut unicuiq; pertimescendum sit, suo ne vitio in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi.

Mirum atq, horribile plane est, dignumque ob quod ambæ audientium aures ( ut scripturæ loquuntur ) merito tinniant, meminisse apud Israelem, duce Iosue illustrem, Deo autem principe ac moderatore gloriantem, & tunc eius iussu eductum in aciem, propter unius Achan furtum de anathemate Hiericho, quantum totis pene castris turbatum sit, fusis ab hoste ter millibus fortissimorum Israel, & Deo severe denunciante. ( Ios. 7. ) *Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate:* & quod longe magis horrificum est. *Non ero*, inquit, *ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est*, & quamuis vnius esset sacrilegium, universos tamen, ( ut annotat Augustinus Quæst. super Iosue lib. 5. q. 8. ) afflixit. ac perculit: ut non, inquit, se solum quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis, & unius hominis alia pro aliis sint membra sollicita. Quo sane facto sempiternus Iudex indicavit, quanta

ſit ſingulorum in aliquo coetu, ac ſodalitate communitas, cum eorum nullus ſeorſim ſolus cenſeatur, ſed ſinguli ſint quarundam partium inſtar in toto.

Vides, inquit Chryſoſtomus, ( De verbis Iſaiæ Vidi dominum Hom. 1. ) quomodo vnius peccatum toti populo vindictam accerſit? Quomodo Deum adverſus multitudinem hoſtem reddidit? Sed bona ſunt tua iudicia Domine, & ad noſtram vtilitatem diſpenſata; lues quædam eſt peccatum: per ultionem evulgatur ac traducitur apud omnes, ne corrumpat omnes; ut ubi cognoverint quantas minas una pepererit tranſgreſſio, fugiant ultionem, de multis alioqui ſumendam æternam vindictam. Eam ob rem viri ſanctiſſimi, qui & veræ humilitatis ſpiritu præditi, ſe nunquam humanis exutos vitiis agnovêre, &caritate incenſi proximorum zelo fervebant, ſua peccata ( quod de Catharina Senenſi, aliiſque proditum eſt ) malorum omnium, quibus Eccleſia vexabatur, cauſam dediſſe putabant. Iam vero nobis, quos non modo communis illa vnius Eccleſiæ neceſſitudo connectit ſed adhuc proprius quidam eiuſdem inſtituti, ac vocationis nexus aſtringit, quanto magis metuendum eſt, ne quod privatim à ſingulis delinquitur, gravi totius corporis malo luatur ac vulnere? Neque luatur modo, ſed periculoſa etiam imitatione exempli ſerpat longius: ea namque res proclivius ad perniciem, cum ſemel coepit, labitur.

*Magnum momentum poſitum eſt in ſingulorum perfectione, ut totum corpus Societatis bene habeat.*

Hac porro de cauſa paulo ante dixeram, *in unoquoque noſtrum magnam poſitam eſſe vim ac facultatem*, ut eo ſit loco Societas qui noſtrum omnium reſpondeat optatis; cum non modo poſſimus à Deo caſtiſſimis precibus id impetrare, quemadmodum,

& veram exteris gentibus religionem, & Ecclesiæ splendorem pristinum, sed etiam nobis qui vinculo consociamur arctiori, divinam demerebimur benignitatem, quo plenis misericordiæ oculis aliquando respiciat, ac sublevet Societatem universam. Hinc & illud existet, si unumquodque huius corporis membrum meliore cultu se ipsum perpoliat, atq; exornet, consequens esse, ut ex singularum partium ornamentis totius etiam nitor ac pulchritudo splendescat. Ex iis planum fit, & quæ sit obligatio singulorum, & quæ huius operis magnitudo, utque totius corporis robur ac valetudo cum statu cuiusque partis implicita sit, & cohæreat.

In eum igitur usum curatum est, ut Sanctissimus Dominus Noster Sixtus Quintus ex Ecclesiæ thesauro Iubilæum istum nostræ promeret Societati.

*Vt Diabolus nunquam cessat oppugnare totum Societatis corpus, ita nunquam non ei resistendum est continuo studio proficiendi.*

Quod si nequissimus satan, cùm indignissimè ferat, divina manu & Societatis opera tam multis orbis terrarum regionibus fraudari se tam multiplici spe prædæ & rapinarum, facturus est, quod in ipso erit, finem nullum huius vineæ septa diruendi, obterendi vites, quatiendi turrim; satis patet quanta nobis vigilantia, quàm forti animo ac virtutibus exaggerato, perditis eius conatibus obviam sit eundum. Itaq; providendum est, si qua irruptio facta sit uspiam, ut ad repugnandum accurramus universi, iisq; malis non in præsens modo, sed etiam, quoad eius fieri potest, prospiciamus in posterum. Quin etiam ut seduli vinitores, non caveant solum, ne exterminet vineam aper de sylva, & singularis ferus, depascatur eam, sed in novos etiam latus, traduces, repastinationes, propagines, qui-
bus

bus vitium feracitas ac decor augeatur, incumbunt, ita nobis quoque omni ope atq; opera elaborandum est, ut non modo nihil detrimenti Societas capiat, sed ut in dies uberior ex ea proventus, ac vectigal redundet.

*Occasio Epistolæ huius.*

Porrò quoniam singulari Dei beneficio ( id quod & mihi, & toti Societati accidit iucundissimum ) renovatio spiritus, & piæ meditationes, quibus superiore Iubilæo vacatum est, mirificos nostris fructus peperere, dubitandum non est fore, ut minimam hanc familiam suam easdem quas antea, exercitationes iterantem, nova Deus liberalitate ac misericordia prosequatur. Quocirca consimili nunc ritu modoq; pervelim ( qua de re Præpositis Provincialibus mandata perscribentur ) ad hoc alterum Iubilæum nos comparemus, eoque avidiùs, quod nunc agimus de conservando amplificandoq; Societatis statu; sed, & quicquid hac de re tunc à nobis delibatum est, ad idem denuo gustandum magis ac magis nostram acuet aviditatem. Deum itaq; etiam atque etiam supplex obtestor, ne mea causa culpave, pii conatus ac cogitationes vestræ concidant, aut retardentur; vosque pro ea qua omnes ex animo complector, benevolentia, oro vehementer atque obsecro, ut gravem acremque curam suscipiatis de vestris ad absolutam pietatem progressionibus. Et quanquam Superioribus de spiritu renovando litteris meis denuo attenteque perlegendis, multo vero magis Examine, Confessionibus, Spiritualibus exercitiis, & paulo prolixioribus cum Deo congressibus ineundis, ex eius incredibili beneficentia consequuturos vos confido, ut plane intelligatis quæ sit spes vocationis vestræ, & quid sit ambulare digne Deo. Non committam,

tamen, ne hanc nactus opportunitatem, duas speciatim ad res vos etiam atq; etiam adhorter: quæ ad id quod nunc agimus opitulante Deo, ponderis plurimum videntur habituræ.

## SECVNDA PARS,

### De Fraterna charitate sedulò servanda.

*Qualis debeat esse mutua charitas in Societate.*

Quarum prior est, ut ita nobis mutua inter nos caritas curæ sit, expurgatis penitus, abiectisque ex animo velut pestibus, parum benevolis Nationum inter se studiis, aliisq; id genus; perinde atq; hac una re contineretur ( nam vere continetur ) Societatis incolumitas omnis ac prosperæ res: studeamusque optimam parentem nostram restituere in antiquum ( si qua ex parte is veterasceret ) nitorem ac iucundissimam benevolentiam, quæ nascentis Societatis membra vinciebat. Nam si Sociorum multitudine aucti sumus, caritatis tamen amplitudo, nec hominum numero, nec locorum distingui tur intervallis. Quin etiam legere me memini* apud D. Macarium, ( Hom: 18. ) Sancti spiritus caritate in eam interdum hilaritatem atq; amoris vim excitari inflammariq; pectus humanum, ut omnes homines nullo proborum improborumve discrimine, intimis si fieri posset præcordiis suis cōdere vellet, &collocare. Quanto magis hoc tanquã pensum iis reddendum est, quibuscum fraterna nobis necessitudo multis nominibus intercedit? quæ non qualem qualem à nobis amorẽ, sed eximium quendam *reposcit ac vegetum, ut S. Basilius tradit: ( Reg bre: interr: 162. ) qui cùm quæreret, qua nam inter nos benevolentia copulari nos oporteat, ea, respondet, quam Christus Dominus declaravit iis verbis: *Diligite invicem sicut dilexi vos. maiorem dilectionem nemo habet, quàm ut ponat ani-*

*mam*

*mam suam quis pro amicis suis*, ( Joan: 15. ) Quod si ponenda anima est, quomodo non multo magis in iis, quæ minoris pretii sunt, necessariò adhibenda est animi promptitudo, non ea re ut humanis officiis faciamus satis, sed eo consilio, ut Deo placeamus, & utilitati cuiusque consulamus.

*Remedium potissimum comparandæ huius modi charitatis, est Deum spectare & amare in singulis.*

Id quod haud molestum, ac difficile nobis erit, si re ipsa præstemus quod amantissimus Pater Noster Ignatius tertia parte Constitutionum ( id quod etiam in decimam septimam Summarii Regulam transcriptum fuit ) commendat: *Crebro*, inquit, *admoneant, ur ut in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo iuxta Sanctissimam, ac divinam ipsius voluntatem.* Quæ cùm ita sint, non obscurè intelligitur, quantum à recta via aberrent, qui privata quadam communione vel generis & consanguinitatis, vel consimilis naturæ ac morum, vel gentis, aut patriæ abduci se sinunt in eo nexu atque animorum coniunctione, quæ inter nos esse debet.

Et quanquam primis meis ad Superiores litteris, quibus exposui, quanam ratione nostris inter se & cum externis agendum sit, attigi nonnihil ea de re, ac breviter indicavi quanta & P. Ignatii fuerit, & mea nunc sit sollicitudo, ne quid adversus hanc spiritus unitatem peccetur, utpote multo magis quàm credi possit necessariam: pro rei tamen magnitudine, & ne zizaniorum author, dum aliud agere videtur, simulata nescio qua spe recti, supponat aliquid suorum seminum, hic etiam paucis vos ea de re commonefaciendos putavi.

Val-

Valde namque formidandum est, ne sicut olim paucorum culpa, ut loquitur D. Hieronymus quamquam in re dissimili, ingemiscens orbis terrarum Arrianum se esse miratus est, ita vitio eorum, qui in sedandis animi motibus non multum operæ posuerunt, quippe ut ait P. Ignatius, nec ordinem, nec unionem ferre possunt, cum lacrymis aliquando miretur Societas, non eam se esse quæ fuerat, sed tanquam effœto iam corpore defloruisse. Cum enim ab ortus sui primordio, nulla habita dissimilium nationum ratione, ex mutua animorum conjunctione & coagmentata sit, & adoleverit: si alio paululum deflecteret, Ægyptum non egressa sane, sed ingressa, linguam, quam non noverat, audiret. Huic tam pernicioso, tam pestilenti morbo opportune medetur, si caste integreque servetur memorata Constitutio, ut quanti sit ea momenti, facile appareat, cum possit, si eius usus exolescat, tam gravis nobis labes & calamitas impendere.

*Vbi Deus syncerè amatur in Sociis, ibi omne corruit personarum & nationum in amando discrimen.*

Itaque monemur in omnibus amandum esse Deum, & omnes in Deo: Id quod si vigeat & nationum, & personarum ruet omne discrimen ac delectus. Nam si Deus in iis,quos diligimus est, is ubicunque fuerit, eo se noster amor tendat ac porrigat oportet: & quidem vehementior in eos apud quos luculentius diligendi ratio, qui Deus est, elucet atque eminet. Itaque pie diligentis animus, sive Dei donis quibus enitescunt alii delectetur,sive alios iis quibus carent ornamentis cupiat honestari; in utrisque sane Dei, eorumque quæ Dei sunt, & amans & appetens est.

Eam ob rem neque ex alienis virtutibus, cæterisque rerum bene gerendarum facultatibus ( in

iis

iis enim Deum purior animus intuetur) invidendi obtrectandive, sed agendi gratias potius, Deique munificentiam collaudandi causam nactum se esse putat; neque illi ea quæ peccantur ab aliis, indignationem ac stomachum movent, sed benevolentissimam potius commiserationem, & vehemens studium, ut ad virtutum decora, quæ in eo desiderantur paranda, proximus convalescat. Atque in hoc posita est omnis laus adamantis, & quærentis Deum in fratribus, ut eum agnoscat & complectatur ubicunque sit: percupiat vicissim ut uberiore manu suas ille opes impertiat, & tanquam præsentem se præstet, sicubi minus adesse videatur.

Hanc amandi viam si insistamus, erit in improbis etiam quod amemus, nempe naturam & conditoris imaginem, optantes ut Dei similitudo rursus in eis elucescat. Eorum autem qui Dei amicitia gratiaq; dignantur, hoc singulare ac cœleste ornamentum feremus in oculis; avebimus etiam ut iidem tam preciosarum mercium pleniore copia cumulentur. Sicut autem divinæ gratiæ communio tam late patet, ut in ea nihil inter Barbaros, Scythas, cæterasque gentes intersit: ita si quis cogitationem defigat in Deo, in nullo hominum prorsus desiderabit ac requiret, quod diligat, cum ex Deo, qui præsto est omnibus, dimanet ad universos satis magna causa, & quasi communis fons amoris; non secus atque ad conspiciendos colores quosvis communis aliq; ratio suppetit, sive lux ea sit, sive color.

*Sicut oculus ut omnes colores percipiat, nullo certo colore tinctus est: ita ut Deum in omniibus diligamus, nulla certa passione duci debemus.*

Ad hæc sentiendi appetendiq; vim (ut a Philosophis proditum est) ea re, in quam percipiendam intenditur, oportet esse vacuam, ut multas ad res

adverti adhiberique posſit; alioquin ad aliud nihil pateret, quam ad id quod in ea fixum eſſet atq; inditum: Sicut oculorum ſenſus ſi colorum uno aliquo eſſet infectus, ad reliquos caligaret; nam ſi viridi imbueretur, vireſcere putaret omnia, rubeſcere ſi coccineo, atq; in eumdem plane modum de aliis, quorum ſi quempiam natura ſibi inſitum nactus eſſet, non poſſet cæteris oblectari. Non aliter ſane niſi voluntas noſtra privatos amores ac propenſiones deponat atq; exuat, benevolentiæ ſuæ vim in res univerſas propter Deum, *ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia ſunt*, ( Rom: 11. ) derivare non poteſt, ſed ſi ad patriam gentemque ſuam animus adhæreſcat, eorum modo colet amicitias, quibuſcum patriæ & gentis communione copulatur. Idem eveniet ſi neceſſariorum ſuorum cõſangvinitate delinitus carni tantum & ſangvini deſerviat: par de reliquis judicium.

Quod ſi infeliciter agi putaremus cum oculis, quorum videndi vis ſuper colorem unum videat nihil, quid de voluntate ſi in amando ſimiliter affecta ſit, ſentiendum? certè neq; corporis oculi, quos cum muſcis & culicibus communes habemus, ad quærendum, videndumve Deum vſui poſſunt eſſe, neque ulla oculorũ, ſicut voluntatis virtute boni nominamur & ſumus. Itaque ſumma ope nitendum eſt, ut denudetur voluntas, & ab omnibus vindicetur affectibus, quo liberius eam curam & cogitationem induat, quæ Deo ſoli quærendo amandoque dicata eſt Hac enim amor, & defoecatur liquidum, & omnes ampliatur in partes.

*B. Paulus exemplo nobis eſt ſynceræ charitatis, abſque perſonarum acceptione.*

Huc pertinet celſitudo illa animi, & ampliſſima caritas Apoſtoli Pauli, cuius D. Chryſoſtomus (Hom:

de

pe profectu Evang. in illud Apost. sive occasione sive veritate Christus &c. ) non modo egregium laudatorem ac præconem, sed, & præsentem quodam modo se præbuit spectatorem. Digna plane, quæ nobis afferat admirationem, & pudorem incutiat. Ea verò mirificè licet in tot vigiliis, ærumnis periculisque a litis animarum causâ, quas Christo parere studebat, eluxerit, privatim tamen, ac præter modum ( ut idem S. Doctor observavit ) vim suam exprompsit in amorem, sedulamque curam, qua complexus est Onesimum. Servus is erat & quidem profugus ab herili domo, quam & furto vexaverat: eum tamen Apostolus, quamuis omnium Ecclesiarum pressus sollicitudine, vnice dilexit. Nam illi, & veniam deprecatur a Philemone, & tam inusitatum habet honorem, vt eum & filium suum in vinculis, & viscera sua, & alterum se nominare non dubitet. Hæc ei præstabat Apostolus, quia, ut ait Chrysostomus, non hoc considerabat quod vnus esset qui peccaverat, & præsidio egeret, sed quod homo esset. Homo dignissimum Dei animal, & propter quem, nec vnigenito suo Pater pepercit.

Non enim mihi hoc dicas quod sit fugitivus quispiam, vel latro, vel fur, vel facinorosus, vel quod sit pauper, abiectus, vilis, & nullius frugis, sed cogites, quod pro ipso mortuus est Christus, sufficiatque tibi, utpote idonea sollicitudinis causa. Cogita quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appretiatus est, ut nec sangvini suo pepercerit. Neq; enim, opinor, si Rex pro aliquo occidi vellet, quæreremus argumentum aliud, num magnus quispiam ille sit, quem rex tanti facit.

*Fratres in Christo omnes sumus & conservi & cohære-*

des. *Quanta ergo mutua charitate nos duci par eſt?*

Iam verò perpendamus, quanto dignandi ſint amore, qui non ſervi, ſed fratres noſtri, non fugitivi, aut fures, ſed ſæculi ſunt contemptores, abdicatis ob Chriſtum omnibus, in eandem nobiſcũ conſcripti militiam, isſdem caſtris ſigniſq, centuriati ad quotidianos labores atq, excubias, in Dei tandem adoptionem & hæreditarium regni ius adſciti. Nihil igitur mihi antiquius, nihil in optatis magis eſt, quam, ut quanto maximo poſſumus ſtudio conglutinemur inter nos mutuæ neceſſitudine caritatis, quæ ab Apoſtolo meritò dicitur *vinculum perfectionis* ( Col. 3. )

Nam & tum demum præſtitiſſe nobis videbitur Deus, quòd deſponderat per Sophoniam, ( Soph: 3. ) *Reddam*, inquit, *populis labium electum*, *ut invocent omnes in nomine Domini*, *& ſerviant ei humero uno*. Labium verè electum. neque enim in linguis omnibus ulla pretioſior, neque ad loquendum audiendumve iucundior, neque ad res bene gerendas valentior, quam id linguæ genus, quod animorum, conſiliorum, operumque coniunctione fraternus amor format atque inſtruit. Hinc enim exiſtit Deo famulantium tanta conſenſio, ut uno quaſi humero, quicquid eſt onerum, portare videantur.

*Laborem turris Babel maximè inanem reddidit, omnium linguarum confuſio, & ita diſtinctio nationum.*

Sed & illud memoria repetendum, cùm Deus ſacrilegos Turris Babel atchitectos ac molitores ab opere quod ſtultè & adverſo numine machinabantur arcere, & tanquam deturbare ſtatuiſſet, id demum non aliter perfeciſſe, quam diſſimilium confuſione lingvarum: tantum valet ad res interturbandas diſſidium quodvis, etiam lingvarum, tametſi magna foret inter illos conſiliorũ voluntatumq; conſpi-

ſpiratio. Nos contra ſi vivas ac ſpirituales domos iuxta S. Petri ſententiam, ( 1. Pet. 2. ) in noſtris proximorumque mentibus extruere contendimus, & ad muros felicioris Hieruſalem, pro quibus ut benigne faceret Dominus in bona voluntate ſua, David caſtiſſime precabatur, ( Pſal: 50 ) exædificandos aliquid afferre momenti, idem iugum trahamus oportet, & ad vnius linguæ conſortium redeamus: alioquin labores quidem magni, laborum fructus pene nullus.

His expoſitis perſpicuum eſt ( quod & initio dixeram ) quam exitialis ſit iſta velut lingvarum varietas, & quam ſevere in eos animaduertendum, qui tantam luem importarent in familiam noſtram, cum hoc malo graſſante & ſtructuræ tam illuſtris & divinæ gloriæ feliciter provehendæ laborominis atq; apparatus noſter frangatur, & concidat

*Omnis naturæ compoſitio in toto univerſo mutuam nobis caritatem commendat.*

Multa quidem in hanc ſententiam poſſent adduci, non modo ex Exangeliis Patrumque libris atque exemplis, quæ ad nihil ferme aliud nos inſtituunt, nec ſolum ex noſtris conſtitutionibus, quæ nullam in rem gravius, aut crebrius amplificandam excurrunt, perinde a que hoc Societatis eſſet columen ac firmamentum: ſed etiam ex omni rerum natura. Si quidem cœlum, terra, ut egregie diſputat Gregorius Nazianzenus, ( Orat. 1. de pace. ) Elementorum miſtiones ac temperaturæ, membrorum proportiones, & coniunctiones, animalium nutrimenta, ortus, habitationes diſtinctæ, quarum quædam imperant, quædam ſubiecta ſunt, quædam ſub iugum à nobis mittuntur, quædam libera ſunt: Hæc igitur omnia cum ita ſe habeant, ac ſecundum primas cauſas harmoniæ ſive coniunctionis & mutuæ con-

cor-

cordiæ regantur ac moveantur, quid aliud putare debemus, quam prædicare amorem & concordiam, suoque exemplo coniunctionem animorum inter homines sancire? Contra vero sublata consensione quam vocat ille, ( Orat. de compos. differ. rat. ) pulcherrimum, & utilissimum Christianæ sapientiæ decus, rerum vastitas continuo desævit & ordinis perturbatio, quæ, ut illius verbis utar, in aëre quidem fulmina, in terra succussiones, in mari exundationes, in urbibus ac familiis bella, in corporinus morbos, in animis peccata, quasi novas res moliendo introduxit.

*Omne etiam Artis & humani Ingenii opus una concordia conservatur.*

Veniat illud in mentem Patres ac Fratres desideratissimi; Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Cuius enim navis tam constans est, ac firma compactio, ut evulsis clavis quibus tabulæ & trabes agglutinantur, non statim fatiscat ac recidat in struem lignorum, cuius sit usus in re nautica nullus? Cuius verò aut turris, aut arcis tam septa atque munita firmitas ac robur est, quod soluta compage saxorum non continuo ruat, atque ex propugnaculo degeneret in acervum temere congestis in unum lapidibus? Non enim ex saxis & cœmentis, sed ex apta & quasi demensa saxorum cœmentorumq; structura turris, aut murus assurgit. Quin etiam de Regnis Salvator clarè demonstrat, ( Luc: 11. ) *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Profecto sicut concordem Societatis statum quæcunque irrumpant, extrinsecus labefactare non possunt: ita vicissim, si concordiæ inter suos jacturam faciat, nullius poterit extrariis cohærere præsidiis.

*D. Benardi pulcherrima ad fraternam charitatem adhortatio.*

Et

Et quoniam D. Bernardus, cùm illud Canticorũ exponeret, ( Ser: 29. ) *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, præclarè, ut assolet, de hoc toto argumento disputat, licèt ab omnibus sermonem illum perlegi velim, quo magis tamen ad manum unicuique sit, hic illius partem aliquam disputationis ascribam; Cùm igitur de gravissimis dissidiorum incommodis ageret; Longe quæso, inquit, à vobis facite semper hoc tã abominabile & detestabile malum vos qui experti estis, & quotidie experimini quam bonum sit, & quam iucundum habitare fratres in unum, si tamen in unum, & non in scandalum, alioquin nec iucundum planè, nec bonum, sed pessimum ac molestissimum. Væ autem homini illi, per quem unitatis vinculum iucundum turbatur; iudicium profectò portabit quicunque est ille: ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam iustè clamitantem, *filii matris meæ pugnaverunt contra me*. Nonnè præsentis congregationis tanquam unius patris filii omnes vos estis, singuli alterutrûm fratres. Quid ergo à foris vos conturbare, aut contristare possit, si intus bene estis & fraterna pace gaudetis? Deniq; *quis vobis nocere poterit*, inquit, (1. Pet: 3.) *si boni æmulatores fueritis?* Quamobrem æmulemini charismata meliora, ut bonos vos probetis æmulatores. Charisma peroptimum caritas est, plane incomparabile, quod novæ sponsæ cœlestis sponsus toties inculcare curabat, nunc quidem dicens. (Joan. 13.) *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Nunc vero, ( Ibidem,) *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, & ( Joan: 15. ) *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Itemque orans ( Joan. 17. ) unum eos fore sicut ipse & pater unum sunt. Et vide, si non ipse Paulus, qui te ad charisma-

rismata meliora invitat, ( 1. Cor. 12 ) Inter cætera caritatem in summo ponit, sive cum fide & spe, dicit eam esse maiorem, ( 1. Cor. 13. ) & supereminentem scientiam; sive cum enumeratis pluribus, aut mirabilibus supernæ gratiæ donis, tandem ad superexcellentiorem viam nos mittit, haud aliam profectò illam quam caritatem definiens. Denique quidnam huic comparandum putemus, quæ ipsi præfertur martyrio, ac fidei transferenti montes? Hoc igitur est quod dico, pax vobis à vobis sit, & omne quod extrinsecus minari videtur, non terret, quia non nocet. Nam è contrario quicquid foris blandiri apparet, nulla est profectò consolatio, si intus, quod absit, seminarium discordiæ germinaverit. Proinde dilectissimi pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicunque.

*B. P. N. Ignat. in de mutua concordia, Constitutio.*

Tandem ut hac de re, de qua, cùm nostra vehementer interfit, pluribus egi quam cogitaram, scribendi finem faciam, magnopere cupio secum quilque reputet quod Pater Noster decima parte Constitutionum tradit, & refertur 30. regula inter communes; *Caveant*, inquit: *sibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis nationibus sinistrè sentire, aut loqui solent: quin potius, & bene sentiant, & peculiari affectu diversas à sua nationes prosequantur in Domino: ac proinde nemo bella, contentionesve inter Christianos Principes in colloquium inducat.* Vsque adeò plane ab horrebat ab hoc malo, ut ne eos quidem sermones suis licere vellet, quibus aut de principum agatur simultatibus, aut aliis aliæ nationes obloquantur.

*Modus & signa probandæ in nobis synceræ ergà fratres charitatis.*

Ne quid igitur resideat inter nos inimicum concor-

cordiæ, ſive id ex ſtudio nationum, ſive ex aliis redundet fontibus, ſane amariſſimis, cùm ad lætiores progreſſus omne nobis iter atque aditum intercludant, unuſquiſque, velim, in ſe ipſe acriter inquirat, & attente diſpiciat, quam ſedulo fraternam colat conſenſionem· neque leviter eam rem decurrat, ſed cuiuſmodi ſit ſua caritas exploret ad lydium lapidem, & exigat ad eam normam quam Apolus præſcribit iis verbis: ( 1. Cor. 13. ) ( *Caritas patiens eſt, benigna eſt· caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa: non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet ſuper iniquitate· congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*)

Hoc igitur modo ſi quaſi ad lydium, ut dicitur, lapidem exploretur caritas noſtra, ſi qua harum laudum, effectorumve careat, nondum omnes virtutis numeros complexa cenſeatur: ſed quot ornamentis ab Apoſtolo commemoratis deſtituta ſit, tot eam gradibus, & quaſi notis ab eo, quod ſummum optimumque eſt, abeſſe arbitremur.

Enitendum igitur eſt, ut eam ad id, quod perfectum, ſuiſque omnibus partibus expletum ſit, perducamus: & ſi laude patientiæ carebat, vel alicuius ex reliquis, eam quæ deſideratur, comparemus. Nec facile mihi venit in mentem, quamnam ad aliam libellam iſta res exigi poſſet, ex qua magis appareat manifeſto, vel quid unicuique deſit in hoc genere, vel quæ ſibi ratio ineunda ſit, ut recte amande legem integram inviolatamque conſervet, quam Apoſtoli memorata præſcriptio.

*Fructus præcipuus, quem ferre Deo gratum poſſumus, mutua charitas eſt.*

Illud denique habeamus, fructum quem Dominus à nobis repoſcit iis verbis ( Joan. 15. ) *Ego vos elegi,*

*elegi, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*, aliud nihil esse quam ca itatem, ut Divus Augustinus exponit: ( in Tract. 86. in Joan. ) Maneat, inquit, dilectio: ipsa est enim fructus noster. Quocirca etiã, si sangvinem profundamus, aut Angelorum etiam linguis loquamur, aut montes solo verbo transferamus; nisi reddamus hunc fructũ, nihilominus, ut infructuosi palmites præcidemur. Cuiusmodi crimen si iure plectendum est in omnibus ( Nam ex sterili ficũ test ri voluit Dominus, ( Luc. 13. Matt 21.) quæ supplicia in desides homines, ac plane steriles constituta sint ) quibus tandem securibus, quibus flammis sævitur in eas arbores, ex quibus nec soli, quod occupant, vberrima feracitas, nec syderum quibus afflantur, benignissima vis quicquam bonæ frugis expressêre.

Neque prætereundum puto, quod ad hanc rem maxime, de Evangelica ficu scribit Ambrosius. Quod de Iudæis, inquit, dictum, omnibus cavendum arbitror, & nobis maxime, ne foecundum Ecclesiæ locũ vacui meritis occupemus, qui quasi malagranata benedicti, fructus ferre debemus inter nos, fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuæ caritatis & amoris, sub vno utero matris Ecclesiæ inclusi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æstus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat.

Animum iam referamus ad opimũ istum ac pulcherrimum Ecclesiæ agrum, & in eius amplitudine meminerimus partem esse nullam, aut fer ciorem, aut frigoris & caloris modo temperatiorem, aut maiore agricolarum opera subactam, atq; excultam, quam religionis statum; & facile intelligemus quanto gravioris culpæ rei efficeremur, si hanc ipsam partem vacui meritis occupemus. Perspiciamus deinde quid mali punici typo Sanctissimus Doctor indi-

indicit de commoditatibus ac præsidiis, quæ nobis suppetunt ex religiosæ disciplinæ, tanquam velamento, aut cortice, qua contecti verendum non est, ne ventis impetamur, ne decutiamur grandine, ne stultarum æstu cupiditatum torreamur, ne deiiciamur imbribus ac procellis.

O quam optatam & expeditam securitatem religio nobis præstat! o quot utilitates & commoda nobis in hac tanquam pennaria cella reposita sunt, si ea cognoscamus! Verum hæc pluribus persequi neque loci, neque temporis huius est.

Sed quàm tuto agamus, audivimus: audiamus iam quæ nos vicissim ei, cuius in tutela ac præsidio sumus, debeamus. Debemus verò fructum malo punico quàm simillimum, fructum sanè non adumbratum ad speciem, & variis patentem iniuriis, sed constantem, & in intimis expressum sensibus: fructum ingenui pudoris, mutuæ fructum conjunctionis atque amoris, punicorum instar granorum, quorum & conceptaculum intra corticem, & rubicundus decor, & dispositio concinnior, usq; adeò vero alia ex aliis annexa tactu mutuo cohærescunt inter se, ut eorum series in uno aliquo potius solidoque corpore descripta videatur, quàm ex diversis vermiculata corpusculis. Ac ne longior sim hac in re, utq; ad alteram ex duabus, quas proposueram, gradum faciam, omnes ad extremum iisdem, quibus incoeperam verbis, oro atq; obtestor, nempe, ut consensionem mutuam, eo studio, quo Societatem salvam cupimus, tueamur.

## TERTIA PARS.

### De BB. Virginis singulari in Societate cultu.

Altera res, qua si minima Societas nostra nitatur, fore confido, ut (quæ Dei beneficentia est) etiam atque etiam in dies efflorescat, est præcipua

quædam religio ac pietas erga Sanctissimam Virginem Mariam. Ea namq; cùm parens fuerit eius, qui omne coelum, omnemque naturam molitus est, vere ac proprie, ut ait Damascenus, in res universas Heræ ac Reginæ nomen & jus adepta est. Itaque velim in omnibus rebus ac temporibus, sive publicis Societatis, sive propriis singulorum, præstanti quadam veneratione, ac singulari fiducia, quæ nullam vereatur repulsam, ad hoc laborum omnium, ac sollicitudinum perfugium supplices accurramus.

Equidem mecum dum reputo, quanto devotionis affectu hanc cæli Reginam complexi sint, quantumq; ex eius pio, & assiduo cultu, ad omnem profecerint sanctimoniam, ac privatim P. Ignatius quantam rerum nostrarum spem ac tutelam, in hac velut arce collocarit, magno teneor studio, ut & nos eam propensissimis animis atq; obsequiis prosequamur, deposcentes, ut ipsamet deprecante hæc pietas velut suavissima nardus nostris mentibus innascatur.

*Magnum nobis præsidium positum est in religioso BB. Virginis cultu.*

Certè sive spectemus Deiparæ Virginis dignitatem, autore Deo, in tam illustri excelsoq; loco sitam, ut per se ipsa, &religionem & admirationem moveat: sive beneficiorum illius in nos magnitudinem, quibus gratiam, quam possumus, referre fas est: sive inopiam ac mendicitatem nostram, quam oportet, tam salutari patrocinio sustentemus, potiora semper sperantes in posterum, hæc inquam, omnia si spectemus; ea sane quàm maximas à nobis honoris, & amoris significationes erga cœlestem hanc præsidem, & custodem nostræ salutis exposcunt.

Qua-

Quapropter meritò Divus Bernardus, *Totis*, inquit, *medullis cordium*, *totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur*, *quia sic est voluntas eius*, *qui totum nos habere voluit per Mariam*. Denique cùm tot nostræ, & egestates, & ærumnæ levari nequeant, nisi ab ea, quæ polleat, & caritate, qua velit; & potestate, qua laborantibus queat opitulari: quantum in utroq; Maria valeat, ex eo, quod præpotentis Dei mater est, manifesto perspicitur. Id Divus Bernardus tradit iis verbis: *Nihil enim sic potest*, *vel pietatis eius*, *vel Potestatis commendare magnitudinem*, *nisi forte*, *aut non creditur Dei Filius honorare Matrem*, *aut dubitare quis possit*, *in affectum caritatis transisse Mariæ viscera*, *in quibus novem mensibus ipsa*, *quæ ex Deo est*, *caritas corporaliter requievit*.

Verùm quia longiori, aut cohortatione, aut laudatione Augustissimam Virginem celebrare mei consilii non est, ut ad calcem aliquando decurrat oratio, illud addidisse satis sit, quod Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in Homilia quadam, brevissimè quidem, sed gravissimè de pie ac benevolè colenda Deipara Virgine pronunciavit, eam compellans: *Quomodo*, inquit, *corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem*, *ita etiam sanctissimum tuum nomen*, *quod in ore servorum tuorum versatur assiduè*, *in omni tempore*, *loco*, *& modo*, *non solùm lætitiæ*, *& auxilii est signum*, *sed ea etiam procurat*, *& conciliat*. Ego sanè immensa Dei largitate fretus, facilè in animum induco, ex hac posteriore renovatione, cui non minus sedulo, plus etiã quã priori, vacandum esse confido, omnibus Societatis membris præstantẽ quendam splendorem atque incrementa pietatis accessura, præsertim si serio atque enixè studeamus duobus iis ornamentis, quæ

iam dudum commendo, magis ac magis abundare, nimirum, fraterna inter nos consensione, & per quam honorifico in Beatissimam Virginem studio ac pietate.

Quam si deditissima mente cumplectamur, suam illa in fidem, & clientelam nos adsciscet, augebitque velut sedula deprecatrix iis virtutibus, quæ ipsam quasi delitiis affluentem coelitibus ipsis speciosam atque admirabilem præstitere: & quibus nos oportet collucere, ut Eius Filio placeamus, qui earum vestigiis ac velut lineamentis terrarum orbem primus impressit, veramque docuit humilitatem, puritatem, patientiam, animarum zelum, & rerum quæ in terris sunt, despicientiam, ut sua nos aliquando similitudine conspectuque dignatos in sempiternæ lucis, & gloriæ domicilio collocaret.

# DE FERVORE SPIRITVS iugiter in nobis excitando fovendoque.

## EPISTOLA.

A Reverendi P. N. Claudii Aquavivæ, ad PP. Fratresque Societatis.

ADMODVM REVERENDI *in Christo Patres Fratresque charissimi.*

Pax Christi.

*Semper ad anteriora progrediendum, etiam perfectis.*

QVam necessaria sit quotidiana Spiritus renovatio, iugisque & indefessa interioris hominis reformatio, ex iis, quæ in se miser experitur, intelligit & confitetur; quisquis non segniter spiritualis esse desiderat; nisi forte hoc esse negligat, quod esse profitetur. Hinc divina eloquia in Prophetis, Apostolis, ac Sapientiæ libris, nihil frequentiùs, nihilque efficacius commendant, & urgent, quàm ut

ea, qvæ retrò ſunt, obliviſcentes ad anteriora nos indefeſſis ſtudiis extendamus: ita ut Apoſtolus ipſe Paulus, cùm ad id nos graviter cohortatus eſſet, hæc verba ſubiungat; ( Phil, 3. ) *quotquot enim perfecti ſumus, hoc ſapiamus*: Ne quis forté occaſionem errandi ſumeret credendiq; illud ad incipientes tantum pertinere, vel certè eos, qui magno principio exorſi fuerant ( ut revera facimus, quicunque ad religionis ſtatum, divina miſericordia vocati ſumus ) perpetua renovatione minimè indigere. Quo factum eſt, ut D. Hieronymus ad Abigaum, ( Epiſt. 32. ) hæc ſuo nomine filiæ cuidam ſpirituali indicanda denunciet, ut in cœpto itinere non laxetur, ut ad terram ſanctam multò per eremum labore perveniat; ut non putet perfectam virtntem, exiiſſe de Ægypto, ſed per innumerabiles inſidias ad montem Nabo, & ad Iordanem fluvium pervenire: ut accipiat ſecundam in Galgala Circumciſionem; ut illi muri Iericho corruant, ſacerdotalium tubarum ſubverſi clamoribus: ut iuguletur Adonizedech: ut Hay & Hazer pulcherrimæ quondam corruant civitates.

Quibus licet brevibus, frequenti, ut ſolet, ad ſacras Hiſtorias alluſione illud indicat glorioſus hic Doctor, non ſatis eſſe mundum ingreſſu religionis reliquiſſe; ſed ut ad terram promiſſionis, id eſt, cœleſtem gloriam pervenire valeamns, per innumeras nobis tentationes, atq; inſidias perrumpendum eſſe, perveniendumque ad ſublimem perfectionis montem, & ad Iordanem fluvium, qui ſuo nomine ( quod deſcenſionem ſonat ) voluntariam mentis humilitatem, ac utilitatis noſtræ opinionem indicit; ubi à pulvere & ſudoribus perpetuis (quibus ex laboribus, & tenrationum ſollicitudinibus, ac vitæ huius diſtenſionibus fœdari neceſſe eſt,

& lavari poſſimus, &recreari. Neceſſariam præterea eſſe ſecundam in Galgala circumciſionem, quòd non ſufficiat mundi huius ſuperfluitates, ſemel tantummodo reſecuiſſe, niſi etiam frequentiùs, imò perpetuò ſtudeamus abſcindere quidquid in nobis aſſiduè germinat, quod à coepto itinere quoquo modo præpedit. Neceſſariam eſſe fortitudinem, nec minus aſſiduam orationum inſtantiam, quo difficultatum muri, qui obſtant, deſtruantur. Occidendum, quidquid in nobis carnale & ſenſuale adhuc viget: & civitates munitas inimicarum regionum, hoc eſt, quantum ego aſſequor, quidquid mundus amat & ampleʃtitur, pervigili ſollicitudine deſtruendas.

*Impedimenta profectus varia, pepertuò nobis objiciuntur*

Nec difficilè intelligemus, unde difficultates innumeræ, & impedimenta moleſtiſſima oriantur; ſi ſpectemus & qualitatem & vanitatem mundi huius, in quo tamen, quamdiu in mortali corpore peregrinamur, vivere cogimur; ſi inſidias & mille artes inimici, cui, ut loquitur S. Leo, ſanitas noſtra vulnera, lucra ſunt damna, qui & voluntate & arte omnes ſuperat inimicos. Si perpendamus concupiſcentias, quæ in nobis militant, quæ procli vem in ſingulas horas lapſum ad vitia, arduum aſcenſum ad virtutes ſuo pondere faciunt. Vnde neceſſe eſt nobis contra nos ipſos nunquam intermiſſam exercere pugnam, & invicta perſeverantia, indefeſſiſq; laboribus lucra conquirere, palmaque, ut cum S. Auguſtino dicam, quaſi de medio abreptam ſæculi huius incendio reportare.

*Occaſio Epiſtolæ.*

Quare & ſi aliquando, nec ſemel ſcripſi, cohortatus vos pro muneris mei obligatione, ut magnis itineribus ad eam perfectionem tenderetis, quam

nostrum Institutum exigit, fateor tamen, quoties attentis oculis, statum Societatis nostræ contemplor, quid boni ad Dei gloriam fiat in ea, quidq; melius fieri possit; toties me vehementer accendi, ut ad maiora tendamus; eoque magis, quòd quisq; nostrûm, si se diligenter excutiat, non solùm inveniet in rebus & actibus particularibus, quod emendet: ( in multis enim offendimus omnes ) sed etiã deprehendet clara luce, se nisi pervigil sit, & indefessus, atq; ad anteriora & superiora se rapiat, semper plurima, etiam non advertentẽ perdidisse.

Atque utinam circa huiusmodi cogitationes semper intenti, semper occupati essemus: appareret profectò longè pulchrior, longeq; splendidior totius huius corporis facies, atq; interiore auditu longè maiori cum suavitate & delectatione perciperetur suavis illa harmonia, quæ ex tanta nationum, naturarum, ingeniorum, talentorum, & gratiarum varietate, in auribus non tantùm militantis, verùm etiam triumphantis Ecclesiæ personaret. Ergo præter cætera, quæ divina aspirante gratia adhiberi poterunt, censui faciendum, ut hoc veluti præcipuo instrumento uteremur, exercitiorum videlicet spiritualium, & internæ cum Deo collocutionis, studio, quo ex adiumento non semel, eadem operante, fructus uberrimos in universa Societate percepimus. Quam ad rem etiam SS. D. N. Clemens VIII. ut pius Pater, & qui Religionis nostræ, felicem progressum desiderat, Jubilæũ etiam nunc, ut sæpè antea nobis efflagitantibus, concessit. Qua occasione sensi me etiam perurgeri, ut vestram *excitem in commonitione*, ( B. Petri verbis loquor, 2. Petr. 3. ) *sinceram mentem.*

*Vt olim consideratione templi Veteris Deus excitarẽ voluit tepiditatem Israelis; ita longè magis nos*

*consideratione vocationis nostræ excitari debemus.*

Nec video quomodo, aut commodiùs, aut efficaciùs id præstare possim, quàm si Religionis nostræ, cuius quilibet nostrûm pars est, & membrum, statum & dignitatem ob oculos ponere tentavero.

Legimus in Ezechiele Deum Dominum, ut filios Israël, qui aberraverant, excitaret, ac pudore suffunderet, dixisse Prophetæ; ( Ezech: 40. ) *Fili hominis, ostende domui Israël Templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus, quæ fecerunt.* Et quidem B. Gregorius ( 23. Moral. c. 5. ) intelligit, tunc Deum nobis ad confusionem Templum ostendere, atque exactam mensuram considerandam indicere, cùm oculis nostris vitam perfectorum hominum subiicit, ut comparantes nostris imperfectionibus illorum virtutes, paupertati & humilitati nostræ, illorum sublimitatem, humiliemur tandem, & ad perfectionis studium accendamur.

Ego tamen existimo, posse nos hanc totam Templi ostensionem & dimensionum descriptionem in alium derivare tractatum; nam si plurimam confusionis & erubescendi materiam Dominus tunc præbebat, cum populo illi ostenderet, quam ingens illa fuisset machina, & qualis, quæ eo tempore ferè conciderat; quomodo sua ipsi culpa ea privati fuerant, quibus gemitibus, quaque instantia orationum contendere debuissent, ut iterum restitueretur, quam non multis ante annis ingenti decore & Maiestate florentem viderant. Quid quæso animi nobis esse poterit, quæ non confusio faciem nostram operire, si structuram hanc Societatis, quam non fundavit solùm, sed singulari etiam providentia, & servat, & auget divina Bonitas, sincero & vivido mentis intuitu contemplemur? Arbitror itaque

præ-

præter cæteros, quos investigare quisque posset, tres præcipuè ob fines, qui nunc meo instituto deserviunt, adeo exactè voluisse Dominum Templū illis à Propheta describi.

*Nisi dignitati vocationis nostræ opere ipso respondeamus: ingratissimi merito censeamur.*

Primus est, ut contemplantes amplitudinem, Maiestatem, structuram admirabiliem, ornatum & divitias illius, atque ex eo intelligentes expensas, opera, magnificentiā, quibus illud divina sapientia in illorum bonum, utilitatemque statuerat, confunderentur & erubescerent, cùm animadverterent, quanta vicissim ipsi ingratitudine respondissent, suisque peccatis & operibus id egissent: ut quasi vanus, & inutilis tam divinus apparatus redderetur; quàmq; insipienter, dum id boni possiderent, eo frui neglexissent. Et nos igitur, si diligentiùs inspiciamus hanc Societatis nostræ machinam, quam Dominus tam insigni architectura & magnificentia erexit; si consideremus structuram, columnarum firmitatem, porticuum amplitudinem, ornatum capitellorum, divitias auri, magni illius vasis ( quod propterea mare vocabatur ) commoda, sanctitatem altaris, sacrificiorum varietatem, & sexcenta huiusmodi, singulari consideratione dignissima, ( quæ omnia facilè quivis poterit in spirituali sensu, divino ædificio nostræ Religionis applicare ) stupore ac ecstasi repleti non poterimus ex intimo corde non exclamare cùm Propheta: ( Psal. 83. ) *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Et quoniam, ut S. Augustinus in re quidem alia loquitur, ( in Joan. ) dum dicitur Dominus parare nobis locum, simul etiam nos loco parat; nec divi-

divinæ providentiæ, cui omnia præsentia sunt, novum aut inopinatum erat quemque nostrum vocare, ut hoc in loco habitaremus; certum est, quo tempore B. P. N. ut divina sapientia repletus Architectus, & exemplar huius fabricæ, & structuram ipsam moliebatur, eodem etiam divinam bonitatem, quos, quales, quot, & quomodo in ea habitaturi essent, iam designasse. Iam igitur, qui seriò huic meditationi cor dederit, quomodo poterit non confundi & erubescere, cùm perspexerit, quam amplum, quàmque augustum Templum Deus nobis construxerit, ipseque vicissim quàm parum huic beneficio respondere nitatur.

*Dignitas vocationis nostræ meritò magnam & sollicitudinem in nobis excitet, & fiduciam proficiendi.*

Secundus, ut intelligentes peculiarem in eo Templo Altissimi assistentiam, quod se facturum promiserat Salomoni illis verbis: ( 3. Reg. 9. ) *Sanctificavi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*; intelligerent simul, illud in eis respectu quidem tantæ Maiestatis, omninò debere progignere sacrum quemdam profunda cum reverentia horrorem, admixtum sollicito cuidam tremori, ne id profanarent; quemadmodū & vicissim ob tam benevolas, lætasque promissiones, quas Dominus exhibebat, singularem quandam fiduciam; quandoquidem oculi & aures Illius, qui summa sapientia, summaq; simul bonitas est, perpetuò aperti atque intenti super domnm illam erant, quibus perpetua Illiùs protectio apertiùs insinuatur, ( 2. Par. 7. )

Et nos igitur procul dubio, si profunda meditatione attendamus divinæ bonitatis assistentiam, atque solicitudinem, quam huic minimæ Societati exhi-

exhibere dignatur, non modò cognitam in nobis, ſed, ut ita dixerim, manibus contrectatam, in tam multis rerum varietatibus, tribulationibus, perſecutionibus, proſperitatibus, infamia & bona fama, fructibus in proximos, gloria quæ factori tribuitur, aliiſq; plurimis, quæ ingenti cum admiratione, & conſolatione cernuntur, poterimus certè, ſi veri & legitimi Societatis filii fuerimus, non pro nobis tantùm, ſed etiam pro aliis ſingularem quandam Dei protectionem nobis abſq; ulla hæſitatione polliceri.

Quod ſi ſcriptura divina refert, quaſi magnum aliquod privilegium, Nabuſardan ( qui licet magni Regis, vermis tamen & mortalis hominis, & ipſe homo, Dux erat ) dixiſſe Hieremiæ, ( Hierem: 40. ) *Ponam ſuper te oculos meos:* in quid fiduciæ ac ſpei non poterit anima excreſcere, quando ſolus potens, qui omnia, quæcunq; voluit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, fecit, aſſerit ſe apertos & intentos habere oculos in eum locum, quo ſingulari ſua providentia vocavit illam? Revereatur itaque profundè tantæ Maieſtatis præſentiam, humilietur in abyſſo ſui nihili in conſpectu eius, repleatur divina fiducia, & animi magnitudine, quiſquis ad eum locum vocatus eſt. Cæterùm, dum hæc perpendit, ſi quid in eo ſenſûs eſt, non poterit non confundi, & compungi, quod tam malè reſpondeat.

Sed illud mihi exploratum eſt; hanc divinam protectionem, eiuſq; præſidia, vix, plus audeo, ac ne vix quidem, eos ſibi polliceri poſſe, qui egreſſi limites & cancellos inſtituti, nec ſibi præ continuis diſtractionibus, nec proximis per ſpiritualia adiumenta intendunt: ſed illorum communicatio cum externis extra gratiam vocationis eſt, & ſæ-

cula-

cularis potiùs magisque finibus & adinventionibus illorum accommodata, quibuscum agunt, quàm Dei lucris, & fini religionis nostræ, qui sola animarum salus, & gloria Dei est: fitque inde, ut plurimas non profuturas aliis, sed sibi nocituras horas vtilioribus studiis suffurentur.

Proinde, qui se ad huiusmodi occupationes & distractiones inclinari sentit, obsecro per misericordiam Dei, diligenter id examinet, cunctq; in lumine Spiritus S. attendere in se, seque invenire; neque sinat se torrente humanæ gratiæ, aut plausibus potentium abripi: sed id potius sibi persvadeat, huiusmodi humanis ac secularibus tractationibus, se & seipsum, imo & Societatem, non sine insigni iactura proprii Spiritus, & fructus proximorum, variis iisque non levibus periculis exponere: *qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut Aquilæ volabunt, & non deficient.* ( Isa: 40. ) sicut re ipsa in iis apparet, qui puro zelo animarum salutem consectantes, per vastitates terræ, per immensitates Oceani, in mediis periculis & mortibus, à Domino admirabili planè providentia & potestate, & anima & corpore proteguntur. Quemadmodum & Apostolus Paulus, singulare speculum ministrorum Dei, atque hominum Apostolicorum, manifestè asserit de seipso, ( 2. Cor: 11. )

*Turpissimum nobis fuerit vocationi nostræ non respondere, & maximorum spiritualium lucrorum in ea perpetuas occasiones negligere.*

Tertius, ut videntes eas, quibus eo tempore fruebamur, occasiones & opportunitates magnopere proficiendi, & orationibus ac sacrificiis innumera bona conquirendi, ( quandoquidem exstruxerat eis Dominus in eo Templo aulam veluti quandam

dam benignitatis, ubi ad familiare colloquium, ſine intermiſſione illos admitteret, ibiq; regalem miſericordiæ thronum erexerat ) dolerent ſe propria negligentia, & oblivione illius, quem perpetuò geſtare corde debuerant, non modò vacuos & ſine fructu remanſiſſe, ſed eo iam omnino miſeri caruiſſe.

Et quiſnam ſine rubore & ſiccis oculis recogitare poſſit ſubſidia, quibus in religione abundamus, ut in omni virtute & ſanctitate creſcamus, & tamen quàm exiguum ſit lucrum, quod inde conquirimus? Sic ſane dilectiſſimi, neceſſe eſt, quiſque noſtrûm profundè oculos figat, & metiatur fabricam, ut erubeſcat, quot opportunitates habeamus innumeros theſauros acquirendi, Virtutum actus exercendo: quot calcaria, quæ ad perfectionem urgeant: quot ſtimulos in conſcientiæ examine, quot reprehenſiones in exhortationibus, quas frequenter audimus, ſi tamen nos ipſos deinde ad interiora reducimus, ut Deum audiamus, eas medullitus explicantem, lucidiuſque & efficaciùs imprimentem: quantam in Superiorum vigilantia cuſtodiam: quales in multitudine regularum ſepes: quàm copioſam de cœlo cœleſtium donorum pluviam, in frequentia Sacramentorum, præfertim Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, *quam cum dico* ( ait S. Chryſoſtomus ) *omnem benignitatis Dei theſaurum aperio*: qualem contra inimicos omnes fiduciam à ſpiritualibus munimentis & vallo: quàm firma & valida in orationibus arma, qualia in pœnitentiis & corporis afflictionibus munimenta: quantam in Angelorum cuſtodia ſecuritatem; ut vere ſecurus aſſeram, ſi hæc à nobis eo, quo par eſt, modo perpenderentur, magna nos procul dubio, & confuſione & triſtitia, quòd tam tenuiter his omnibus reſpondeamus, ſæ-

piissimè perfundendos.

*Seria consideratio vocationis nostræ quomodo tepiditatem nostram accendere debeat.*

Quare illud cupio modis omnibus, ut seriò & accuratè in turpitudinem & foeditatem tepiditatis, reluctantes licet oculos convertamus, recogitantes, & cuinam serviamus, qua promissione ex parte nostra, quibus ex parte Religionis præsidiis, quanta ex parte Dei gratiarum copia, qui nos vocavit, prævenit, & traxit: qua spe & magnitudine promissorum à tam liberali, tamque potenti vel pro minimis obsequiis Remuneratore; quandoquidem Rex talis non maximus modò, sed etiam supremus ac naturalis, à quo & esse, & vivere, & moveri, & denique omnia sine cessatione percipimus; qui semper oculos super nós apertos vibrat, non ut discernat tantùm opera, sed ut nos adiuvet, cui ut servi at natura nostra, condita est, adeò ut in hac una re suam felicitatem inveniat, ut S. asserit Augustinus; quandoquidem sic facta est, inquit, ut ei bonum sit subditam esse, perniciosum autem, suam: non eius à quo condita est, facere voluntatem ) qui sic curat unumquemq; nostrûm, tanquam solùm curet; qui tum res nostras diligentius atque accuratius procurat, cum perfectius curas omnes nostras nosque ipsos in eum proiicimus: Rex inquam talis, Dominus, ac Pater, quomodo non integram atque omni ex parte perfectam mereatur servitutem? Vnde B. Augustinus pleraque ex iis capitibus attingens, sic Armentarium compellat: *Reddite igitur, quod vovistis, quia vos ipsi estis, & ei vos redditis, à quo estis, reddite, obsecro. Neque enim, quod redditis, reddendo minuitur sed potius servabitur, & augebitur; Benignus enim exactor est, non egenus & qui non crescit ex redditis, sed in se crescere facit redditores.*

*res. Huic ergo quod non redditur, perditur, quod autem redditur, reddenti additur. Imò verò in eo, cui redditur, ipse reddens servatur. Id ipsum quippè erit redditum & redditor, quia id ipsum erat, debitum & debitor, Deo namque seipsum debet homo, eique reddendus est, ut beatus sit, à quo accepit, ut sit.*

*Damna tepiditatis multa & magna, & radices eiusdem.*

Cæterum de damnis huius tepiditatis, id est, de molestiis & amaritudinibus, quas tepida anima patitur, quomodo permultis, iisque gravioribus periculis exposita sit, ne à Domino ( ut ipse in Apocalypsi loquitur Apoc. 3. ) evomatur; quàm difficilis & tarda sit huius morbi curatio, cum homo seipsum palpet, & quasi hecticus, cùm ea maximè laboret, febrim non sentiat, quo pacto quotidie aliquid perdat, quòd natura semper seipsam quærat, & insensibili quodam modo, quasi alluvione consumat; & si qui fiunt interdum actus, qui boni videantur, remissi atq; ignobiles fiant; quomodo quotidie ad capiendas, quæ ex divino fonte iugiter fluant, àquas, vas cordis iugiter angustetur; quod plurimis gradus gloriæ, quos fervore lucrari potuisset, miser huiusmodi homo sibi tepore furatur, deque innumeris aliis incommodis quæ ex eo morbo proveniunt, digna prorsus, quæ serio, neque cursim recogitentur à nobis & plorentur; memini me in libro Industriarum aliquid pertractasse. Nunc satis est cum B. Gregorio concludere: ( 3. Pastoral. admonit 35. ) si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat: Hinc enim est, quod per Salomonem dicitnr. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Radi-

Radices porrò & cauſas huius tepiditatis, licet ad eas ferè reducantur, de quibus mox dicam, tamen neceſſe erit, ut quiſque peculiari ſtudio ad cor rediens, excutiat diligenter, ut eas intelligat & eradicet, vel certè mortificet, ut quæ tam amaros atque exitiales fructus gignant. Quæ autem in mentem nunc veniunt, hæc ferè ſunt; Amor proprius ſeipſum perpetuò quærens: paſſionum rebellio, & conflictus: horror difficultatis in pugna & victoria: deſiderium rerum facilium & molliorum, cuiuſmodi eſſe ſolent, ad quas natura propendet: defectus orationis, voluntaria per multa cordis evagatio, qua ſemper effluimus: negligentia examinis; & huiuſmodi plurima; quæ opus non eſt hic ſigillatim recenſere.

*Meditatio continua perfectionum divinarum, quidq; tali ac tanto Deo nos debeamus, magnum ad profectum calcar præſtat.*

Illud tamen non omittam, quod puto, & aliqui experti ſunt, plurimum iuvare poſſe, hoc autem eſt, per multum temporis, dieſque plurimos seriò atque accurate meditari, quanta obligatione obſtricti ſimus Deo per omnia reſpondendi, quàmque ſegniter & quàm male id præſtare nitamur. Id quod ſi in ſæcularibus deflendum eſt, longe magis in nobis, qui Religioſi ſumus, & ſentiendum & deflendum eſt, qui & ex obligatione ſtatus, & propter opportunitates quibus, abundamus, ut dictum eſt, & ob multitudinem & magnitudinem beneficiorum id excellentiùs præſtare debemus.

Quod ut clariùs intelligamus; & non ſegniter, nec quaſi prætereuntes meditemur, poterimus id perpetua memoria retractare, ſi inter innumeras, quas in ſimpliciſſima ipſa Dei natura, perfectiones inveſtigare poſſumus, duodecim ſaltem conſideremus,

mus, quæ aliqua viciſſim a nobis exigunt.

Prima eſt, Maieſtas & celſitudo. Secunda; immenſitas & præſentia vbiq; locorum, 3. Naturale Dominium in omnia, quæ creata ſunt. 4. Providentia, quæ nos gubernat. 5. Beneficia, quibus nos prævenit. 6. Sapientia. 7. Pulchritudo. 8. Suavitas & dulcedo. 9. Liberalitas. 10. Amor. 11. Quod ſit Spiritus & vita animæ. 12. Quod centrum & finis illius.

*Contemplatio Maieſtatis Dei, ad timorem in nobis & reverentiam excitandam valet plurimum.*

1. Maieſtas igitur ac celſitudo abyſſalem, ut ita dixerim, reverentiã & timorem exigit. Nam ſi Ezechiel vidit ſubſiſtere Cherubim, ( Ezechiel: 1. ) alasq; demittere, cùm primùm vocem audierunt ex firmamento, quod quaſi Sapphiri ſpecie ſuper capita eorum erat, vocem omnipotentis Dei, ut ibi ait *S.* Hieronymus, ferre non valentes: quanta nos vermiculos terræ contemptibiles reverentia, quantoque tremore aſtare decet? Vt propterea dixerit Apoſtolus ad Hebræos: ( Heb: 12. ) *Habemus gratiam, per quam placeamus, ſervientes Deo cum metu & reverentia, etenim Deus noſter, ignis conſumens eſt.* ubi Græcum verbum, non nude reverentiã, ſed cum pudore & rubore admixtam ſignificat.

*Omnipræſentia Dei, puritatem diligentiamque in nobis exquiſitam requirit.*

2. At præſentia, cum ipſe ſit intellectus & oculus nos actu ſemper conſiderans, nec exteriora tantùm, ſed etiam noſtra, quibus ipſe intimior eſt, acutiſſimè diſcernens, pedumque noſtrorum radices cònſiderans, ( quód pro verbo ( veſtigia ) ſeptuaginta in Job reddiderunt ) maniſteſte & puritatem mentis & corporis non vulgarem & exquiſi-

quisitam in operibus diligentiam exigit. Neq; enim fas est, distorta, maleq; disposita opera, præsente ipso ac prospiciente moliri, cuius *oculi*, ut scriptura loquitur, ( Eccli: 23. ) *multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & hominum corda intuentes in absconditas partes*. Deinde verò etiam fiduciam & animi magnitudinem; quandoquidem solo intuitu nos erigit, confortat, ac virtutem ministrat operandi, tam piè tamq; dulciter & cor dirigens, & manum movens, ut B. Dionysius non dubitaverit, cùm de divinis nominibus & perfectionibus loqueretur; Deum ipsum Græcè nomine eo appellare, quo significatur illum extenta semper manu, nos manuducere.

*Dominium Dei absolutum in nos plenissimam subiectionem sibi postulat.*

3. Dominium verò, quo Dominus dicitur Dominantium, Rex Regum, Deus Deorum, quippe non solùm omnium Dominus, & verè solus Dominus, sed etiam fons omnis Regni, omnisq; Dominii, proculdubio promptam à nobis obedientiam, integrumq; ac maximè voluntarium servitium requirit; quandoquidem non ex aliqua cum illo conventione, pactove, aut ob propria nostra commoda ( ut aliis Principibus fieri solet ) sed naturali subiectione, utpote, cuius omne creatum possessio sit, eius servitio sumus obstricti, eoque magis, quo natura nostra, ut dictum est, talis est condita, ut perfectionem aut requiem alibi invenire non possit, nisi cùm integrè subdita est Ei, à quo facta est.

Quod si creaturæ omnes Ei obediunt, unde Propheta ait, ( Psal: 118. ) *ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt Tibi*. & cœli lumen ac stellæ, ut alius Propheta loquitur, ( Baruch: 3. ) *cum*

*cum tremore Ei obediunt*, & *in custodiis suis lætatæ dicunt: adsumus*, & *lucent cum iucunditate Ei*, *qui fecit eas*, dignum profectò est, ut homo similis factus Angelis, cùm Factori suo longè nobiliori modo, id est, per intellectum & voluntatem servit, obediat Illi in omnibus, maiori qua poterit perfectione ac promptitùdine, illud interim dolens, nec sine pudore ingemiscens, quòd tam frequenter ab Eo deviare se conspicit. Si verò etiam promissionem per vota præstitam addamus, & consecrationem, qua nos totos Ei dicavimus, ut ad perfectam Dei servitutem liberi aspirare possemus: Deus bone, quantùm excresceret cumulus debitorum!

4. Verum providentiæ, quâ nos assiduè dirigit, nobis consulens, nos vocans, excitans, gubernans, non obscurum est, quanta resignatio debeatur. Talis nempè, qualem Princeps Apostolorum verbis illis explicat. *omnem*, inquit, ( 1. Pet. 5. ) *sollicitudinem vestram proiicientes in Eum*, *quoniam Ipsi cura est de vobis*; ita, ut in omnibus vel prosperis, vel adversis, quæ contingunt sive ab hominibus, sive undecunq; proveniunt, parati semper simus, beatam illam vocem emittere, quam S. Leo Ecclesiæ filiis medullitus discendam esse pronunciat; *Non mea voluntas Pater*, *sed tua fiat*: atq; iis præsertim, qui seipsos abnegantes, propriæque voluntati renunciantes profitentur, se se non ex parte, sed integrum obtulisse providentissimo Patri holocaustum.

Vnde fiet etiam, nihil ut timere possimus, &, quod inde nascitur, solidum illud gaudium sentiamus, nullis unquam lætitiis vlla ex parte conferendum, quo perfusus, qui ingeminaverat; ( Psal. 56. ) *Paratum cor meum Deus*, in illas erupit voces; *cantabo* & *psallam*, *exurge gloria mea*, *exurge*

*Psalterium meum & cythara*; tanta est in vera resignatione hilaritas, & Dei laus.

*Beneficia Dei in nos maxima, omnem sibi gratitudinem à nobis deposcunt.*

5. Cæterum beneficia quisque viderit, quantam animi gratitudinem, beneficiorum agnitionem, gratiarum actionem, & operum mutuam redditionem postulent. Nam si in rebus humanis ingratitudo tolerari non potest, satis liquet, qualis erga Deum erit, erga quem sanè tum ob frequentiam illorum, tum magnitudinem, tum ex necessitate nostra, qua illis assidue indigemus, tum quod ab Illius bonitate nullo Eius lucro nullaq; necessitate promanant, demùm quòd à tam nobili atq; divina manu proficiscàntur, crescit cumulus in immensum. Atque ex huius gratitudinis defectu nascuntur, ut S. Augustinus & S. Bernardus asserunt, detrimenta omnia atq; mala spiritualia. Est enim ingratitudo, ut hi Patres loquuntur, veluti ventus urens, bona omnia exsiccans, fontemq; misericordiæ, super ingratum hominem obstruens.

*Sapientia Dei infinita attentos nos discipulos ad omne internum Eius Magisterium reddat, oportet.*

6. Sapientia porrò, attentum omninò & excitatum discipulum exigit, ut & audiat solerter, & apprehendat fideliter internum Illius magisterium. O quanta circa animi nostri defectus, virtutum pulchritudinem, semitas, quibus nobis incedendum est, secreta, quæ mundi amatoribus non manifestantur, viam se se ad perfectionem extendendi, modum cum eo agendi, internus nos Magister hic docet: Quare Isaias, ( Isa. 50.) *erigit manè*, inquit, *manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.*

Hæc nos intus docet semper, nos ipsos habere suspectos, secreta iudicia Dei pertimescere, nostram

ſtram vilitatem, noſtrumq; nihil agnoſcere, in divino tantùm auxilio ſpem ponere, ſcientes: quia vana ſalus hominis; tandemque, ut Spiritus S. loquitur, Sap: 8. *ſobrietatem, & prudentiam, & iuſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Nec difficile eſſet hoc ſapientiæ magiſterium, ſi illius bonos, ac ſuaviſſimos ſuſurros, in mentem tandem inter ruinas & rudem collapſi ædificii noſtri, indeque erutum cor, applicaremus, & omni terrenarum, ſtrepitu ſilente curarum, in mentis penetralibus docentem audiremus: quandoquidem ipſamet circuit quærens nos ad magiſterium.

Quare Spiritus S. ubi de divina hac Sapientia dixiſſet, ( Sap. 6. ) eum, qui illam quærat, minimè laboraturum, *aſſidentem enim foribus ſuis inveniet eam*, ſubdit, *in viis oſtendet ſe illis hilariter, & in omni providentia occurret illis:* ubi Græca vox, quam noſter interpres ( providentiam ) dixit, haud paulò plus indicat. Significat enim propriè excogitatum aliquod & inventum: ut ſit ſenſus; Deum non ſolùm præ foribus noſtris, nos expectantem operiri, ſed etiam in viis, hilari, ſuavique vultu nobis occurrere: deniq; nullum prætermittere inventum, nihil non excogitare, ut ſe ſe nobis oſtendat. Tanta eſt Illius bonitas, tamque ingens deſiderium, quo noſtram perfectionem exoptat.

*Immenſa Dei pulchritudo & maximam Eius appetentiam, & terrenarum rerum omnium contemptum, parere debet in nobis.*

7. At pulchritudini, & pulchritudini tantæ, ſacram quandam & ardentem concupiſcentiam cum incredibili rerum creatarum omnium contemptu, deberi facilè, videt, qui videt. Sed quis poterit Oceanum hunc intrare, ut de divina pulchritudine diſſerat? ſi etiam de creata ſapientia, quòd do-

num in nobis est, & vix minima quædam guttula perennis illius fontis, dixit Sapiens ( Sap. 7. ) ut quibusdam placet, *speciosior est sole super omnem dispositionem stellarum; luci comparata invenitur prior?* Legat, qui voluerit, non sacras literas in quibus innumeris locis, hæc pulchritndo resplendet, sed etiam SS. Patres, cùm de divinis perfectionibns agunt, præsertim verò Dionisyum, de divinis nominibus, qui liquidissimè pulchritudinem hanc videtur esse contemplatus.

A nobis certè quod exigitur, præcipnè illud est, ut purgandis oculis, quibus videri potest, munditiæ scilicet cordis, diligentissimè attendamus. Nam neq; in hac vita impurus oculus eā potest intueri, ut plurimis locis egregiè docet D. Augustinus, nec in alia revelata facie, poterunt eam contemplari, nisi qui in hac mortali eum diligenter expurgaverint, vel certè ita constituerint, ut possit in purgatorio plenè mundari.

Atque ex hac procùl dubio visione ingens fastidium, maximusque contemptus orietur cuiuscunque tandem rei, sive visibilis sit, sive invisibilis, quæ illo inferior sit. Quapropter de Angelis, quorum nos formam ac similitudinem, quantum qûidem in hac vita assequi licet, omnino decet æmulari, S. Augustinus loquitur: ( De Civit. Dei ) præ cuius non solum incorporali, sed etiam incommutabili & ineffabili pulhritcudine, omnia, quæ infra sunt, & quod ille est, non sunt, seque ipsos inter omnia despiciunt, ut ex toto, quo boni sunt, perfruantur. De quo sanè aspectu & pulchritudine dum loquor, illud præterire non possum ex attenta huius pulchritudinis consideratione, quòd in creatis pulchris contingere non potest; id provenire utilitatis ac commodi, ut & ipsi pulchri efficiamur, ut ad illius simi-

similitudinem conformemur.

Fit enim, ut ex Apostolo 2. Cor. 3. animaduertit Sanctus Bernardus, ut, cùm anima *gloriam Domini speculatur, in eandem imaginem transformetur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*; quo quid dici utilius, aut augustius potest? Ad quam similitudinem ut nos D. Augustinus cohortetur, explicans verba illa Psalmi, *Deus quis similis tibi*; sic ait, non ab illo recedat ( scilicet homo. ) Ei cohærendo, signetur tanquam ex annulo cera, illi affixus, habeat imaginem eius, faciens, quod dictum est ( Psal. 72. ) *Mihi adhærere Deo bonum*, vere custodit similitudinem, & imaginem, ad quam factus est.

*Svavitas & dulcedo Dei, cælestium rerum desiderium in nobis acuat, necesse est.*

8. Svavitatem porrò & dulcedinem sanitas quædam palati & gustativæ virtutis excipiat, necesse est. Quare omnino ab omni terreno sapore, qui eam inficere possit, repurganda est accuratè. O quàm miserum in modum, cura & delectatio terrena, Divinum saporem impedit' nec dubium, quin peccata interdum etiam levia, nisi frequenter expurgentur, fructũ internæ svavitatis & saturitatis, teste B. Gregorio, supra quàm credi potest, impediant. Huic autem dulcedini gustatio debetur, & si dicere licet, saporatio, & quæ inde nascitur, insatiabilis quædam fames. Sed ex defectu interni divinæ dulcedinis gustus, provenit interdum, ut idem S. asserit, ut amemus miseri famem nostram foris. At contra, qui palatum assiduè expurgant, aptumq; coelestibus svavitatibus impensiùs reddunt, accipiunt quandam divinæ dulcedinis portionem, atq; in amorem castissimæ voluptatis inardescunt, ut spretis omnibus temporalibus, ad edendum bibendumque toto accendantur affectu.

*Liberalitas Dei, orandi & instantiam & fiduciam ingeneret nobis, par est.*

9. Liberalitas autem, perseverantem petitionum instantiam, imò verò importunam,ut ita dicam, & insatiabilem indicit, nec non impetrandi subnixam magnanimitatis fiduciam: ut propterea B. Bernardus dixerit, debere nos semper suspensos habere oculos erga Deum, expansum sinum ad largam Eius benedictionē, qui utiq; à copiosis illis coelestis mensæ deliciis vacua nunquam revertitur manu.

Oportet igitur nos magna cū fiducia impetrandi importunis precibus efflagitare, sinumq; cordis,ad suscipienda data optima, donaq; perfecta, semper habere dilatatum. Ad quod etiam maiores nobis animos addit, dum consideramus, nihil nos humile, nihil expetere terrenum, cùm harum rerum postulatio, quæ minimæ ac fere nihili sunt, iniuriam potiùs, ut ait Cassianus, tam munifico Patri ac Largitori irrogare videatur: qui paratus est maiora ac præclariora, absq; comparatione ulla donare, sed tantùm ea petere, quæ nos gratiores efficere possint Divinæ ipsius Maiestati, Illiq; arctius atque intimiùs unire. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ Eius.* ( Hebr: 4. )

*Amor Dei amorem instillat nobis, quo vicissim ametur Deus.*

10. Sed enim amor ad amorem trahit dulciter, compellit fortiter, nec alio quam amore compensari potest; nec video quicquàm, quod nos tantopere & humiliare, & pudore debeat suffundere, sicut profunda cogitatio, quod cùm à Deo, hoc est, à maiestate illa, quæ nihil in nobis dignum amore invenit, sed producit amando, tam mirum in modum fuerimus in amore præventi, tam parum tanto & tali respondeamus amori, cùm præsertim in

hoc solo affectu, ut S. Bernardus adnotavit Serm: 83. in Cant. ) aliqua ex parte Deo possimus rependere vicem. *Nam cùm amat Deus*, ( inquit hic S. Pater) *non aliud vult quam amari, quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.* Præmiserat autem, quod licèt timendus sit Deus ut Dominus, honorandus ut Pater, horum tamen neutrum acceptabit, si melle amoris condita non fuerint, deniq; meritò dixit: Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditur, refusus fonti suo, semper ex eo sumat, unde iugiter fluat.

Verùm sine suspiriis ac lachrymis cogitare non licet, quàm vilia & indigna sint, quæ ab hoc amore nos retrahunt, quantumque amor proprius, gravissimus eius hostis, avarissimus ipse atq; ingratissimus, quasi catenis quibusdam, ne Deo, cui nos totos debemus, integrè omnino reddamus, nectat atq; coerceat, & tamen dignum esset, ut S. Hilarius loquitur, ut illi nos integrè redderemus, cui debere nos recolimus, & originem, & profectum. Quamobrem ut amorem nobis, quem Ei debemus, sua lege commendaret, postquam se dulciter Patrem nostrum vocasset, *Diliges*, inquit, *toto corde, tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus tuis*, quamvis id ipsum, quod totum est, parum admodum sit; ut ideo meritò dixerit S. Bernardus: *amat charitas, amat immensitas, & vicem rependimus cum mensura*; & in Canticis sermone citato; Meritò cunctis renuncians affectionibus aliis, soli & tota incumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhibendo amore: nam & cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium?

Et hoc illud est; quod nos perurgere omnino debet,

bet; ut omni studio ac diligentia, nulla re prætermissa, quæ ad id conducere possit, ad amoris proprii mortificationem, diviniq; augmentum non segniter accendamur, donec cum sponsa gloriari liceat; ordinavit in me caritatem, hoc est, vexillum & præsidium amoris ( id enim sonat militare illud vocabulum ordinavit ) super nos mira dignatione constituit, tum ad nostrûm custodiam, tum ad ipsius Dominii conservationem, in quo bonum omne nostrûm positum est; & quamdiu anima infidelis Domino ac rebellis, non eiicit sua culpa tam necessarium firmumq; præsidium, nulla se vi à Domino separari posse secura confidat. Vnde vas illud electionis gloriatur; ( Rom. 8 ) *quis nos separabit à caritate Christi, tribulatio, an angustia, an fames?* & cætera, quæ fideliter enumerat.

Et revera quam tribulationem timeat, Domine IESV, qui Te exhortatore & consolatore intrinsecus roboratur? qua angustia coërceatur, qui in te summa latitudine corde undique dilatatur? quam famem horreat, qui Te pane vitæ compascitur & inebriatur? qua nuditate laboret, qui te indumento gloriæ tegitur & ornatur? cui periculo cedat, qui super omne mutabile, pennis amoris tui sublimiter elevatur? quæ illum persecutio frangat, quem læva & dextera tua molliter quiescentem amplecteris, & qui scapulis tuis iugiter obumbratur? quis gladius vulneret, quem turris fortitudinis undiq; cingis ac protegis? Non itaque immeritò humili fiducia plenus post verba illa subdit Apostolus: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare, à charitate Dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro.*

Quæ

Quæ verba perpendens B. Auguſtinus, ( de morib. Eccleſ. c. 11. ) tam ignitas divinaſq; adfert meditationes, tam dulces ſenſus, ut, ſi non omnes recenſere, ne longior ſim, aliquas tamen mihi præterire non liceat. Nemo, inquit, nos inde ſeparat, minando mortem; id ipſum enim, quo diligimus Deum, mori non poteſt, niſi dum non diligit Deum, cùm mors ipſa ſit, non diligere Deum, quod nihil eſt aliud,quam Ei quicquam in diligendo atq; ſequendo præponere. Nemo inde ſeparat, pollicendo vitam; nemo enim ab ipſo fonte ſeparat pollicendo aquam; Non ſeparat Angelus: non enim eſt Angelus, cùm inhæremus Deo, noſtra mente potentior. Non ſeparat virtus: nam ſi virtus hîc illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatem in hoc mundo habet, toto mundo eſt omnino ſublimior mens inhærens Deo Non ſeparant inſtantes moleſtiæ: hoc enim leviores eas ſentimus, quo, unde nos ſeparare moliuntùr, arctiùs inhæremus. Non ſeparat promiſſio futurorum; nam & quicquid boni futurum eſt, certiùs promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius, qui iam profectò benè inhærentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo, neque profundum, ſi enim ſuperna & inferna huius mundi ſignificantur, quis mihi cœlum polliceatur, ut à cœli Fabricatore ſeiungar;aut quis terreat infernus ut Deum deſeram, quem ſi nunquam deſeruiſſem, inferna neſcirem?

*Quia Deus vita noſtra eſt, meritò illi ſoli vivere debemus.*

11. Iam verò, quod ſpiritus & vita animæ ſit, meritò ad id nos obſtringit, ut omni ſtudio illi vivamus, quo vivimus, & ut vita noſtra omnis, ſenſus, motuſq; animæ à vitali hoc divino Spiritu, procedant. De hac animæ vita in libro de præce-

pto

pto & dispensatione ad finem. B. Bernardus ita philosophatur; si Deum amans anima ex ipso vivit, uti corpus ex ipsa, quo pacto quæso præsentior esse contenditur, ubi dat, ( id est corpori ) quàm ubi accipit vitam, ( id est Deo ) fons quidem vitæ caritas est, nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauserit: haurire porrò quomodo potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui caritas est, quæ Deus est? præsens igitur Deo est, qui Deum amat, inquantum amat; in quo enim minùs amat, absens profectò est.

Ex his licebit ex parte coniicere, quo studio cavenda sint nobis omnia, quæ vitæ huius actiones impedire possunt, quæ ex hoc Spiritu iugiter promanârint. Quare non modò exacta omnino diligentia à mortalibus peccatis cavendum est, quæ cùm cor feriant, ( de quo nobiliùs à Sapiente dictum arbitror. ( Pro. 4. ) *Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* ) extingvunt subitò sublimiorem animæ vitam, quæ inde ut cadaver putridum, ac putidum, simul immobilis, insensibilis, & plane inutilis redditur: sed omni etiam cura à venialibus & imperfectionibus præsertim gravioribus abstinendum: quæ veluti morbi animæ, atq; humores noxii, ( qui quasi defluentes in nervos, spiritus impediunt ) retardant, prohibentq; motus, sensusque vitales ab hoc spiritu venientes, quo vivificantur, vegetantur, & sensificantur animæ nostræ.

Quod si hoc exemplo corporalium infirmitatum, quas ut abiiciamus, tentamus omnia, perpenderemus diligentius, quæ actitentur in nobis; evigilaremus certe, ne quid intentatum in hisce spiritualibus depellendis relinqueremus, atque in omnibus attenta semper mente distenderemur, ut vitam

hanc:

hanc: quam hausimus, sensu motuque iugiter testaremur.

*Quia Deus est finis & centrum omnium creaturarum in eum omnes actiones nostræ sunt dirigendæ.*

12. Tandem, dum illum esse finem & centrum nostræ beatitudinis attentiùs ruminamus, liquidò certè perspicimus, non modò in statu vitæ nostræ, sed etiam, ut nostra regula docet, in particularibus actibus, in operibus, verbis & cogitatibus, semper in eum nobis, non segniter, nec cnm torpore tendendum; quandoquidem rerum omnium perfectio, quam & motibus semper intendunt, in eo posita est, ut ad centrum locùmve suum perpetuò moveantur. Nam si infelicia prorsus putarentur corpora, quæ suis ponderibus, gravitare scilicet, vel levitate, sua loca non peterent, longè profectò miseria nostra maior fuerit, nisi assiduè tendamus in Deum. Quod tunc verè fit, cùm actus omnes nostri, ab ipsius amore & moventur in ipsum, & diriguntur.

*Etiam venialia peccata omni sunt studio fugienda.*

Ex quo etiam id apparebit, quàm non leviter venialia æstimanda sint, & cavenda, quibus fit, ut actiones, quæ huiusmodi fuerint, non possint tendere in Deum. Quare B. Dionysius, malum asserit esse præter finem, extra terminum, scopoque carens. Itaque, si ex centum motibus, qui, verbi causa, uniùs diei spacio fiunt, plures fortasse, quã nonaginta in vanum recidunt, non in centrum; consideremus, obsecro, quàm nobis ingratum, quamque invisum genus hoc vitæ debeat esse. Nec dicat quisquam, ut genus hoc peccatorum ob humanam fragilitatem, sine singulari Dei privilegio, vitari non potest, ita frequens admodum esse, ut in multa eiusmodi prolabamur, præsertim cùm caro

caro concupiſcat adverſus ſpiritum, & concupiſcentia militet in membris noſtris, quandoquidem teſte S. Gregorio Nazianzeno, non ſolum compoſiti ſumus, ſed oppoſiti, quod eſt, in nobis ipſis impedimenta pugnaſq; portantes, non inquam, ad excuſandas excuſationes in peccatis hoc audeat adferre.

Primò enim reſpondeo, ſi non poſſunt omnia vitari, poſſunt multa; & qui vigilat in iis præveniendis, & occaſionibus amputandis, &, poſtquam eas admiſerit, flendo & dolendo diluendis, excitatus & pervigil in cuſtodia cogitationum, verborumq; in præcavenda diffuſione cordis, ad quod frequenter redeat: in ſtipularum eiuſmodi concrematione, in flammis caritatis CHRISTI, multa proculdubio cavere poterit. Vnde cavebit etiam conſequenter motus quàm plurimos, inordinatos & vanos, qui ad centrum minimè tendunt.

Deinde aſſero, ut non deſint impedimenta, quæ ſunt veluti funes motum remorantes, nihilominùs cùm pondus, id eſt, amor, quo in Deum tendimus, magnum eſt, hæc omnia veluti tenniſſima fila, ſua ingenita vi diſrumpere: quemadmodum linum aliquod tenuiſſimum, ſi grave ſaxum adligaret, non impediret certè, quin eo diſrupto, ipſum quàm velociſſimè raperetur ad centrum. Inde B. Auguſtinus ( de moribus Eccleſiæ c. 26. ) more ſuo, id eſt ſublimiter ac dulciter valde, nihil eſt tam durum, inquit, atq; ferreum, quod non amoris igne vincatur, quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera atque admiranda, volitabit pennis pulcherrimis, quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur; et ſubdit exemplum inviċtiſſimæ foeminæ Matris Machabæorum, quæ magnitudine huius ponderis, ingentes vali-
daſ-

dasque catenas materni amoris, imò & sui ipsius, veluti fila quædam aranearum diffregerat: Quid tamen mirum, si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistebat.

Denique semper, ut destinatum scopum assequamur, altiùs nobis collimandum est, scientibus, debilia esse instrumenta, infirmosque arcus, quibus iacimus. Nec illud obliviscamur, quod Cassianus refert, debere Dei servum ad idperpetuò conniti, ut, quod in futurum dicitur de beata conversatione Sanctorum, ( 1. Cor. 15. ) iam subarrhatum habeat in præsenti, id est, ut sit *ei Deus omnia in omnibus*, quod, ut supra dictum est, præstabit homo, unum duntaxat desiderans, unum sitiens, ad unum, non solum actus omnes, verum etiam cogitatus semper intendens.

*Recapitulatio dictorum de perfectionum Divinarum meditatione.*

Ex iis igitur, quæ posuimus, satis liquet, Dei servo, qui Domino suo non indigne respondere desideret, semper debere in conspectu illius multa cum reverentia & timore versari, magna cum puritate, & accurata diligentia, prompta obedientia, ac perpetuò obsequio, integra resignatione, ut à nutu illius totus pendeat; nunquam interrupta animi gratitudine, summa attentione docilis, accuratique discipuli; summo desiderio eo fruendi: magna palati puritate ac fame illam gustandi, assidua oratione & prece, ac latitudine cordis ad impetrandum: amore, si non quanto debet, certe quanto, coelesti largitate, irroratur, illi semper, & de illo vivere, ad suum ultimum ac beatissimum finem sine ulla cessatione contendere.

Qui ergò vivæ fidei oculis, non oscitanter con-

ſideraverit hæc omnia, & ut cùm ſcriptura ( Eccl: 38. ) de fabri diligentia dicatur, cor ſuum dederit in ſimilitudinem picturæ ( quam videlicet exprimere debet ) atq; in conſumptionem operum, ut vigilia ſua ornet imperfectionem: qui fieri poterit, ut, cùm ſeipſum ab ea perfectione, quæ in hoc brevi exemplari depingitur, tam longe abeſſe conſpicit, non ſe in conſpectu Domini ſeriò humiliet, & ſolita tepiditate abiecta, media non aſſumat, quibus quotidie magnis itineribus properet ad perfectionem? Sed neceſſe eſt has meditationes non tantùm lectas audire, aut ſtrictim curſimque percurrere, ſed attenta & profunda conſideratione penetrare, nunc ſimul omnes, nunc per ſe ſingulas. Sperandum enim eſt hominibus ſæculi vinculis abſolutis, voluntatis optimæ, & qui donum cæleſte, atque adeò Deum ipſum non ſemel guſtaverunt ( quales Divina miſericordia homines Societatis eſſe, me credere & ſentire iuſtum eſt ) hoc procul dubio non vulgaria ſpiritus lucra, atque augmenta allaturum.

*Concluſio.*

Et ut ſcriptioni modum ponam, ſicut in principio dixi, neceſſarium nobis eſſe, noſtræ vocationi reſpondere, dolereque & confundi, quod ad tam ſublimem vitæ ſtatum vocati, tam tenuiter id præſtemus, ita in fine tacebo ipſe, ut glorioſum Doctorem Ambroſium audiamus, qui ſub typo & imagine Athletarum, ut noſtræ profeſſioni ſatiſfaciamus, pulcherrimis his, atque efficaciſſimis verbis, nos compellat: Athlethæ ſumus, legitime certandum eſt, ante bravium contenditur ad coronam, poſtea nunquid Athleta ocio vacat, cùm ſemel certamini dederit nomen ſuum? Exercetur quotidie, ungitur quotidie, ipſe cibus ei agoniſticus datur,

tur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem CHRISTI, subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, ungere oleo lætitiæ, unguento exinanito.

Ergo per misericordiam Dei & suavia viscera CHRISTI JESV spei nostræ, evigilemns omnes, ut hæc spiritualia exercitta tali proposito, tantoq; fervore suscipiamus, atque ad peefectionem excitemur ardentiùs, ut non modò fructus is constet & appareat, qui aliquoties, benedicente Domino, magna omnium consolatione collectus est; sed eluceat etiam uberior in corpore hoc universo, cui oremus omnes instanter à Domino voluntariam copiosamq; pluviam gratiarum. Romæ, 24. Iunii. 1604, ipso die qui glorioso Præcursori, lucernæ ardenti ac lucenti sacer est.

*RRum vestrarum & omnium*
*Servus in Christo*

Claudius Aquaviva.

# DE FERVORE SPIRITVS,

## RITE IN NOBIS EXCITANDO, ac discretè exercendo, quamq; variè etiam, dum studiis vacatur, proximorum saluti queat consuli.

*Beati P. N. Ignatii ad PP. FFque Societatis in Lusitania,*

### *ALIA EPISTOLA.*

EX literis quorundam vestrum, quantam cœperim consolationem ac lætitiam, ille est testis à quo promanat omne bonum; quod intellexerim, quantùm divina Maiestas istic in capessendo vir-

tutum ſtudio vobis cooperetur. Quod etiam in his longinquis regionibus & à veſtra provincia remotis, addit animum multis, & eos plurimum ædificat. Vnde, etſi quilibet,qui Chriſtiano cenſetur nomine, meritò gaudere debeat, propter communem obligationem, qua tenemur ad amandum honorem & gloriam Dei Creatoris noſtri, & bonum imaginis ſuæ, comparatæ precioſo ſangvine unigeniti Filii ſui: ego tamen multò magis gaudere de vobis in Domino debeo, propter eam, quæ mihi vobiſcum intercedit,neceſſitudinem, & quod vos feram in corde & in viſceribus meis.

Quamobrem etiam divinam Maieſtatem deprecor; ut quotidiè magis ac magis aperiat fontem miſericordiarum ſuarum, ad augenda & locupletanda ea, quæ in cordibus veſtris inchoare dignatus eſt. Neq; enim dubium eſt, pro ineffabili bonitate, qua effuſiſſime communicat bona ſua ac dona, & illo æterno amore, quo paratior eſt ad dandum, quam nos ad accipiendum; quin ſit, quod opto, facturus: alioqui non exhortaretur nos per unigenitum ſuum ad id, quod ſolius eius beneficio conſequi poſſumus, dicens: *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt* ( Mat. 5. ) adeò, ut quod ad ipſius voluntatem attinet, nihil in ipſo deſideretur, dummodò inveniat in nobis vaſa humilitatis, & deſideria, ad ſuſcipiendas ipſius gratias, præparata, & videat nos benè uti donis iam ab eo acceptis, atque ipſius gratiæ ſtodiosè cooperari.

## PRIMA PARS.

### *De Fervore Spiritus ritè in nobis excitando.*

ET ſanè in hac parte non committam, quin iis, qui inter vos currunt, inſuper addam calcaria; quandoquidem iudicem, vocationem veſtram id à vobis

vobis postulare, ut omne studium in virtutibus ponatis: si modo velitis respondere expectationi, quam multi de vobis non solùm in hoc regno; verum etiam in multis aliis locis conceperunt. Qui cum videant omnis generis auxilia & beneficia, tam exteriora, quam interiora: quæ nobis divinitus communicantur, iure meritò singularem quendam fructum extraordinarium exspectant.

*Gratia vocationis nostræ singularis, singularem Spiritus fervorem in nobis requirit.*

Et revera tot obligationibus, quibus vos ad magnas res in obsequio Dei gerendas obstricti estis, non sufficeret aliquid usitatum, quale sufficeisset antè vestram vocationem. Nam quod in aliis tum non parvum fuisset, in vobis nunc pro nihilo duceretur, postequam vos DEVS ac DOMINVS noster non solùm vocavit *ex potestate tenebrarum in admirabile lumen suum & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*; ( Col. 1. ) quemadmodum omnes alios fideles: verum etiam, ut melius puritatem animarum vestrarum conservaretis, & animo erga res Spirituales magis affecti, ad divinum eius obsequium essetis; placuit eius divinæ bonitati eripere vos de turbulento mari mundi huius, ut non periclitarentur conscientiæ vestræ, inter tot tempestates ac procellas, quas venti solent excitare desideriorum, nunc opum, nunc honorum, nunc voluptatum; vel sanè timoris, ne hæc omnia amittantur, quæ cum magno amore possidebantur; ac insuper ne res viles huius mundi occuparent animum vestrum, & amore variisque cupiditatibus distraherent; sed totos vos convertere & impendere possetis, ad quod creati estis, ad Dei videlicet gloriam & honorem, salutemq; animarum vestrarum ac proximorum procurandam.

Et quamvis omnes vitæ Christianæ rationes ad hunc finem dirigantur: tamen DEVS vocavit vos ad hoc institutum, in quo non solùm generali intentione, sicut in omnibus aliis: verùm etiam peculiari quodam modò impendenda ei rei tota vita, ac omnibus pietatis exercitiis eo perveniretis; ut ex vobis ipsis perpetuū ad Dei honorem & gloriam, & proximorum salutem sacrificium faceretis, procurantes eam, non solùm exemplis, desiderio, & orationibus: sed etiam mediis exterioribus, quæ DEI providentia ad alios iuvandos ordinavit.

Vnde animadvertere potestis, quàm sit nobile & regium vitæ genus, quod elegistis, cùm non tantùm inter homines, sed nec inter Angelos reperiantur excellentiora exercitia, quàm glorificare in seipsis Creatorem, & reducere ad illum creaturas suas, quatenus illius sunt capaces. Videte igitur vocationem vestram; ut ex una parte vos consolemini, & infinitas Deo pro tantis beneficiis gratias agatis: ex altera verò petatis auxilium, ut illi respondere possitis, ac in ea re multùm studii ac diligentiæ, quæ vobis ad consequendum hunc finem inprimis est necessaria, collocetis. Denique propter amorem IESV CHRISTI, eorum, quæ retro sunt oblivíscamini, & extendite vos cum Apostolo ( Phil: 3. ) ad longam viam, quæ vobis restat, per semitas virtutum decurrendam. Desidiam verò & torporem in exercitiis virtutum pro manifestis inimicis vos à fine proposito impedientibus, habetote.

*Pudeat religiosum tepiditatis, dum diligentiam filiorum sæculi huius considerat.*

Ponat sibi quisquè ante oculos non eos, qui sunt pigri & pusillanimes: sed potius eos, qui sunt diligentes ac magno & excellenti animo præditi. Non pati-

patiamini ut filii huius sæculi vos superent, in quærendis maiori cum diligentia ac solicitudine rebus temporalibus, quam à vobis quæruntur æternæ & cælestes. Pudeat vos, quòd illi alacrius currunt ad mortem, quàm vos ad vitam. Notam vobis inuri putate, si aulicus aliquis maiori cum diligentia serviat, ut honores & benevolentiam apud Principem consequatur terrenum, quàm vos apud cælestem. Et si miles propter exiguum honorem aut victoriam, aut spolia ex hoste suo referenda, se ʿe præparet, & dimicet fortiùs, quàm vos propter victoriam ex vobis reportandam.

*Multa bona nobis parit Fervor spiritus. quæ tepiditas omnia aufert.*

Adeoq; ob amorem Christi Domini nostri, non velitis esse negligentes ac tepidi, cùm verissime dictum sit; Arcum frangit intensio; animam vero remissio. Et è contra: *Anima operantium impingvabitur*, ut ait Scriptura, ( Prov: 13. ) Date operam, ut conservetis sanctum fervorem in laboribus pro acquirendis virtutibus, suscipiendis, & exantlandis, quandoquidem plus valeat unus actus intensus, quam mille remissi ac debiles. Nam quod negligens multis annis non acquirit, qui diligens est in studio virtutum, passionibus ac imperfectionibus, quibus natura nostra subiecta est, vincendis, exiguo temporis spatio adipiscitur: cum ignavi, quia nolunt seipsos superare, nunquam ad pacem animæ & perfectam alicuius virtutis possessionem pervenire possint: quod ipsum diligentes ac soliciti, brevissimo tempore consequuntur.

Insuper ipsa docet experientia, quòd quies animæ, quam in hac vita habere debemus; non reperitur in negligentibus ac tepidis, sed in ferventibus & in divino obsequio promptis. Nec imm-

meritò: quia qui ex parte sua in exuendo amore proprio seipsos vincere contendunt, simul etiam evellunt radices omnium passionum & molestiarum; & insuper dum acquirunt habitus virtutum, id effequuntur, ut eas quasi naturaliter magna cum facilitate ac suavitate ad opus deducant, simul etiam quod ad Deum attinet, hoc studio & labore se præparant ad sanctas illius consolationes recipiendas, quia *vincenti dabitur Manna absconditum.* ( Apoc: 2. )

E contra verò tepiditas & negligentia, causa est vivendi semper cum molestiis, cum illarum causa, quæ est amor proprius non tollitur, neq; in promovenda gloria divina, diligentia adhibetur. Deberetis itaq; multùm laboris & studii ponere laudabilibus vestris exercitiis, quandoquidem in hac vita gustaturi sitis fructum huius sanctissimi fervoris, non tantùm in perfectione animarum vestrarum; sed etiam in perseverantiæ constantia.

*Præmiorum cælestium consideratio meritò ad fervorem nos excitet.*

Deinde verò, si consideremus præmium æternitatis, ( quemadmodum crebrò omnes facere deberemus ) facilè nobis persvadebit Apostolus, ( Rom. 8 ) *quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum enim & leve tribulationis nostræ,* ( 2. Cor: 4. ) *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et si hoc invenitur in omnibus Christianis, qui Deum colunt, & illi serviunt: cogitare potestis, quanta erit vobis reposita corona, si vestræ vocationi respunderitis, quæ non in eo tantùm sita est, ut serviatis DEO propter vosmetipsos: sed etiam ut multos alios trahatis ad honorem & obsequium divinæ illius Maiestati

exhi-

exhibendum. De talibns enim ita testatur sacra scriptura: ( Dan. 12 ) *Qui alios erudiunt ad iustitiam, tanquam stellæ firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates*, quod de his intelligitur, qui curant diligenter suo officio fungi, tam in præparandis armis, quam in exercendis. Nam si quis existimat sufficere utcunque facere bona opera, audiat clamantem Ieremiam: ( Hier. 48. ) *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter*. Et vas illud electionis. ( 1. Cor. 1. ) *An nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Et* ( 2. Tim. 2. ) *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: hoc est, qui benè ac fideliter in hac vita laboraverit.

*Milites CHRISTI sumus, maximorum, plurimorumque beneficiorum stipendio conducti. Facessat igitur procul omnis ignavia.*

Verum enimverò, præ omnibus cuperem, ut vos ad hunc fervorem excitaret & inflammaret purus amor IESV CHRISTI Redemptoris nostri, & desiderium honoris Eius, ac salutis animarum, quas tanto precio comparavit; & quod sitis milites eius singulari titulo ac stipendio in hac Societate obligati. Singulari, inquam, stipendio, quod sint alia multa generalia, quæ alioqui multum etiam obligant ad DEI honorem & obsequium procurandum. Ea propter conniti, debetis ut generosa victoria consequamini finem, ad quem vos DEVS infinita sua bonitate vocare dignatus est, & propter quem tantum vobis annumeravit stipendium.

Stipendium enim eius est totum, quod estis, & quod à natura possidetis. Præterea, quod cum vita & omnibus partibus ac perfectionibus animæ conservamini, & permanetis.

Stipendium eius sunt omnia dona gratiæ Spiritu-

ritualia, quibus vos tam liberaliter& benignè prævenit ab initio, & quotidiè prævenire dignatur, quamvis vos sibi rebelles & contrarios.

Stipendium est inæstimabilis promissio gloriæ suæ, quam vobis nullius sui commodi aut utilitatis habita ratione præparavit, vocans vos in communionem omnium thesaurorum felicitatis suæ; ut id efficiamini per participationem divinæ suæ perfectionis, quod ipse est per naturam.

Postremò stipendium est totum universum, & quicquid in eo reperitur, tam corporalium rerum, quàm Spiritualium; quandoquidem non modo omne id, quod sub coelo est, disposuit ad obsequium vestrum, verùm etiam totam illam sublimem curiam coelestis Hierusalem, nulla coelesti Hierarchia excepta; *quia omnes sunt administratorii Spiritus propter eos qui, hæreditatem capiunt salutis.* (Heb. 1. )

Et si fortè stipendia ista non sufficerent, se ipsum fecit stipendium, dum assumpta nostra carne, se se obtulit in cruce precium redemptionis pro salute nostra, & insuper dat seipsum in Sacratissima Eucharistia peregrinationis nostræ ducem & nutritorem.

O quam ignavus est miles, cui tot stipendia non sufficiunt, ut illum excitent ad labores pro gloria sui Principis alacriter suscipiendos, ac tolerandos, cum insuper, ut nos astringeret ad eos promptius obeundos, voluerit sua divina Maiestas prævenire nos tot & tam inæstimabilibus beneficiis, relinquens quodammodo bona sua, & perfectissimam fælicitatem suam, ut nos illius participes efficeret, assumens in se omnes nostras miserias, ut nos ab ipsis liberaret; vendi se volens, ut nos redimeret; & infamis fieri; ut nos glorificaret; egenus, ut nos

nos locupletaret. Et poſtremo ſuſcipiens mortem cum tanta ignominia, ut nobis daret vitam beatam & immortalem.

O quàm ingratus eſt & adamante durior, qui tot beneficiis non emolleſcit, nec agnoſcit ſe viciſſim eſſe multum obligatum ad labores gnaviter capeſſendos, & procurandam gloriam & honorem IESV CHRISTI Domini noſtri.

*Et offenſæ divinæ Maieſtatis infinitæ, & pericula perdendæ ſalutis maxima, in quibus iacent proximi noſtri, merito ad omnem nos fervorem inflamment.*

Si itaq; cognoſcitis obligationem veſtram, & deſideratis vos impendere totos ad augendum illius obſequium & honorem, in hæc tempora planè incidiſtis, in quibus hæc deſideria executioni mandare maximè ſit opus. Aſcendite paululum in ſpeculam mentis veſtræ, & animo perluſtrate, ubi honoretur divina Maieſtas, ubi reverentia exhibeatur immenſæ illius magnitudini, ubi cognoſcatur illius ſapientia & bonitas infinita; ubi obediatur illius ſanctiſſimæ voluntati. An non videtis magno cum dolore, quomodo ſit ignotum, ſpretum, & blaſphemiis proſciſſum ſanctum illius Nomen, in omnibus locis? Doctrina CHRISTI, quæ eſt æterna ſapientia, contempta, exterminata, oblivioni tradita? precium ſacratiſſimi ſangvinis illius, etiam ex parte noſtra quodammodo perditum: quandoquidem tam pauci ſunt, qui illius æſtimationem agnoſcant.

Conſiderate etiam proximos veſtros tanquam Sanctiſſimæ TRINITATIS imaginem, capaces gloriæ ſuæ ſanctæ, quorum obſequio totus deſtinatus eſt mundus, templa ſpiritus ſancti, membra IESV CHRISTI, Domini noſtri, redempta tot doloribus, & iniuriis, & ſangvine ipſius. Conſidera-

te, inquam, in quanta miseria versentur, in tam profundis ignorantiæ tenebris, in tantis desideriorum terrenorum rempestatibus, & vanis erroribus, atque aliis cupiditatibus, à quàm terribilibus & innumerabilibus inimicis oppugnentur, & periclitentur; non de facultatibus aut fortunis, aut aliis temporalibus rebus, sed de regno & felicitate æterna, ne illud amittant, & cadant in miserias intolerabiles, & ignem æternum.

Et ut brevibus comprehendam, hoc dico: si consideratis, quantopere sitis obstricti ad tuendum IESV CHRISTI D. nostri honorem, & salutem proximorum procurandam, animaduertitis, quàm iure optimo sit opus, ut vos disponatis ad omnem laborem & diligentiam; ut efficiamini idonea gratiæ divinæ instrumenta ad tales effectus producendos; præsertim, cùm tàm pauci hoc tempore inveniantur, *qui quærant, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi*. ( Phil: 2. ) Eoq; magis deberetis omnes neruos intendere ad ea supplenda, quæ in aliis desiderantur, quandoquidem Deus vobis talem gratiam in hac vocatione ac proposito contulit.

SECVNDA PARS,

*De discretione Religiosa in nimiis fervoribus refrenandis.*

Hoc hactenus dictum ad eos excitandos, & ad cursum cohortandos, qui segnius currebant: non ut vobis detur in contrarium extremum, quod est fervor indiscretus, incurrendi occasio: quandoquidem spirituales infirmitates non tantùm ex rebus frigidis, quàlis est tepiditas, sed etiam ex rebus calidis, qualis est fervor nimius, soleant evenire. *Rationabile sit obsequium vestrum*; dicit Apostolus ( Rom: 12. ) conveniens cum illo Prophetæ in Psalmo: ( Psal: 48. ) *Honor Regis iudicium diligit*.

*git*: hoc eſt, diſcretionem, et cum illo, quod præfiguratum eſt in Levitico. ( Levit: 2. ) quando DEVS præcepit, ut in omni ſacrificio ſal offerretur. Et eſt ita revera, quod noſtri generis inimicus non habeat arma validiora ad tollendam charitatem ex corde noſtro, quam ut efficiat, ut indiſcrete & inconſiderate ambulemus in via ſpirituali. Tritum eſt illud proverbium: Ne quid nimis. Quod debet obſervari in rebus omnibus, etiam in iuſticia; quemadmodum legitur in Eccleſiaſte, ( Eccle: 7. ) *Noli eſſe iuſtus nimium.*

*Indiſcreti fervores magna damna adferunt.*

Et cùm non tenetur hæc regula & moderatio, bonum convertitur in malum, virtus in vitium, & ſequuntur multa inconvenientia, contraria propoſito eius qui ſic ambulat.

Primum eſt, quod non poſſit multo tempore ſervire DEO: (quemadmodum ſolet accidere equis, qui cum initio multa milliaria diurnis ſpaciis conficiunt, non poſſunt deinceps finire iter, quin etiam ſæpius accidit, ut illis alii ſervire cogantur.)

Secundum, quia non poteſt retinere illud quod cum tanta feſtinatione acquiſivit: quemadmodum dicit ſcriptura; ( Prov: 13. ) *Subſtantia feſtinata minuetur*; & non tantum minuetur, ſed etiam eſt cauſa ruinæ. *Qui feſtinus eſt, pedibus offendit* ( Pro: 19. ) & tanto periculoſius cadit, quanto ex altiore loco delabitur, cùm non habeat uſq; ad finem ſcalæ, ubi deſiſtat.

Tertium eſt, quod incidit in illud periculum, quod ſolet accidere, dum navicula nimium oneratur. Quemadmodum enim periculoſum eſt, ſi in altum deducatur vacua, quia facilè ventis tentationum impellitur, atq; agitatur: ita manifeſtum diſcrimen incurritur, ſi ita oneretur, ut poſtea

ſub-

fubmergatur.

Quartum, quod pro veteri homine crucifigitur novus homo, cum propter debilitatem, virtutum opera non poterit exercere, & fecundùm S. Bernardum, quatuor res iniustè auferuntur excessibus eiusmodi, nimirum corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor. Vnde infert, quod eiusmodi, reum fe facit coram Deo horum omnium, tanquam cuiusdam facrilegii, quod ita abutatur templo DEI. Tollit, inquit, exemplum proximo;quia ruina unius,incutit multis timorē, & eos in vita fpirituali tepidiores facit, & insuper fcandali folet effe caufa: & propterea vocat illos debitores veritatis, & inimicos pacis; præter id, quod manent in fe ipfis fuperbi & vana gloria inflati, præferentes iudicium fuum iudicio omnium aliorum, faltem ufurpando id fibi, quod fuum non eft, ut fint iudices actionum fuarum, cum id fit fuperioris proprium.

Quin etiam præter hæc inveniuntur alia inconvenientia, quod videlicet fe ipfos gravioribus armis onerent, quam ut ea ferre poffint: quemadmodum accidit Davidi,cum induiffet arma Saulis; & adhibent calcaria, non frenum equo alioqui effreni ex fe ipfo; adeò, ut in hac parte magnoperè neceffaria fit difcretio, quæ medium inter hæc extrema teneat. Et quemadmodum S. Bernardus ait: Bonæ voluntati non femper eft credendum, fed eft refrenanda & regenda, maximè incipienti.

*Regula optima Religiofæ difcretionis, eft obedientia.*

At fi vobis videtur medium hoc rarum & ad confequendum difficilè, ipfa videlicet difcretio, faltem fupplete illud Obedientia, cuius ductum fequentes fecuri eritis. Verum, fi quis vellet fequi fuum iudicium, audiat S. Bernardum: Id quod, in-

inquit, sine voluntate & consensu Patris Spiritualis fit, reputabitur vana gloria, non meritum. Et recordetur: *quod scelus Idololatriæ sit non acquiescere, & peccatum ariolandi, non obedire*: ut ait Scriptura (1. Reg, 15. ) Quamobrem, ut possitis tenere medium inter tepiditatem & fervorem, adhærete obedientiæ, & si magnopere desideratis, ut vos mortificetis, hoc desiderium convertite ad reformandam vestram voluntatem, & iudicia vestra potius submittenda iugo obedientiæ, quam ut affligatis corpora, & debilitetis absque modo & mensura.

Nollem tamen existimetis propter ea, quæ supra dicta sunt, quod mihi displiceat, aut non laudem illa, quæ mihi scripta sunt de aliquibus vestris mortificationibus. Scio enim his & similibus sanctis quasi quibusdam deliramentis homines sanctos usos esse cùm magno fructu ac profectu ad vincendum se ipsos, & maiora dona acquirenda, præcipuè in principiis.

Cæterum his, qui iam cum divinæ gratiæ propriam voluntatem subiugarunt, amorem proprium superarunt, statuo melius esse illud, quod dixi; ut se se reducant ad discretionis mediocritatem, non discedentes ab obedientia, quam vobis plurimum ex toto corde commendo, simul cum illa virtute quæ est compendium & summa aliarum omnium, quam CHRISTVS D. noster tantopere commendat, præceptum suum eam vocans (Joan. 15. ) *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Et non tantum inter vos ipsos conservare debetis amorem & perpetuam coniunctionem: verùm etiam contendere, ut in animis vestris viva desideria salutis proximorum accendantur, tanti illam, quanti meritò fieri debet, facientes; & quanta est cuiusque proximi æstimatio: quam facilè æstimare po-

teri-

teritis ex precio, quo est comparata, hoc est ex sangvine & vita IESV CHRISTI, Domini nostri. Atque ex una parte præparantes ac perficientes animas vestras, ex altera verò in charitate fraterna crescentes, efficiamini vasa utilia Domino, & vera instrumenta, atque cooperatores divinæ gratiæ in hoc excellentissimo munere reducendarum ad DEVM suum ultimum finem creaturarum.

## TERTIA PARS.

*Eo etiam tempore, quo studiis vacamus, variè proximorum saluti inservire possumus.*

POrro, quamdiu durant studia, non putetis vos proximo esse inutiles. Quia præter vestrum ipsorum profectum, quemadmodum ordinata charitas postulat, multis modis etiam proximo operam navatis.

Primum, præsenti labore & intentione, qua eum suscipitis & refertis ad proximi ædificationem. Nam & milites, quando sibi provident arma necessaria ad expeditionem, quam facturi sunt, dici non potest, quod tum non serviant Principi suo. Et quamuis morte præveniatur aliquis, antequam proximis exterius operam suam communicare incipiat, non propterea non dicetur illis in suscipiendo præparationis labore non servivisse. Quamobrē quilibet cū hac intentione singulis diebus laborem suum, ut proximos iuvare possit, suscipere & Deo offerre deberet: quandoquidem si Deo placuerit acceptare hoc desiderium, non minùs poterit proximo adiumenti conferre, quàm qui in prædicando, vel audiendis confessionibus occupatur.

Secundus modus adiuvandi proximum est, ut efficiamini boni & virtute pleni, quo sitis idonei ad faciendos proximos tales, quales ipsi estis. Nam etiam modus generationis hominis aut alterius

rius animalis ita eſt à Deo omnipotente conſtitutus, ut præter generales cauſas, quæ ſunt cæli & elementa, ſit inſuper aliud agens mediatum eiuſdem ſpeciei, quod habet in ſe formam, qnam communicet aliis ſubiectis. Eodem pacto, ut inducatur alicui forma hnmilitatis, vult divina ſapientia, ut cauſa immediata, qua utitur tanquam inſtrumento, hoc eſt, prædicator vel confeſſarius aut quicunq; alius, ſit humilis & charitate plenus. Atque ita, quemadmodum dixi, dum in virtutibus proficietis, proximo ſervietis. Nam non minus, imo verò magis idoneos vos reddetis ad conferendam gratiam bona vita, quam literis, quamuis utrumq; requirat perfectum inſtrumentum.

Tertius modus eſt bonum vitæ exemplum, cuius odor in his partibus, quemadmodum à me dictum eſt, ſe ſe diffundit & ædificat alias regiones extra hoc regnum. Confido in Domino, quod conſervabit & augebit in vobis dona ſua, ut per quotidianum veſtrum in perfectione progreſſum, creſcat abſq; menſura ſanctus odor, & quæ ex ipſo naſcitur aliorum ædificatio.

Quartus modus iuvandi proximũ, & qui valde late ſe extendit, ſunt deſideria & orationes. Et quamvis propter ſtudia non habeatis tantum temporis, ut valde longas facere poſſitis, poterit nihilominus compenſari tempus ardentibus deſideriis; præterea ſuſcipiendis & obeundis aliis omnibus exercitiis, propter purum amorem & obſequium DEI Domini noſtri.

*Concluſio epiſtolæ.*

Cæterum hæc & alia, habetis in propinquo, cum quibus conferatis atq; communicetis, & præterea poterant multa ex his, quæ ſupra dicta ſunt, omitti. Verum quia & tam rarò contingit mihi ad

vos

vos ſcribere, & vos deſiderare meas literas intellexi; volui in præſentia, veſtræ & meæ ſimul conſolationi prolixius indulgere. DEVM ac Dominum N. & redemptorem precor, ut quemadmodum illi placuit vocare vos per gratiam ſuam, & dare efficacem voluntatem, ut vos totos divino illius cultui dicaretis; ita illi placeat conſervare in omnibus, & locupletare dona ſua: ut ſemper creſcatis & perſeveretis magis in ſancto illius obſequio ad laudem & gloriam ſui nominis, & Eccleſiæ utilitatem. Romæ 3. Martii. 1547.

*Veſter in Domino*

*Ignatius.*

## TERTIA PARS.

### *EXERCITIA SPIRIVTLAIA*

*B. P. N. Ignatii de Loyola comprehendens.*

ANima Chriſti ſanctifica me, corpus Chiſti ſalva me, ſangvis Chriſti inebria me, aqua lateris Chriſti lava me, paſſio Chriſti conforta me, ô bone IESV exaudime, intra tua vulnera abſconde me, ne permittas me ſeparari à te, ab hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laùdem te in ſæcula ſæculorum, Amen.

### PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii cura, in univerſum Chriſti gregem nobis commiſſa, & divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea, quæ ſalutem animarum, & ſpiritualem earum profectum iuvant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fovere, & nutrire pietatem in Chriſti fidelibus valeat, à nobis expoſcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cùm ergo ( ſicut dilectus filius, nobilis, vir, Franciſcus de Borgia, Dux Gandiæ, nobis nuper ex

poni

poni fecit ) dilectus filius Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis IESV, per nos in alma Vrbe nostra erectæ, & per nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam documenta, sive exercitia spiritualia, ex sacris scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, composuerit, & in ordinem, ad piè movendos fidelium animos, aptissimum redegerit, illaq; Christi fidelibus ad spiritualem consolationem, & profectum magnopere utilia, & salubria esse, non solum fama, ex plurimis locis allata, prædictus Franciscus Dux didicerit, sed etiam experimento manifesto, cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta, & spiritualia exercitia prædicta, quo latiùs eorum fructus pateat, & plures Christi fideles, maiori cum devotione ad utendum illis, invitentur, examinari facere: &, si approbatione, & laude digna inveniremus, approbare, & laudare, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, qui documenta & exercitia huiusmodi examinari fecimus, & quæ testimonio, ac relatione, dilecti filii nostri, Io annis Tit. S. Clementis, Præsbyteri Cardinalis Burgensis Episcopi, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoris, & Venerabilis Fratris nostri, Philippi Saluciarum Episcopi, ac dictæ Vrbis nostræ in spiritualibus Vicarii Generalis, nec non dilecti filii Egidii Foscararii, nostri Sacri Palatii Magistri, nobis desuper facta, pietate, ac sanctitate plena, & ad ædificationem, & spiritualem profectum fidelium valde utilia, & salubria esse, & fore comperimus: debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab Ipso instituta Societas

præfata, in Ecclesia Dei ubiq; gentium producere non cessant, & ad maximum adiumentum, quod ad id prædicta exercitia attulerunt, non immerito habentes: huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta, & exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus: hortantes plurimum in Domino, omnes & singulos, utriusq; sexus, Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis, & exercitiis, uti & illis instrui devote velint. Nec non concedentes, ut huiusmodi documenta, & spiritualia exercitia imprimi, à quocumq; bibliopola per prædictum Ignatium eligendo, libere & licité valeant. Ita tamen, ut post primam editionem, sine consensu eiusdem Ignatii, vel Successorum eius, nec ab hoc, nec ab alio omnino, sub excommunicationis, & 500. duc. piis operibus applicandorum, poena, imprimi possint. Ac mandantes nihilominus universis, & singulis locorum Ordinariis, ac personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, & Cathedralium, ac Metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis & earumdem ordinariorum Vicariis, in spiritualibus, generalibus, & Officialibus ubilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, cuivis de Societate prædicta, vel aliis, quorum intererit, in præmissis spiritualibus exercitiis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra, illos dicta concessione, & approbatione pacificé frui, & gaudere: non permittentes eos per quoscunque, contra præsentium tenorem; quomodolibet molestari: contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & poenas Ecclesiasticas, ac alia oppor-

tuna

tuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo: Invocato etiam ad hoc ( si opus fuerit ) auxilio brachii sæcularis. Non obstant. fe. re. Bo. Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis; dummodo, ultra tres, aliquis, auctoritate præsentium, non trahatur, & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis: cæterisq; contrariis quibuscunq; aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, plena fides ubiq; habeatur, & illis stetur, tam in iudicio, quam extra, ac si originales literæ exhiberentur, & ostenderentur. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo piscatoris, die ultimo Iulii M. D. X LVIII. Pontificatus nostri anno quartodecimo.

Blo. El. Fulginensis.

*Testimonia eorum, quibus censura exercitiorum est commissa. In prima translatione.*

Legimus omnia in volumine hoc digesta, nobisque valde placuerunt, & ad animarum salutem inprimis conducibilia sunt visa.

*Cardinalis Burgensis.*

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, & Christianæ professioni valde proficuum, imprimatur.

*Philippus Vicarius.*

Non poterunt tam sancta exercitia non maximum

mum commodum præstare cuilibet studioso: Ideo obviis etiam ulnis amplectenda sunt.

*F. Ægidius Foscararius, Magister Sacri Palatii.*

*In secunda translatione.*

Legimus spiritualia hæc exercitia, placentque nobis valde: & digna iudicamus, quæ ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus recipiantur, & magni fiant.

*Cardinalis Burgensis.*

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, & Christianæ professioni valde proficuum, imprimatur.

*Philippus Vicarius.*

Cùm nequeat subsistere diu Christiana religio sine exercitiis, & meditationibus aliquibus spiritualibus ( in meditatione enim, inquit vates, exardescit anima mea ) nullas arbitror magis opportunas his, quæ procul dubio ex scripturarum studiis, & longo rerum usu natæ sunt.

*F. Ægidius Foscarius, Magister Sacri Palatii.*

*Quidam de Societate Iesu, devoto lectori eiusdem Societatis, S. in Domino.*

HÆc documenta, ac spiritualia exercitia, quæ non tam à libris, quam ab unctione sancti Spiritus, & ab interna experientia, & usu tractandorum animorum edoctus, noster in Christo Pater M. Ignatius de Loyola Societatis nostræ Institutor, & Præpositus Generalis ( ut præmissum est ) composuit, ac idiomate Hispanico in Latinnm, duobus modis sunt versa: altera versio, non solùm sensum sensui, sed pene verbum verbo: altera ( quæ visa est præferenda ) sensum tantum sensui, sed fideliter reddebat. Cùm autem exercitia hæc, ut satis fieret quorundam, & præcipnè Illustrissimi

Du-

Ducis Gandiæ, Francisci de Borgia devotioni, qui optabat approbari ea, Sedis Apostolicæ auctoritate, quæ iam pridem, & spiritualis plurimorum omnis generis, & conditionis hominum profectus ( qui per ea spiritum Domini vel hauserant, vel mirum in modum auxerant ) ubique approbaverat: cum, inquam, ante approbationem summi Pontificis, destinatis censoribus videnda proponerentur, utraq; translatio eis est oblata; & licet omnino liberæ censuræ eorum subiicerentur, ut adderent, minuerent, mutarent, prout in Domino videretur, tamen, ne verbo quidem mutato, utramque versionem ( quod testimoniis eorundem in archetypis exemplaribus patet ) approbarunt. Quod ad impressionem attinet, hoc te, pie lector, monitum velim, non iis, qui tantum lecturi exercitia: sed qui facturi, vel potius aliis traditturi sunt; esse hoc laboris, & operæ impensum. Cùm enim ad fructum uberem capiendum parum sit legisse, nisi strenue quis in eis se exercuerit, & magistrum in rebus spiritualibus versatum, sit nactus; constat, non eo animo impressa esse, ut passim in vulgus emanarent: sed cum laboriosum nimis esset, nec sine magno temporis & impensarum dispendio, tam multa exemplaria manuscribere, quibus ad Societatis ipsius usum opus erat, & ut varietate & erratis plurimis ( quæ in manuscriptis deprehendi solent ) devitatis, indubitatæ fidei exemplaria suppeterent, typis hoc opus excussum est: sed omnia excussa volumina in potestatem Societatis ad ipsius, ut diximus, usum ( ita ut nec vendi, nec excudi ullibi possint, ) sunt redacta. De his te monere, pie lector ( si fortè minus innotuerant ), cum perspecta mihi sint prædicta omnia, officii mei esse duxi. Vale in Domino. Romæ VI. Idus Augusti. 1548.

ANNOTATIONES QVÆDAM *aliquid afferentes intelligentiæ ad exercitia spiritualia, quæ sequuntur, ut iuvari possit tam is, qui ea traditurus est, quam qui accepturus.*

PRima est Annotatio: quod ipso nomine spiritualium exercitiorum, intelligitur modus quilibet examinandi propriam conscientiam: item meditandi, contemplandi, orandi, secundum mentem, & vocem: ac postremo alias quascunque spirituales operationes tractandi, ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere, exercitia sunt corporalia, itaquoque præparare, & disponere animam ad tollendas affectiones omnes male ordinatas, & iis sublatis, ad quærendam, & inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ, exercitia vocantur spiritualia.

SEcunda est: quod ille, qui modum, & ordinem alteri tradit meditandi, sive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis, seu contemplationis historiam, percursis obiter duntaxat punctis illius præcipuis, & adiecta solùm brevi declaratiuncula, ut is, qui meditaturus est, accepto veritatis historicæ primùm fundamento, discurrat postea, & ratiocinetur per seipsum Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem, vel apprehensionem historiæ, aliquanto maiorem præbeat ( sive ex discursu proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat ) gustum delectabiliorem, & uberiorem fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata, & declarata esset. Non enim abundantia scientiæ, sed sensus & gustus rerum interior desiderium animæ explere solet.

TErtia est: quod, cum in sequentibus omnibus exer-

exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus, quando discurrimus, voluntatis vero, quando afficimur, advertendum est in operatione, quæ præcipue est voluntatis, dum voce, aut mente cum Domino Deo, vel sanctis eius colloquimur, maiorem exigi à nobis reverentiam, quam dum per usum intellectus, circa intelligentiam potiùs moramur.

QVarta est: quod licet exercitiis sequentibus, assignentur quatuor hebdomadæ, totidem exercitiorum partibus, singulæ singulis respondentes, videlicet, ut in prima hebdomada fiat consideratio de peccatis: in secunda de Domini nostri IESV Christi vita, usque ad ingressum eius in Hierusalem die Dominica palmarum: in tertia de passione eiusdem: in quarta de resurrectione, & ascensione: adiectis tribus orandi modis; non tamen ita accipiendæ sunt dictæ hebdomadæ, ut necesse sit unamquamque continere septem vel octo dies. Cum enim contingat alios aliis tardiores, vel promptiores esse ad consequendum id, quod quærunt: puta, in prima hebdomada contritionem, dolorem, & lachrymas de peccatis suis: aliquos etiam plus aut minus agitari probarique variis spiritibus: expedit nonnunquam succidi hebdomadam quamcunque, vel extendi, iuxta materiæ subiectæ rationem. Solet tamen totum exercitiorum tempus triginta dierum, aut circiter, spatio concludi.

QVinta est: quod mirum in modum iuvatur, qui suscipit exercitia, si magno animo atq; liberali accedens, totum studium, & arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se, suisq; omnibus id statuat, in quo ipsi potissimum servire possit, iuxta eiusdem beneplacitum.

SExta est: quod tradens exercitia, si animaduertat ei, qui recipit, nullas incidere spirituales animi-

nimi commotiones, ut sunt consolationes, vel tristitiæ, neq; diversorum spirituum agitationes, sedulo debet percontari, an ipsa exercitia præscriptis agat temporibus, & quibus modis, an etiam observet diligenter cunctas additiones, & de singulis ratio postuletur. Porrò de consolationibus & desolationibus infra tractabitur pag. De additionibus verò pag,

SEptima est, quod is, qui alterum exercendum curat, si eùm videat desolatione affici, seu tentatione, cavere debet, ne se durum, vel austerum ipsi exhibeat, sed mitem potius, ac suavem præstet, confirmato eius animo ad agendum strenue in posterum, detectisq; inimici nostri versutiis, eum ad consolationem studeat disponere, tanquam brevi subsecuturam.

OCtava est: quod circa consolationes, & desolationes sumentis exercitia, & circa astutias inimici, poterunt usui esse regulæ, quæ in prioribus duabus hebdomadis habentur, de variis spiritibus internoscendis.

NOna est: quod quando exercendus est quispiam spiritualium rerum inexpertus, unde contingat eum, in prima hebdomada crassis quibusdam, apertisque tentationibus vexari, ostensis iam inde prosequendi obsequii divini certis impedimentis, cuiusmodi sunt molestia, anxietas, pudor, timor, habita honoris mundani ratione, tunc illi, qui eum exerceri docet, supersedendum est usu regularum, quæ ad secundam hebdomadam pertinent, de discretione spirituum, & iis utendum solis, quæ in prima dantur. Quia quantum alter ex his acceptu-rus est commodi, tantundem ex illis dispendii referret ob subtilitatem rei & sublimitatem, quæ est supra eius captum.

Deci-

DEcima est: quod qui exercetur, si tentationibus iactetur, boni speciem præseferentibus, tunc muniendus est per dictas regulas hebdomadæ secundæ. Humani enim generis inimicus, per boni speciem, eos ut plurimum oppugnat, qui antea in via vitæ, quam illuminativam appellant, respondente exercitiis secundæ hebdomadæ fuerint potiùs versati, quam in altera, quæ purgativa dici solet, atque per exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur.

VNdecima est: quod exercenti se in prima hebdomada, expedit nescire, quid in secunda sit acturus: sed ad consequendum illud, quod tunc quærit, acriter laborare, perinde ac si nihil boni postea esset reperturus.

DVodecima est: quod admonendus est is, qui exercitatur, ut cùm in quotidiano quolibet exercitio, ex quinque infra describendis, expendi debeat unius horæ tempus, curet semper animi quietem in hoc reperire, quod plus temporis potius, quam minus insumpsisse, sibi conscius sit. Frequens est enim Dæmoni hoc agere, ut præfixum meditationi vel orationi temporis spatium decurtetur.

DEcima tertia est: quod, cùm facile sit ac leve, affluente consolatione, integram contemplationis horam traducere: difficillimùm è contra, incidente desolatione: Idcirco adversus tentationem, ac desolationem semper pugnandum est, producto ultra præfinitam horam exercitio, vincendi gratia: Ita enim non solùm discimus resistere adversario, sed eum etiam expugnare.

DEcima quarta est: quod si vacans exercitiis cernatur consolatione multa, & fervore magno ferri, obviandum est, ne promisso aliquo, vel voto in

to inconsultè ac præcipitanter facto, se obstringat. Idque tanto fuerit diligentius prævertendum, quanto ille ingenii esse instabilioris perspicitur. Quamvis enim unus alterum iustè movere possit ad ingressum religionis, in qua emittenda sint obedientiæ, paupertatis, atque castitatis vota: quamvis præterea maioris meriti sit opus ex voto, quam sine voto factum; plurima nihilominus ratio habenda est conditionis propriæ personarum: Item attentè est considerandum, quid commodi, vel incommodi possit occurrere, ad illud præstandum, quod aliquis promissurus sit.

DEcima-quinta est. quod tradens exercitia non debet alterum impellere ad paupertatem & promissionem eius magis, quam ad oppositum; neque ad hoc potius, quam ad illud institutum vitæ: quia licet extra exercitia licitum sit & pro merito ducendum, si quis cælibatum, religionem, & aliam quamcunq; Evangelicam perfectionem amplecti svadeat iis omnibus, quos ex personarum &conditionum ratione probabile scit fore idoneos: longe tamen convenientius, meliusq; est, inter exercitia ipsa id non attentare: sed Dei potiùs voluntatem quærere, atque præstolari, donec ipse Creator, ac Dominus noster animæ sibi devotæ sese communicet, eamque amplexans ad sui amorem, laudem & servitium disponat, prout maximè scit esse commodum. Quapropter dictanti exercitia standum est in quodam æquilibrio, sinendumque, ut citra medium, Creator ipse cum creatura, & hæc vicissim cum illo rem transigat.

DEcima sexta est: quod ut creator ipse, Dominusq; noster in Creatura sua Certiùs operetur, si accidat animam ad aliquid minus rectum affici, atque inclinari, summopere ac totis viribus niten-

dum

dum eſt in contrariùm: ut puta, ſi ad officium vel beneficium adipiſcendum aſpiret, non divinæ gloriæ, aut communis animarum ſalutis cauſa, ſed commoditatis ſuæ, negotiorumque temporalium duntaxat: tunc affectus ad oppoſitum impelli debet, per aſſiduas orationes & alia exercitia pia, in quibus a clementia Dei oppoſitum petatur: videlicet, hunc ut ille animum offerat ipſi Deo, ſe tale officium vel beneficium, aut aliud quidvis, iam non appetere, niſi priorem affectum adeò mutaverit, ut nihil iam omnino deſideret, vel poſſideat alia ex cauſa, quam divini cultus & honoris.

DEcima ſeptima perutilis eſt: quod ſcilicet tradens exercitia, inquirere, ac ſcire nolens prorias alterius cogitationes, & peccata: ſupereſt, ut certior factus fideliter de cogitationibus à vario ſpiritu immiſſis, & ad maius, aut minus bonum trahentibus, ſpiritualia nonnulla exercitia illi præſcribat præſenti animæ neceſſitati opportuna.

DEcima octava eſt: quod iuxta eius, qui exercetur, habitudinem, puta pro ætate, doctrina, vel ingenio, accommodari debent exercitia: ne cui rudi aut imbecilli, ſeu debili ea imponantur, quæ ferre non poſſit citra incom̃odum, nedũ ad profectũ ſuum aſſumere. Similiter prout cuique in animo eſt ſe ſe diſponere, impartiendum id demum eſt, quod eum potiſſimum iuvare poſſit. Propterea ei, qui ſe inſtrui duntaxat poſtulat, & ad gradum aliquem perduci, in quo animus ſuus conquieſcat, tradi poteſt particulare primum examen infra poſitum. pag. deinde generale pag. ſimulque modus orandi mane per horæ dimidium ex præceptorum Dei, & peccatorum mortalium conſideratione, de qua pag. Svadendum etiam fuerit, ut octavo quoq; die peccata ſua confiteatur, & quindecim

decim dierum intervallo, vel octo potius, si affectus impellat, sumat Eucharistiæ Sacramentum. Ista exercitationis ratio proprie competit rudioribus, seu illiteratis, quibus insuper exponenda erunt singula præcepta Dei, atque Ecclesiæ: mortalia peccata, cum quinque sensibus, & operibus misericordiæ. Itidem si is, qui tradit exercitia, alterum viderit debilis esse naturæ, ac parum capacis, unde modicus proventus, & fructus sperari queat, satius fuerit aliqua ex dictis levioribus exercitiis ipsi præscribere, usque ad confessionem peccatorum: postea nonnulla conscientiæ examina, & methodum confessionis frequentioris dare, quibus iam paratum sibi animæ profectum, seu lucrum tueri possit. Non erit autem progrediendum ad electionum dictamina, aliorumve, quam primæ hebdomadæ exercitiorum, quoties præsertim alii adsunt maiori cum fructu exercitandi, nec omnia omnibus præstare, temporis permittit angustia.

DEcima nona est: quod homini negotiis publicis, vel aliis convenientibus distracto, sive ingenio, sive litteris præditus sit, suppetente ipsi hora una & dimidia diebus singulis ad sumenda nonnulla exercitia, exponendum primo erit, quem in finem homo creatus sit: deinde per horam dimidiam examen particulare, deinceps generale, cum modo rite confitendi, sumendiq; sancti Sacramenti, tradi ei possunt: præscribendo etiam, ut mane, per triduum, spatio unius horæ meditationem agat de primo, secundo, ac tertio peccato, ut docetur, pag. Postea per alios tres dies eadem hora de processu peccatorum, ut pag. Per alios totidem de pœnis, quæ peccatis respondent, pag.

Di-

Dictandæ quoque illi erunt intra totum dictarum trium meditationum tempus, decem additiones illæ, quæ habentur, pag.

Obſervabitur eadem meditandi ratio circa myſteria Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ infra in ipſiſmet exercitiis late explicatur.

VIgeſima eſt: quod ei, qui à negotiis liberior eſt, & fructum conſequi ſpiritualem optat, quam poſſit maximum, tradenda ſunt omnia exercitia eodem, quo procedunt, ordine ( & quidem ſcribi rerum capita ne excidant é memoria expedit ) in quibus ( ſecundum ſucceſſum communiorem ) tanto maiorem faciet progreſſum ſpiritualis vitæ, quanto magis ab amicis, notiſq; omnibus & ab omni rerum humanarum ſolicitudine ſe ſe abduxerit; ut ſi ab ædibus priſtinis migret in domum cellamve aliquam ſecretiorem, unde ipſi liberum ſecurumque ſit egredi ad matutinum ſacrum Miſſæ, vel ad veſperarum officium, cùm libuerit, audiendum, abſque familiaris cuiuſquam interpellatione. Ex qua quidem loci ſeceſſione inter alias multas commoditates hæ tres præcipuè conſurgunt. Prima, quod excluſis amicis & familiaribus, negotiiſque minus rectè ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secunda, quod per huiuſmodi ſeceſſum intellectu minus quam antea diſtracto in diverſas partes, ſed collecta redactaque omni cogitatione ad rem unam, ſcilicet ad obſequendum Deo Creatori ſuo, & ſaluti animæ ſuæ conſulendum multo liberiùs, ac expeditiùs utitur naturæ viribus in quærendo eo, quod deſiderat tantopere. Tertia, quod quanto ſe magis reperit anima ſegregatam, ac ſolitariam, tanto aptiorem ſe ipſam reddit ad quærendum, attingendumq; Creatorem, & Dominum ſuum, ad quem

quem insuper, quo propius accedit, eo melius ad suscipienda bonitatisDivinæ dona disponitur.

*Exercitia quædam spiritualia, per quæ homo dirigitur, ut vincere se ipsum possit, & vitæ suæ rationem determinatione à noxiis affectibus libera, instituere.*

INprimis, ut per huiusmodi exercitia, tam qui ea tradit, quam qui accipit, iuvari queat, supponendum est Christianum unumquemque pium, debere promptiore animo sententiam seu propositionem obscuram alterius, in bonam trahere partem, quam damnare. Si verò nulla eam ratione tutari possit, exquirat dicentis mentem, & si minus rectè sentiat, vel intelligat, corripiat benignè: hoc nisi sufficit, vias omnes opportunas tentet, quibus illum sanum intellectu, ac securum reddat ab errore.

*Principium sive fundamentum.*

CReatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eiq; serviens tandem salvus fiat. Reliqua verò supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suæ prosequendum iuvent: unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt. Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes (prout libertati arbitrii nostri subiectæ sunt, & non prohibitæ) ita, ut (quod in nobis est) non quæramus sanitatem magis quam ægritudinem: neq; divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi præferamus. Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac desiderare.

*Examen particulare & quotidianum, tria tempora com-*

*complectens, ad dispositionem sui ac duplicem discussionem accommoda.*

PRimum tempus est matutinum quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit. Secundum est pomeridianum, in quo petenda est à Deo gratia, ut reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare inciderit, & in posterum cavere: deinde priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato, seu vitio iam dicto, & singulas diei partes præteritas percurrens ab ea hora, qua surrexit, usque ad præsentem, quoties illud commiserit, & puncta totidem signet in priore linea figuræ subscriptæ: quibus peractis denuo proponat per spatium diei reliquum, diligentius se se cohibere. Tertium erit vespertinum tempus, in quo, post cænæ horam, facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priore usque ad præsens lapsis, & eodem modo rememoratis enumeratisq; vicibus, quibus deliquerit, pare eis punctorum numerum signabit in posteriore linea, figuræ sequenti similis ad hoc præparatæ.

*ADDITIONES QVATVOR*

*utiles ad faciliorem & celeriorem peccati, seu vitii cujusvis extirpationem.*

PRima est: ut quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admota, doleat de lapsu, quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec advertentibus.

SEcunda est: ut sub noctem numeratis, comparatisq; invicē punctis linearū, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat, an à priore examine usque ad secundum ali-

qua

qua successerit emendatio.

TErtia est: ut conferat diei secundæ, atque præcedentis examina invicem; considerans ecquid sibi emendationis intervenerit.

QVarta: ut collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factæ vel omissæ emendationis rationem habeat.

ITem notandū est, ex sequentibus figuris primam cæteris longiorem deputari diei primæ, puta Dominicæ: Secundam vero diei Lunæ paulo breviorem. & ita deinceps: cùm par sit diminui in dies erratorum numerum.

*Examen conscientiæ generale ad purgationem animæ, & ad peccatorum confessionem utilissimum.*

PRo comperto ponitur triplex incidere homini cogitationum genus: Vnum ex proprio surgens motu ipsius hominis: Reliqua verò duo intrinsecus advenientia, ex boni scilicet, vel mali spiritus suggestione.

*De cogitatione.*

DVobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materia peccati mortalis, de qua hic sermo est. Primo, quando suggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repu-

repugnando vincitur. Secundo, quando pravæ istiusmodi suggestioni semel, ac iterum repulsæ, & subinde nihilominus reverenti continuè resistit homo, donec penitus expugnetur, quod quidem victoriæ genus merito alterum antecellit.

Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione, aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur: vel in ea retundenda se se exhibet negligentem. Mortale vero peccatum, per cogitationem duobus modis admittitur. Primo, quando cogitationi peccati præbetur quacunque ratione, assensus. Secundo, quando peccatum illud opere completur, idque gravius est priore, ex tribns causis: Videlicet, ob maiorem temporis decursum: ob actum intensiorem: & ob plurium denique offendiculum, sive detrimentum.

*De Loquela*

VErbo etiam multifariam offenditur Deus: ut in blasphemia, iuramento. Nam iurandum non est, neque per Creatorem, neque per creaturas ullas, nisi concurrentibus his tribus, verirtate, necessitate, ac reverentia. Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantum, quæ circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti est non levis. Reverentiam dicimus, quando assumens divinum nomen adhibet considerationem, ut Deo Creatori, ac Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet iuramentum temerè, seu vane factum per Creatorem, sit gravius peccatum, quam per creaturam: difficilius tamen esse, per hanc, quam per illum licite iurare, servatis debitis circumstantiis, quas diximus. Primo, quia

in mentione creaturæ facienda per iuramentum, non ita excitamur aut reddimur attenti, ut ex veritate ac necessitate iuremus, sicut nominato rerum omnium Creatore. Secundo, eo quod ad honorem Deo exhibendum cum reverentia, longe debilius movemur ex commemoratione creaturæ, quam ipsius Dei Creatoris: Quamobrem iurare per creaturas perfectis magis conceditur, quam crassioribus; sive idiotis: quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo, & illustratione intellectus, considerant propius, atque deprehendunt Deum secundum essentiam, præsentiam, & potentiam suam creaturæ cuilibet inesse: unde ad præstandam illi debitam in iuramento reverentiam paratiores sunt aliis, qui eo perfectionis nondum provecti sunt. Tertio, quia creaturis ad confirmationem iuramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriæ: id quod imperfectis magis, quam perfectis fuerit timendum.

Vitandum est insuper verbum otiosum ( inter alia locutionis peccata,) quale esse intelligitur, quodcunq; nec loquenti, nec alteri prodest: nec eo etiam animo profertur, ut adferat utilitatem. E-converso vero minime otiosum censendum est verbum illud, quodcumqne ad animæ vel propriæ, vel alienæ, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum pertinet: aut certe ad tale quippiam ex dicentis mente dirigitur: etiam si quis de negotiis loquatur, ab instituto suo alienis, ut religiosus de bellis, vel mercimoniis. Cæt[illegible]n ex sermone quidem, ad finem bonum ordi[illegible], meritum contingit: ad malum vero finem, aut futiliter prolatus sermo, generat peccatum.

Sunt & oris peccata mendacium, falsa testimonia, detractio. Nam detrahendum non est alteri,

nec

nec obmurmurandum. Revelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi damno famæ alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem veniale solum. Ad hæc quotiescuque alienum patefacimus vitium, vel defectum, nostrum ipsorum vitium, ac defectum simul commonstramus. Verumtamen ubi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primo quando publicũ est, ut meretriciũ, vel damnatũ in iudicio, vel perniciosum, puta ob errorem publicum, animos conversantium corrumpentem.

Secundo, quoties occultum alicuius crimen indicatur alteri, per cuius subventionem, ille relevari á peccato possit: dummodo rei huius, probabilis aliqua ratio, vel coniectura offeratur.

Possent inter oris peccata, irrisiones, comtumeliæ, & alia id genus adscribi, quæ persequi licebit tradenti exercitia, prout opus esse iudicaverit.

*De opere.*

PRopositis ante oculos decem mandatis Dei, cum Ecclesiæ præceptis & iussis maiorum, seu superiorum, æstimandum est, quicquid sit operis adversus quodlibet eorum, id peccatum esse: levius aut gravius tamen, pro inæquali peccandi modo, & pro diversa peccantium habitudine. Porro, reduci ad iussa dicimus superiorum, diplomata, seu indulta Pontificũ, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace, concedi atq; promulgari solita: per quæ ad confessionẽ peccatorũ & Eucharistiæ sanctæ sumptionem, Christi fideles invitantur. Peccat siquidẽ non leviter, quicumq; tam pias Rectorũ Ecclesiæ cohortationes, sanctionesq; aspernari audet, ac transgredi.

*Examinis Generalis modus, particulas seu puncta quinque complectentis.*

PRimum punctum est, Domino nostro Deo, pro beneficiis acceptis, gratias agendas esse.

Secundum, quod debemus pro cognitione, & expulsione peccatorum gratiam flagitare.

Tertium, de admissis præsenti die peccatis, rationem ab anima nostra exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primo quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam, atque operationem eodem ordine, quo in particulari examine traditum est. Quartum poscere veniam de delictis.

Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem: & orationem dominicam post dicta omnia recitare. Pater noster.

*Confessionis Generalis, & communionis usus.*

EX Confessione generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur tria hæc emolumenta. Primum: quod tametsi, qui annis singulis saltem confitetur semel, ad generalem huiusmodi confessionem minime obligetur: eam tamen facienti ipsi multo plus commodi, & meriti accedit, ob dolorem scilicet de peccatis, & malitia vitæ præteritæ, quem ita sentit vehementiorem.

Secundum: quoniam inspecta, per spiritualem exercitationem, longe quam antea manifestius natura, & malitia peccatorum, tanto amplius commodum, ac meritum percepturus est.

Tertium: quia consentaneum est, hominem sic rite confessum, atque dispositum, multo melius se habere ad Eucharistiæ sumptionem, quæ maxime confert, & ad fugam peccati, & ad gratiæ receptæ conservationem, & augmentum.

Porro generalis ista confessio, post hebdomadæ primæ exercitia potissimum erit opportuna.

*Primum exercitium meditandi secundum tres animæ*

*potentias, circa peccatum triplex. Et continet orationem præparatoriam, duo præludia, & puncta tria præcipua, cum uno colloquio.*

ORatio præparatoria est, qua petimus à Domino gratiam, ut vires atque operationes nostræ omnes, sincere ad eius gloriam, & cultum tendant.

PRimum præludium est, ratio quædam componendi loci: pro qua notandum est, quod in quavis meditatione, sive contemplatione, de re corporea, ut puta de Christo, effingendus erit nobis, secundum visionem quandam imaginariam, locus corporeus, id, quod contemplamur, repræsentans, veluti templum, aut mons, in quo reperiamus Christum Jesum, vel Mariam Virginem, & cætera, quæ spectant ad contemplationis nostræ argumentum. Sin autem speculationi subest res incorporea, ut est consideratio peccatorum nunc oblata: poterit loci constructio talis esse, ut si per imaginationem cernamus animam nostram in corpore isto corruptibili, velut in carcere constrictam: hominem quoque ipsum, in hac miseriæ valle, inter animalia bruta exulantem.

Secundum erit præludium, ut à Domino id postulem, quod exopto, iuxta propositæ contemplationis argumentum: nimirum si de Christi resurrectione fuerit meditandum, petenda erit lætitia, qua gaudenti Christo congaudeam: sin de passione, lachrymas, poenas, & angores petam, ad compatiendum Christo patienti. In præsenti ergo meditatione, pudorem confusionemque mei ipsius debeo exposcere, attendens, quam multi homines ob peccatum mortale, vel unicum, damnati fuerint: & quod ego toties peccando sim damnationem commeritus.

NOtandum ad hæc, quod omni meditationi, seu

contemplationi, præmitti debent tam oratio præparatoria, quam præludia duo: sed oratio quidem semper fit eodem modo, prælúdia vero pro diversitate rerum sunt diversa.

PRimum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab Angelis commissum, adhibito statim discursu intellectus, atque voluntatis motu, instigante me ad volvenda, & intelligenda ea, per quæ erubescam, & confundar totus, facta unius tantum peccati Angelorum, cum tot meis comparatione: Vnde colligere liceat, cùm illi ob unicum crimen, addicti sint inferno, quam sæpe ipse supplicium idem meruerim. In memoriam itaq; dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli creati primum in statu gratiæ, sed (quod necesse erat ad beatitudinis consummationem) non volentes per arbitrii libertatem, Creatori suo reverentiam, & obsequium præstare, at contra ipsum insolescentes, conversi fuerint ex gratia in malitiam, & de cælo ad infernum præcipitati. Consequenter discurrendum erit per officium intellectus circa hæc pensiculatius, nec non concitandis simul voluntatis affectionibus, acrius insistendum.

SEcundum est punctum, easdem potentias tres, circa peccatum primorum parentum (quod secundum appellabimus) exercere: tractando memoria, quam diuturnam ob illud poenitentiam egerunt: quanta humanum genus corruptio invasit: quot hominum millia ad inferos deturbata sunt. Memorandum est videlicet, quomodo Adam in Damasceno campo, de limo terræ factus, posituscq; in terrestri paradiso, & Eva formata ex una costarum eius, cùm de fructu arboris scientiæ boni, & mali, prohibiti essent comedere, & nihilominus

come-

comedissent: post peccatum subito, ex paradiso eiecti sint: vestibus pelliceis induti, & originali iustitia privati, reliquum vitæ suæ tempus, in laboribus, ac ærumnis maximis, pœnitendo traxerint. Super his etiam, *ratiocinio intellectus & affectibus voluntatis utendum erit, sicut prius.

TErtium est, ut exerceamur pari modo, circa peccatum mortale, & particulare quodlibet ( ipsum nos tertium peccatum dicemus, ut a duobus supra positis distinguatur ) considerando, quod peccato tali, vel semel duntaxat commisso, forte detrusi sint multi ad infernum: quodque præterea prope innumeri, ob delicta meis pauciora, atque leviora forte crucientur æternis pœnis. Vnde memoria versandum erit, quanta sit peccati gravitas, & malitia, Deum omnium Conditorem atq; Dominum offendentis. Ratiocinandum quoque est, supplicium æternum peccato iuste irrogari, utpote, adversus infinitam bonitatem Dei perpetrato. Postremo suscitandi sunt affectus, sicut iam dictum est.

COlloquium fiet imaginando Jesum Christum coram me adesse, in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem, qua Creator ipse infinitus, fieri creatura, & ab æterna vita, ad temporariam mortem venire, pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper me ipsum, percontans, quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo? quid agam tandem, aut agere debeam? Et in eum intuens sic cruci affixum, ea proloquar, quæ suggeret mens, & affectus. Porro Colloquii proprium illud est, ut fiat sicut amici sermo ad amicum, vel servi ad Dominum: nunc gratiæ aliquid petendo: nunc culpam aliquam meam incusando: interdum propria quælibet communicando, ac petendo

onsili um super illis, sive auxilium. Vltimo dicatur Pater noster.

*Secundum Exercitium, est meditatio de peccatis, complectens ultra orationem præparatoriam, & duo præludia quinque articulos, seu puncta, cum colloquio ad finem.*

PRæparatoria oratio eadem quæ supra. Prius præludium eandem exigit constructionem loci, ut in præcedenti meditatione. Posterius vero fiet, poscendo id, quod hic quærimus, dolorem scilicet intensum de peccatis, atque abundantem fletum.

PVnctum primum, sit processus quidam, per quem peccata totius vitæ, in memoriam revocantur, percursis gradatim, discussisque annis, & spatiis temporum singulis. Qua in re triplici iuvamur compendio, consideratis videlicet locis habitationis nostræ, conversationum modis, & officiorum, seu negotiorum, quibus functi sumus, generibus diversis.

SEcundum est, peccata ipsa perpendere, quanta sit foeditas, & nequitia singulorũ ex natura sua, si vel prohibita non essent.

TErtium est considerare me ipsum, quisnam, aut qualis sim, additis exemplis, quæ me in maiorem mei contemptum trahant. Vt si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium coetum comparatus: Quid deinde sit multitudo universæ mortalium, si cum angelis, beatisque omnibus conferatur: post hæc attendendum est, quid rei sit tandem, quicquid est creatum, præ ipso Deo Creatore: Iam quid homuncio ego unus esse possum: demum inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, atque corporis foeditatem, ac me, tanquam ulcus, sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaq; vitiorum lues defluxerit. Quar-

QVartum est: cogitare quid sit Deus, quem ita ostendi: collectis, comparatisque perfectioni bus, attributis Deo, ut propriis, cum oppositis meis vitiis, atque defectibus: summam scilicet eius potentiā, sapientiam, bonitatē, & iustitiā, cum extrema mea infirmitate, ignorantia, malitia & iniquitate, conferendo.

QVintum in exclamationem prorumpere, ex commotione affectus vehementis, admirando valde, quomodo creaturæ omnes ( discursu facto per singulas ) me sustinuerint tamdiu, & hucusque vivum servaverint: quomodo Angeli, divinæ iusti, tiæ gladium ferentes, æquo me animo tulerint, custodierint, suisque etiam iuverint suffragiis: quomodo pro me intercesserint Sancti, quomodo Coelum, Sol, Luna, & alia Sydera, Elementa, cunctaque animantium genera; & Terræ germina, debitæ vindictæ loco, mihi servierint: ut quo, denique, modo non absorbuerit me dehiscens tellus & mille infernos reserans, in quibus perpetuas poenas daturus essem.

TErminanda demum erit hæc meditatio per colloquium, extollendo infinitam Dei misericordiam, & gratias pro viribus agendo, quod vitam ad hunc usque diem prorogaverit, unde proposita in futurum mei emendatione, recitabo semel Pater noster.

*Tertium Exercitium non erit aliud, quam repetitio primi, & secundi, una cum tribus colloquiis.*

POst præparatoriam orationem, & duplex præludium, repetenda erunt præcedentia duo exercitia, notatis punctis, seu locis, in quibus maiorem senserimus consolationem, desolationem, aut aliam quamcunque spiritualém affectionem: ac in illis diutius diligentiusque immorandum erit, deinde occurrente nobis spirituali motu, ad collo-

quia, quæ sequuntur, tria veniemus.

COlloquium primum sit ad Dominam nostram Christi Matrem, flagitando intercessionem eius apud Filium, & gratiæ impetrationem nobis tripliciter necessariæ. Primo, ut internã criminũ nostrorũ cognitionem, ac detestationem sentiamus. Secundo, ut operum nostrorum agnoscentes, abhorrentesq; ordinem perversum, correcto eo nosmet ipsos secundum Deum recte ordinemus. Tertio, ut perspecta, & damnata mundi pravitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipiamus. His expletis semel recitetur. Ave Maria.

Secundum colloquium fiat similiter ad Christum Dominum, & Mediatorem nostrum, ut illa eadem nobis impetret ab æterno Patre. Subdetur in fine oratio, quæ incipit: Anima Christi.

TErtium eodem processu, faciendum est apud Deum Patrem, ut triplicem illam gratiam nobis largiatur, & in fine semel recitandum, Pater noster.

*Quartum exercitium conficitur ex tertii repetitione.*

POnitur repetitio eiusmodi, veluti quædam eorum ruminatio, quæ meditatus sum in exercitiis prioribus, ut ea continuè reminiscendo, discurrat facilius intellectus sine divagatione. Adiicienda quoque erunt tria eadem colloquia.

*Quintum Exercitium est contemplatio de inferno, continetq; ultra orationem præparatoriam, & duo præludia, puncta quinque, & unum colloquium.*

ORatio præparatoria non differt à superiore.

Prius præludium, hic habet compositionem loci, subiecta oculis imaginationis inferni longitudine, latitudine, ac profunditate. Posterius vero, consistit in poscenda intima poenarum, quas damnati luunt, apprehensione, ut si quando me coo-

perit

perit divini amoris oblivio, ſaltem, à peccatis, ſupplicii timor coerceat.

PVnctum primum eſt, ſpectare per imaginationem, vaſta inferorum incendia, & animas igneis quibuſdam corporibus, velut ergaſtulis incluſas.

SEcundum, audire imaginarie planctus, eiulatus, vociferationes, atque blaſphemias in Chriſtum, & Sanctos eius, illinc erumpentes.

TErtium, imaginario etiam olfactu fumum, ſulfur, & ſentinæ cuiuſdam ſeu foecis, atque putredinis graveolentiam perſentire.

QVartum: guſtare ſimiliter res amariſſimas, ut lacrymas, rancorem, conſcientiæq; vermem.

QVintum: tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animæ ipſæ aduruntur.

COlloquendo interim cum Chriſto, in memoriam adducendæ erunt illorum animæ, qui ad inferni poenas damnati ſunt, vel quia credere noluerunt adventum Chriſti, vel licet crederent, non tamen conformem præceptis eius vitam exegerunt: idque vel ante adventum Chriſti, vel eodem tempore, quo vixit Chriſtus in hoc mundo, vel poſt illud deinceps. Gratiæ poſtremo agendæ ſunt eidem Chriſto quam maximæ, quod in tale quodpiam exitium non permiſerit me corruere, ſed potius ad hunc uſque diem ſumma pietate, & miſericordia me proſecutus ſit. Finis imponetur, dicto Pater noſter.

Si viſum erit ei, qui tradit exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adiicere, ut de morte, ac aliis peccati poenis, de iudicio, &c. non ſe putet prohiberi, licet hic non adſcribantur.

Exercitiorum vero tempus ita diſtribuendum eſt, ut primum eorum fiat in media nocte, ſecun-

dum

dum mane, ſimul ac ſurrexerimus. Tertium ante, vel poſt miſſæ ſacrum, nondum ſumpto cibo. Quartum, circiter horam veſperarum. Quintum, hora ante cœnam. Quæ temporis diſtributio, ſingulis quatuor hebdomadis communis eſt: variari tamen poteſt, atque augeri vel minui, prout unicuique, ad peragenda dicta quinque exercitia, ætas, animi, corporiſque diſpoſitio, ſive naturæ ipſius complexio ſubſervit.

*Additiones ad exercitia melius agenda, & ad ea, quæ optantur, invenienda, perutiles.*

PRrima eſt: ut ego, poſt cubitum, ante ſomnum, modico temporis ſpatio, quo recitaretur ſemel Angelica ſalutatio cogitem de hora, qua ſurgendum mihi erit, & de exercitio faciendo.

SEcunda: ut expergefactus, ſtatim excluſis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo mediæ noctis exercitio contemplaturus ſum: Vtque maioris verecundiæ, & confuſionis gratia, exemplum mihi huiuſmodi proponam: Quomodo miles aliquis ſtaret coram rege ſuo & cœtu aulico erubeſcens, anxius & confuſus, qui in regem ipſum acceptis ab eo prius beneficiis, doniſque plurimis, ac magnis, graviter deliquiſſe convictus eſſet. In ſecundo itidem exercitio, reputans quantum peccaverim, fingam me catenis vinctum eſſe, ac protinus ſiſtendum coram ſummo iudice, ſicut mortis reus quiſpiam, ferreis ligatus compedibus duci ad tribunal ſolet. His igitur, vel aliis, pro meditandarum rerum genere, cogitationibus imbutus, veſtitu meo me induam.

TErtia: ut à loco futuræ meditationis, uno, vel gemino adhuc paſſu diſtans, per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica poſſet, animo ſurſum elevato, conſiderem Dominum meum Jeſum,

ſum, ut præſentem, & ſpectantem, quidnam acturus ſum, cui reverentiam cum humili geſtu exhibere debeam.

QVarta eſt: ut ipſam aggrediar contemplationem nunc proſtratus humi, & pronus, aut ſupinus iacens, nunc ſedens, aut ſtans, & eo me componens modo, quo ſperem facilius id conſequi, quod opto. Vbi adverti hæc duo debent: Primum, quod ſi flexis genibus, vel in alio quovis ſitu, voti compos fiam, nil requiram ultra: Secundum, quod in puncto, in quo aſſecutus fuero quæſitam devotionem, conquieſcere debeo ſine tranſcurrendi anxietate, donec mihi ſatis fecero.

QVinta. ut completo exercitio, ſedens, vel deambulans, per quartam circiter horæ partem, mecum diſpiciam, quonam modo meditatio, ſeu contemplatio mihi ſucceſſerit: Et ſi quidem male, inquiram cauſas cum poenitudine, ac emendationis propoſito, ſin vero bene, gratias Deo agam, eundem poſtea modum obſervaturus.

SExta: ut cogitationes quæ gaudium afferunt, qualis eſt de glorioſa Chriſti reſurrectione, ſubterfugiam: quoniam talis quælibet cogitatio impedit fletum, & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus eſt, adſcita potius mortis vel iudicii recordatione.

SEptima: ut eandem ob cuſam, omni me privem lucis claritate, ianuis ac feneſtris clauſis tantiſper, dum illic moror, niſi quamdiu legendum, aut veſcendum erit.

OCtava: ut a riſu, verbiſq; riſum provocantibus, maxime abſtineam.

NOna: ut in neminem oculos intendam, niſi ſalutandi aut valedicendi poſcat occaſio.

DEcima: ut aliquam addam ſatisfactionem, ſeu poenitentiam: Quæ quidem in interiorem ſe

exteriorem dividitur. Interior est, dolor de propriis peccatis, cum firmo proposito cavendi, tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in posterum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis, quæ tribus potissimum modis assumi potest.

Primo circa victum: subtractis quibusdam non superfluis solum ( quod temperantiæ est, non poenitentiæ ) sed etiam convenientibus alimentis: Et eo fit melius, quo plus subtrahitur, vitata interim naturæ corruptione, aut debilitate gravi, seu infirmitate. Secundo circa somni & strati modum, sublatis non mollibus tantum, aut deliciosis rebus, sed etiam opportunis, quantum licet, citra vitæ, aut valetudinis grave periculum: quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper ad consvetudinem ( si cui est nimii somni ) moderandam. Tertio circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem admotis, gestatisq; ciliciis, funibus aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus, ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumptis: in quibus tamen omnibus magis expedire videtur, ut doloris sensus in carne tantum sit, nec penetret ossa, cum infirmitatis periculo. Quare flagellis potissimum utemur ex funiculis minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem adeo interiores. ut valetudinem adversam causare possint. Notanda sunt insuper quatuor hæc.

Circa poenitentiam primum: quod poenitentiæ exterioris triplex est usus, seu effectus: nimirum ut pro delictis præteritis nonnihil satis fiat: ut vincat se ipsum homo, inferiorem sui partem, quæ sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi, magis subiiciens: ut postremo quæramus atque impetremus aliquod gratiæ divinæ donum, quod opta-

ptamus: puta intimam cordis contritionem de peccatis & abundantiam lachrymarum, vel propter illa, vel propter poenas & dolores passionis Christi, aut dubii alicuius: quod nos angit, resolutionem.

Secundum, quod, additiones primæ duæ, solis conveniunt exercitiis, quæ media nocte, & sub auroram fiunt. Quarta vero in templo, vel coram aliis nunquam, sed domi tantum & clanculum exequenda est.

Tertium: quod quando is, qui exercitatur, affectum quæsitum non consequitur, ut dolorem, vel consolationem,: mutare subinde expedit rationem victus somnique, & alia genera poenitentiæ, ita, ut poenitentiam unam per triduum sectemur, & proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo, prout diversis, plus aut minus poenitentiæ est sumendum.

Præterea, cum poenitentias huiusmodi sæpe omittamus ob affectum carnis, aut erroneum iudicium, quasi naturalis nostra complexio ferre illas non possit, citra ingens valetudinis detrimentum: Et è contrario iustum nonnunquam poenitentiæ modum excedamus, de corporis robore nimis confidentes: mutatis, ut dictum est, poenitentiæ generibus, ac per vices sumptis, & relictis, evenit plerunque, ut clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissime cognoscit, unicuique id compertum reddat, quod ipsi expedit.

Quartum: quod particulare examen fiat ad tollendas culpas & negligentias, quæ circa exercitia & additiones solent obrepere: id quod etiam per tres alias sequentes hebdomadas, observandum venit.

## HEBDOMADA
### Secunda.

*Contemplatio regni Iesu Christi ex similitudine Regis*

*terreni, subditos suos evocantis ad bellum.*

Oratio præparatoria fiet more supra dicto.

Præludium primum ad constructionem loci, nunc erit, ut spectare nos imaginemur synagogas, villas, & oppida, quæ prædicans Christus pertransibat: & sic de locis aliis.

SEcundum, ad gratiam poscendam pertinens, in hac parte erit, petere à Deo, ne obsurdescamus vocanti nos Christo, sed ad sequendum, ac obtemperandum promptissimus.

PVnctum primum esto, proponere mihi ob oculos humanum Regem divinitus electum, cui Principes, & populi omnes Christiani reverentiam & obsequium præstare debeant.

SEcundum est, imaginari quod audiam illum Regem loquentem ad omnes subditos. In animo est mihi regiones infidelium universas ditioni meæ subiicere. Quicunque igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio uti victu, vestitu, rebusque aliis, quam me utentem conspexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus cæteris mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoriæ, & foelicitatis unusquisque, prout laborum, ac molestiarum socius extiterit.

TErtium est, considerare quidnam respondere debeant Regi amantissimo, & liberalissimo fideles subditi: & quam prompte ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos. Contra vero, si quis non obaudiret, quanto apud homines universos vituperio dignus esset, atque quam ignavus miles æstimandus.

PArs secunda huius exercitii consistit in collatione similitudinis inter dictum regem, & Dominum Jesum Christum, circa triplex illud punctum.

PRimo, sic applicabimus exemplum: Si terrenus ille Rex, cum bellica sua evocatione, dignus est, cui attentio, & obsequium præstetur; quanto magis Christus Rex æternus, mundoq; toti conspicuus, qui singulos ad se his invitat verbis? Mea hæc est iustissima voluntas totius mundi dominium mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare. Proinde quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est. Labori enim præmium respondebit.

SEcundum, ratiotinabimur neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè Christi servitio se totum offerat, & addicat.

TErtio, indicandum erit, quod ii, qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos, non se ipsos tantum ad laborum tolerantiam; verum etiam maiora, & præclariora quædam munera oblaturi sunt, expugnata carnis, sensuum, amorisque proprii, & mundani rebellione. Vnde respondebit quisque in hunc fere modum: En, ô Rex supreme, ac Domine universorum, tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia, & ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuæ subiicio voluntati: attestans coram infinita bonitate tua, necnon in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ totiusque curiæ cælestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut ( dummodo in maiorem laudis tuæ, & obsequii mei proventum cedat) quam possim proxime te sequar, & imiter in ferendis iniuriis & adversis omnibus, cum vera, tum spiritus, tum etiam rerum paupertate: Si (inquam) sanctissimæ tuæ maiestati placeat ad tale me vitæ institutum eligere, atque recipere.

Fiet bis interdiu hoc exercitium, mane, cum

primum ſurreximus, & in hora, prandium vel cœnam præcedente.

In hac hebdomada ſecunda, & ſubſequentibus, utile fuerit, aliquid ſubinde legere ex Evangelico, vel pio alio codice, ut de imitatione Chriſti, Sanctorum vita. &c.

*Primæ diei meditatio prima erit, de Incarnatione Jeſu Chriſti, complectens orationem præparatoriam, tria præludia, & puncta tria, cum uno colloquio.*

Oratio præparatoria nihil à ſuperioribus variatur.

PRæludium primum eſt: proferre in medium contemplandæ rei hiſtoriam, quæ hoc loco erit: Quomodo Perſonæ tres divinæ, univerſam terræ ſuperficiem ſpeculantes hominibus refertam, qui ad infernum deſcendebant, in Deitatis ſuæ æternitate decernunt, ut ſecunda perſona, pro ſalute humani generis, naturam hominis aſſumat. Vnde adveniente tempore præſtituto, Archangelus Gabriel ad beatam Virginem Mariam nuntius deſtinatur, ut dicetur infra pag.

SEcundum pertinet ad loci compoſitionem, quæ erit viſio imaginaria, perinde ac ſi oculis pateret terræ univerſæ ambitus, quam habitant tot diverſæ gentes: Deinde ad certam mundi partem domuncula ſpectetur beatæ Virginis, apud Nazereth in provincia Galilææ ſita.

TErtium continet gratiæ poſtulationem, ut intime cognoſcam, quo pacto Dei Filius mei cauſa ſit homo factus: ut ardentius ipſum amem, & abhinc ſequar ſtudioſius.

NOtandum hic eſt: tam orationem præparatoriam, quam tria præludia per totam hanc hebdomadam, & reliquas ſequentes itidem fieri, præludiis duntaxat, pro diverſitate rerum variatis.

PVnctum primum eſt, ut ſpeculer perſonas omnes,

nes, de quibus agitur. Et primo quidem homines ſuper faciem terræ degentes, adeo moribus, geſtibus, & actionibus diverſos: quoſdam albos, & nigros alios: nonnullos fruentes pace, & reliquos bellis agitatos: hunc plorantem, & ridentem illum: ſanum unum, & alterum ægrotum: naſcentes multos, & multos viciſſim morientes: cæteraſque varietates prope innumeras.

Deinde contemplandæ erunt Perſonæ tres divinæ, e ſolio regali ſuo intuentes omnia hominum genera, in ſuperficie terræ cæcorum more viventium, paſſimq; morientium, & deſcendentium ad infernum. Poſtea Virginem Mariam cum Angelo eam ſalutante conſiderabimus, aliquid inde ſemper ad nos reflectendo, ut ex conſideratione tali fructum aliquem referamus.

SEcundum punctum eſt, auditu interno excipere, quid loquantur Perſonæ omnes: ut homines in terris confabulantes, blaſphemantes, ſibique invicem convicianteſ, Divinæ vero Perſonæ in cælo, de redimendo humano genere colloquentes. Virgo & Angelus in cellula de Incarnnationis myſterio tractantes. Quorum omnium reflexione, ſeu applicatione quadam ad meipſum facta, ſtudebo ex ſingulis nonnihil fructûs decerpere.

TErtium conſequenter erit, actiones quoque perſonarum ſimul attendere: ut puta, quomodo ſe ſe invicem mortales infeſtent, concutiant, trucident, & omnes ruant ad inferos: quomodo ſanctiſſima Trinitas Incarnationis opus exequatur: quomodo item ſua, Angelus fungatur legatione, & beata Virgo humillime ſe gerens, divinæ gratias agat maieſtati. Ex quibus ad nos ipſos, ut dictum eſt, reflexis, fructus obiter eſt legendus.

COlloquium poſtremo ſubiiciam diſquiſitis ſtu-

dioſe verbis, quibus divinam quamlibet Perſonam. Verbum incarnatum, & ipſius Matrem digne valeam compellare: petendo etiam pro affectu, quem in me ſenſero, quicquid ad maiorem iuvet imitationem Domini mei Jeſu Chriſti, velut nunc recens incarnati. Recitabitur in fine Pater noſter.

*Contemplatio ſecunda de Nativitate.*

Oratio præparatoria ſicut ſupra.

PRæludium primum ex hiſtoria dependet, quæ recenſenda eſt ab egreſſu beatæ Virginis, ex oppido Nazareth: quo ſcilicet modo ipſa iam nono menſe gravida, & inſidens aſinæ ( ut pie meditari licet ) ac Ioſeph comes, cum ancillula, & bove, profecti ſunt Bethleem, tributum à Cæſare exactum, pro ſe ſoluturi.

SEcundum vero deducendum erit ex conſideratione itineris, æſtimata eius longitudine, obliquitate, lenitate, vel aſperitate paſſim occurrente. Deinceps, etiam nativitatis locum rimabimur, ſpeluncæ ſimilem, latum, vel anguſtum, planum, vel erectum, commode, vel in commode paratum. Tertium, à ſuperiore nihil mutabitur.

PVnctum primum eſt, aſpectus perſonarum: ut Virginis Deiparæ, & Ioſeph coniugis cum famula, & Chriſti Domini, ut infantis nunc primum nati: Inter quos me adeſſe fingam, tanquam pauperculum, eorum utcunque neceſſitatibus, cum reverentia maxima famulantē. Ac inde quid ad me redire emolumenti, ex tali ſpectaculo poſſit, diſpiciam.

SEcundum conficitur ex verborum, quæ ibidem fiunt, apprehenſione fructuoſa.

TErtium ex negotiorum, quæ illic geruntur, inſpectione, puta itineris, laborum & cauſarum, ob quas ſummus omnium Dominus in ſumma natus ſit egeſtate, laturus quoq; in hac vita cum per-

perpetua paupertate labores, famem, sitim, æstum, frigus, opprobria, verbera, & crucem tandem subiturus, idque mei causa: unde per singulas studebo proventum aliquem spiritualem colligere, Hæc demum concludenda erunt inito colloquio, & finito cum Pater noster.

*Tertia contemplatio, est reputatio præcedentium duarum.*

PRo tertio exercitio, seu contemplatione, repetuntur duæ præcedentes cum oratione præparatoria & iisdem tribus præludiis, notando ubiq; & fixius tractando illas partes, in quarum priore transcursu aliquid illustrationis, consolationis, vel desolationis acceperim. Subdetur etiam colloquium cum oratione Dominica, ut prius.

NOtandum: eundem esse repetendi exercitii modum, & ordinem in hac hebdomda, & in sequentibus, qui fuit in prima: nisi quod mutatur materia, eadem forma permanente.

*Quarta contemplatio, est primæ ac secundæ, iteratæ repetitio, proxime præcedenti penitus conformis,*

*Quinta contemplatio, est applicatio sensuum ad prædictas.*

POst orationem præparatoriam, cum tribus iam dictis præludiis apprime conducit, quinque imaginarios sensus circa primam & secundam contemplationem, eo, qui sequitur modo, exercere, prout res subiecta feret.

PVnctum primum erit, secundū imaginationē respicere personas omnes, & notatis, quæ circa eas occurrent, circumstantiis, utilitatem nostrā elicere.

SEcundum velut audiendo, quid loquantur, aut loqui eas deceat, omnia in usum nostrū attrahere.

TErtium interiore quodā gustu, & olfactu sentire, quanta sit suavitas, & dulcedo animæ, divinis donis, ac virtutibus imbutae iuxta rationem, personæ quā consideramus, adaptando nobis ea, quæ fructum aliquem afferre possint.

QVartum, per internū tactū attrectare, ac deosculari vestimenta, loca, vestigia cæteraq; personis talibus coniūncta, unde fiat nobis devotionis vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio.

HVic erit contemplationi per colloquium imponendus finis, sicut prioribus, adiecto itidem Pater noster.

*Notanda insuper sunt hæc quinque.*

PRimum, quod tam in hac, quam in qualibet sequente hebdomada nullum debeo legere vel cogitare aliud mysterium, nisi quod eadem hora, aut die considerandum sit, cum alioquin unum alteri obturbet.

SEcundum, quod primum de Incarnatione Christi exercitium fit media nocte, proximum diluculo, tertium circa horam Missæ, quartum sub vesperas, quintum paulo ante cœnam: & eorum cuilibet, spatium impendetur unius horæ. Id quod abhinc deinceps ubique venit observandum.

TErtium: quod si is, qui exercitatur, sit senex, vel valetudinarius, vel per hebdomadam primam viribus attritus, præstat eum aliquoties non surgere de nocte, sed tres tantum contemplationes peragere, in aurora, circa missæ tempus, & ante prandium: superaddita circa vesperas una repetitione, & sensuum applicatione, ante cœnam.

QVartum, quod in hac hebdomada secunda, ex decem additionibus in prima traditis, variari debent secunda, sexta, & septima, cùm decima ex parte. In secunda quidem hoc mutatur, quod simul atque excitor à somno, meditationem proxime instantem, debeo menti obiicere, ac desiderium provocare, cognoscendi clarius incarnati æterni Verbi, ut ipsi serviam, & adhærescam tanto propensius, quanto incredibiliorem erga me bonitatem

tem eius perſpexero.

In ſexta vero, ut frequenti verſem memoria vitam Chriſti à tempore Incarnationis ad locum uſque, ſive myſterium, de quo in præſenti die, vel hora ſum meditaturus.

In ſeptima, ut luce, vel obſcuritate, ſereno coelo, vel turbido delecter, quatenus ad ſcopum refert deſideratæ rei, pertingendum.

In decima, ut ita me geram, ſicut exigere videtur myſterii contemplandi genus: cum nonnulla ex myſteriis poenitentiam requirant, alia non item. Decem igitur additionibus utendum erit circumſpecte.

QVintum eſt ultimo notandum: quod in omnibus aliarum horarum ( præterquam noctis mediæ, & auroræ ) exercitiis, aſſumendum erit aliquid, quod ſecundæ, & tertiæ additioni æquivaleat, hunc in modum: ubi primum in mentem veniet, adeſſe meditandi horam priuſquam accedam, proſpiciam eminus, quo ferar, & coram quo ſim appariturus, ac tranſcurſa obiter exercitii oblati parte, contemplationem ſtatim auſpicabor.

*In ſecunda die. Argumentum primæ & ſecundae contemplationis, erit Chriſti præſentatio in templo, de qua infra p. & fuga in Ægyptum, de qua pag.*

SVper duabus his contemplationibus fiet repetitio duplex, & ſenſuum applicatio ut ſupra.

NOtandum, quod expedit nonnunquam eum, qui exercitatur, quamuis & vigore animi, & corporis robore ſit præditus; non nihil tamen remittere de præſcriptis exercitiis ſecundæ huius hebdomadæ, & ſubſequentium duarum: ut aſſequi, quod cupit, commodius valeat: accepta ſolummodo contemplatione una in crepuſculo matutino, & altera circa Miſſæ tempus: quarum repetitionem

faciat hora vesperarum, & sub coenam, quinque imaginationis sensus super iisdem exerceat.

DIe vero tertia meditandum occurret, quo pacto puer Iesus apud Nazareth subditus erat parentibus, ut habetur pag.

Deinde, quomodo ab eis repertus fuerit in templo pag. Fient item duæ repetitiones, cùm sensuum applicatione.

*Præludium quoddam, circa considerationem statuum, seu generum vitæ diversorum.*

CVm supra propositum fuerit exemplum Christi, de vitæ genere, quod in mandatorū Dei observatione consistit, & primus seu communis status appellatur, nunc idem ipse Dominus, dum parentibus suis fuisse subditus memoratur formam videtur exhibere, alterius, seu secundi status, pendentis ab obedientia, & perfectionem Evengelicam afferentis: quando videlicet in templum se contulit, patre adscititio, & naturali Matre derelictis, utæterni Patris obsequio vacaret. Quare opportu nūm hic erit, nos quoque illius vitam contemplantes, vestigare, & efflagitare proprium vitæ genus, in quo maiestati suæ nos servire malit.

Ad hoc igitur inquirendum, possumus introduci per sequens proxime exercitium, ad Christi mentem attendentes, collatam cùm opposita inimici. Discemns etiam exinde qua sit nobis opus dispositione, ut perfecti in eo evadamamus statu, quemcunque bonitas divina eligendum nobis suggesserit.

*Quarta die fiet meditatio de duobus vexillis uno quidem Jesu Christi, optimi nostri Imperatoris: altero vero Luciferi, hostis hominum capitalissimi.*

Oratio præparatoria fit secundum morem.

PPæludium primum: erit historica quædam consideratio Christi, ex una parte & ex altera Luciferi,

feri, quorum uterque omnes homines ad se vocat, sub vexillo suo congregandos.

SEcundum est ad constructionem loci, ut repræsentetur nobis campus amplissimus circa Hierosolymam: in quo Dominus Jesus Christus, tanquam bonorum hominum omnium summus Dux assistat: Rursum alter campus in Babylonia: ubi se Lucifer, malorum, & adversariorum ducem exhibeat.

TErtium: ad gratiam petendam illud erit: ut poscamus exploratas habere fraudes mali Ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas: veri autem, optimique Imperatoris Christi, agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse.

PVnctum primum est: imaginari coram oculis meis, apud campum Babylonicum, ducem impiorum in cathedra ignea, & fumosa sedere, horribilem figura, vultuque terribilem.

SEcundum est: advertere quomodo convocatos dæmones innumeros per totum orbem spargit ad nocendum, nullis civitatibus & locis: nullis personarum generibus, immunibus relictis.

TErtium: attendere cuiusmodi concionem habeat, ad ministros suos, quos instigat, ut correptis, iniectisque laqueis, & catenis, homines primum trahant ( quod fere contingit ) ad cupiditatem divitiarum: unde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiæ barathrum deturbari queant.

Atque ita tres sunt præcipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus, & superbia fundati: ex quibus in alia vitiorum genera omnia, præceps fit decursus.

Similiter ex opposito, considerandus est summus optimusque noster Dux, & Imperator Christus.

PVnctum primum erit: conspicari Christum, in

amæ-

amæno campo iuxta Hierosolymam, humili quidem constitutum loco, sed valde speciosum forma, & aspectu summe amabilem.

SEcundum autem est: speculari quo pacto ipse mundi Dominus universi, electos Apostolos, discipulos, & ministros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, statui, & conditioni doctrinam sacram, ac salutiferam impartiant.

TErtium: auscultare concionem Christi exhortatoriam, ad servos & amicos suos omnes, in opus tale destinatos, qua eis præcipit, ut iuvare studeant quemlibet: ac primo inducendum curent ad spiritualem affectum paupertatis: & insuper ( si divini obsequii ratio, & electio cœlestis eo ferat ) ad sectandam actu ipso veram paupertatem: deinde ut ad opprobrii, contemptusque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur. Et ita tres consurgunt perfectionis gradus: videlicet paupertas, abiectio sui, atque humilitas, quæ ex diametro divitiis, honori, & superbiæ opponuntur, ac virtutes omnes statim introducunt.

COlloquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam à Filio gratia, ut recipi possim, & manere sub vexillo eius: idque primum, per spiritualem tantum paupertatem, aut etiam in rerum exploratione sitam, ( si quidem ad eam me vocare, atque admittere dignabitur ) deinde per abiectionem quoque seu ignominiã, ut ipsum imiter vicinius, deprecando tamen culpã aliorũ, ne contemptus mei, tã in alicuius detrimentum, quam in offensam Dei cedat.

TErminabitur primum hoc colloquium per Ave Maria.

SEcundum colloquium ad Christum hominem dirigitur, ut mihi à Patre impetret illud idem, sub-

ſubdeturque in fine oratio: Anima Chriſti.

TErtium ad patrem, ut annuat petitioni, cum Pater noſter,

TRanſigetur hoc exercitium ſemel in media nocte, & altera vice ſub auroram.

REpetitiones vero duæ circa matutini ſacri, atq; veſperarum tempus erunt faciendæ, additis in fine tribus colloquiis. Sequens vero exercitium fiet ante cœnam.

*Meditatio eodem quarto die facienda, de tribus hominum claſſibus, ſeu differentiis, ut potiſſimam partem amplectamur.*

ORatio præparatoria, ut ſemper antehac.

Præludium primum fiat propoſitis vice hiſtoriæ tribus hominum claſſibus diſtinctis, quarum unaquæque decem millia ducatorum, alio, quam divini cultus, & amoris ſtudio ſibi paraverit; nunc autem placatum habere Deum & ſalva fieri exoptet, ſublato utcunque noxio affectu rerum ut pote ſalutis impedimento.

SEcundum eſt: loci cuiuſdam imaginaria conſtructio, in quo videam meipſum coram Deo, Sanctiſque omnibus, cum deſiderio aſtantem, atq; perſeverantem, quonam pacto ipſi Deo placere queam potiſſimum.

TErtium eſt: optatæ rei petitio, nimirum gratiæ, per quam id eligam, quod & Deo acceptiſſimum, & mihi ſaluberrimum futurum ſit.

PRima igitur claſſis optat quidem acquiſitæ rei exuere affectum, ut conciliari Deo poſſit: ſed media, debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet.

SEcunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit: ſed rem interim mordicus tenere, ac Deum potius trahere ad votum proprium, quam

reli-

relicto impedimento, per conducibiliorem statum ad illum tendere.

TErtia postremo affectum in sincerum volens abiicere, rem, ipsam vel tollere, vel tenere æque parata est, prout ad divinum cultum commodius fore, vel ex divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit: Ac interim omnia relinquens integra, illud tantum versat, & inquirit, nec aliam admittit relinquendæ, aut retinendæ rei acquisiæ causam, præter rationem ac desiderium divinæ gloriæ: ut quam maxima sit.

COlloquia tria subsequentur, ut nuper facta sunt de vexillis.

NOtandum ad hæc: quod ubi affectum sentimus paupertati perfectæ, quæ tum in spiritu, tum in rerum abdicatione subsistit, adversantem, & ad divitias magis inclinantem: multum confert, ad eum elidendum, petere ex Deo, licet renitente carne, ut ad paupertatem eiusmodi sectandam nos eligat: servabimus tamen interea desiderii nostri libertatem, qua liceat convenientiorem servitio divino viam invadere.

*Quinta die, sequetur contemplatio de Domini transitu, à Nazareth ad Iordanem fluvium, deque eius baptismo pag.*

FIet tam media nocte, quam primo mane. Bis præterea repetetur circa Missæ, ac vesperarum horam. Ante cœnam applicabuntur quinque sensus. Ad hæc quodlibet horum quinque exercitiorum præcedet oratio præparatoria, cum tribus præludiis, ut in superioribus de Incarnatione & Nativitate traditum est. Nec non adiectis tribus colloquiis, ut circa classes, vel iuxta id quod ibi fuit subnotatū.

EXamen autem particulare à prandio & cœna usitatum, fiet hic, & in sequentibus de erratis ac negli-

negligentiis, quæ circa proprias eius diei meditationes, & additiones contigerunt.

SExta deinceps die, contemplandum se offert: quomodo Christus Iesus à flumine Iordanis petierit desertum, ibique versatus sit, servata omnino exercitii diei quintæ forma, pag.

SEptima: Quomodo beatus Andreas, & alii successive Christum secuti sunt, ut dicetur. pag.

OCtava: quomodo sermonem fecit Dominus in monte, octo beatitudinis modos edisserens. pag.

NOna: quomodo navigantibus discipulis se ostendit, ambulans super aquas maris. pag.

Decima: quomodo in templo docuit, pag.

Vndecima. de Lazari suscitatione. pagina.

Duodecima: de gestis in die palmarum. pag.

*Notanda hoc loco sunt hæc tria.*

PRimo: quod in hac secunda hebomada iuxta temporis facultatem, & utilitatem personæ se se exercentis, possunt aliquot meditationes vel adiici, ut de mysteriis Visitationis, pastorum, Circumcisionis, & triũ Regũ, vel subtrahi ex suprapositis: quippe quæ introductione tantum delineantur, ad formandam melius contemplationem.

SEcundo: quod inchoanda est electionum discussio a contemplatione discessus Christi ex Nazareth Iordanem versus, usque ad eam quæ fit quinto die, simul comprehendendam.

TErtio: quod antequam electionum materiam aggrediamur: ut ad capessendam germanam Christi doctrinam affectum nostrum disponamus, apprime iuvat considerare, ac per diem totum revolvere identidem tres sequentes modos humilitatis, nec non colloquia dicenda, crebro agitare.

PRimus humilitatis modus hic est, ad salutem necessarius, ut me penitus subdam divinæ legi obser-

obſervandæ, utque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ diſcrimine obiecto, tranſgrediar ex diliberato, mandatum ullum divinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

SEcundus maioris eſt perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ, ac longitudinem, æque ſim propenſus, ubi æqualis eſt divinæ laudis, & ſalutis meæ occaſio. Vtque, nulla, vel humanæ quantæcunque fælicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſita; adducar unquam, ut culpam, licet venialem tantum, decernam admittere.

TErtius eſt modus humilitatis abſolutiſſimæ, ut priores duos iam adeptus, etiam ſi nullo ſuperaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Chriſti, eligam potius cum eo paupere, ſpreto & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulũ amplecti, quã opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem. Porro ad gradum hunc gumilitatis attingendum, magnum afferet compendium, triplicis colloquii præcedentis de vexillis, uſus, per quod ſuppliciter poſcamus (ſi divinæ placeat benignitati) ad talem perduci electionẽ, ſive maior, ſive æqualis obſequii mei erga Deum, & gloriæ divinæ proventus ſubſit.

*Præludium ad electionem faciendam.*

AD bene quidpiam eligendum, noſtræ ſunt partes, ut oculo puro, ac ſimplici ſpectemus, quorſum fuerimus creati: nimirum ad laudem Dei, & ſalutem noſtram. Quapropter eligenda ſunt ea tantum, quæ conducunt ad dictum finem, cum ubique, fini medium, non medio finis habeat ſubordinari: unde errant, qui uxorem ducere primitus, aut Eccleſiaſticum munus, ſeu beneficium adipſci

ſtatu-

ſtatuunt, atque ita demum Deo poſtea inſervire, utentes præpoſtere fine ac medio, nec ad Deum tendentes rectâ, ſed oblique ipſum ad perverſa vota ſua pertrahere conantes. Atque e contrario plane agendum eſt: propoſito primum divino cultu, tanquā fine noſtro, & electo deinceps coniugio, vel ſacerdotio, cæteriſq; rebus omnibus quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis. Idcirco nihil movere nos debet, ad mediis quibuſvis utendum, aut ſuperſedendum, niſi habita inprimis tam divinæ laudis, quam noſtræ ſalutis certa ratione.

*Introductio ad eligendarum rerum notitiam, complectens quatuor puncta, & annotatiunculam unam.*

PRimum punctum eſt: quod res omnes, quæ ſub electionem cadunt, neceſſario bonæ eſſe debent ex ſe ipſis, aut certe non malæ, nec niſi conſonæ inſtitutis orthodoxæ Matris Eccleſiæ.

SEcundum: quod genera duo rerum electioni quadrant. Nam quarumdam electio immutabilis eſt, ut ordinis ſacerdotalis, & matrimonii: aliarum vero mutari poteſt, ſicut reddituum eccleſiaſticorum, vel ſæcularium, quos recipi & relinqui ex cauſa fas eſt.

TErtium: quod circa ea, de quibus facta iam ſit electio immutabilis, nihil ſupereſt eligendum. Sed advertendum eſt, quod ſi quis improvide, nec ſine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quod non liceat retractare, reliquum eſt, ubi eum coeperit pænitere facti, electionis damnum probitate vitæ, & operum ſolertia penſare, reſilire autem nullo pacto decet, quamuis electio iſtiuſmodi non videatur vocatio divina eſſe, utpote obliqua, atque inconſulta, qua in re non pauci errant, electionem malam, & obliquam pro divina vocatione reputantes: cum hæc ſemper pura & clara ſit, non

car.

carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta.

QVartum: quod, si quis debito modo & ordine, absque carnali mundanoque affectu quippiam elegit, quod mutari possit, non est cur violet electionem talem, sed potius, ut in ea magis ac magis proficiat, adniti debet.

NOtandum autem est, quod si electio rerum huiusmodi mutabilium, non ita recte, atque sincere processerit: eam expedit corrigere, ut fructus uberior, & Deo gratior produci possit.

*De tempore triplici, ad electiones recte faciendas magis opportuno.*

TEmpus primum erit, quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imo etiam dubitandi facultas animæ sublata sit, quo minus sequatur impulsionem talem: sicut legimus beato Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Christo, accidisse.

SEcundum est, quoties satis clarum compertumque sit beneplacitum divinum, docente id aliquo consolationum, desolationum, vel diversorum spirituum prævio experimento:

TErtium est, quando per animi tranquillitatem aliquis, considerato fine, ad quem conditus est, ( ad Dei gloriam scilicet & salutem suam ) eligit certum vitæ genus intra Ecclesiæ Catholicæ limites constitutum, per quod ceu medium, commodius securiusque ad suum finem tendat.

Porro tranquillitas ea tunc noscitur adesse, quotiescunque anima nullis agitata variis spiritibus, vires naturales suas libere exercet. Itaque nisi primi, vel secundi temporis beneficio, electio contingat, superest ad tertium recursus, duobus modis sequentibus distinctum.

*Modus prior, sanæ, bonæque electionis faciendæ, sex constans punctis.*

Pun-

PVnctum primum: erit proferre in medium rem deliberandam, ut de officio, vel beneficio, acceptandumne, an potius reiiciendum sit, & ita de cæteris rebus, quæ ad mutabilem electionem spectant.

SEcundum est: adducto ante oculos creationis meæ fine in hoc consistente, ut cùm Dei laude salvus fiam, in neutram declinare partem amplectendæ rei controversæ: quin potius velut in medio quodam interstitio, & æquilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illico partem totus ferar, quam novero divinæ gloriæ, & saluti meæ fore aptiorem.

TErtium: obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem, quocunque potius mihi tendendum sit, adhibito nihilosecius, pio, fidelique intellectus mei ratiocinio: per quod apprehensa, & probata Dei voluntate, ad electionem ferar.

QVartum: perpendere quot tandem commoda, vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent ex tali officio, vel beneficio suscepto, quot rursum ex eodem incommoda & pericula impendent. Præterea, quot per oppositum, omisso illo, tam commoda & adminicula, quam discrimina, & damna possim expectare.

QVintum: his præmissis, ratiocinari in utramque partem, & iuxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, electionē concludere.

SExtum: electione facta ad orandum cito prosilire, & illam offerre Deo perfecte demum, si ei placeat recipiendam & stabiliendam.

*Modus posterior bene eligendi, in regulas quatuor, & annotationem unam distributus.*

REgula prima: quod, cùm oporteat per affectum

Dei amore coelitus infusum, fieri electionem, eligentem convenit persentiscere in se ipso, quod quicquid affectionis (sive multum sive modicum sit) erga rem electam tenet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiscatur.

SEcunda est: considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis in esse cupiam, occurreret dubiûs super electione huiusmodi, quidnam ego illi decernendum maxime, essem consulturus: Quo animadverso, agendum & mihi ducam, ut suaderem alteri.

TErtia, mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in præsenti deliberatione. Iuxta hunc igitur, eligendum nunc esse facile intelligam.

QVarta: prospicere non minus, quando pro tribunali sistar iudicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem, quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus.

ADnotandum est postremo: quod hisce regulis quatuor propter salutem meam, & animi quietem accurate servatis, debeo iuxta ultimum punctum modi præcedentis, electionem ipsam definire, & offerre Deo comprobandam.

*De emendatione seu reformatione circa vitæ statum cuiuis facienda.*

IN primis illud est advertendum, quod si quis vel matrimonio vel officio dignitatis Ecclesiasticæ sit ad strictus (de temporalium vero bonorũ quantitate, magna an parva sit non refert) unde ipsi non vacet, aut parum libeat circa mutabilium rerum electiones versari: operæ pretium est, earum loco methodum ei tradi, seu formulam aliquam, ex qua vitam suam, & statum proprium possit emendare.

DEbet igitur, quisquis eiusmodi conditionem sor-

sortitus est, ut finem creationis, & vitæ suæ recte statuat, ac sequatur, per exercitia supradicta, & electionum modos attendere, atque ruminando sedulo colligere, quam amplam domum & familiam æquum sit se se habere: quibus eam modis tractare, & administrare conveniat: quibus instruere verbis, & exemplis: quantum præterea de possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios, sive domesticos: quid rursum pauperibus erogare, vel impendere piis operibus deceat: nihil affectando aliud, nec quærendo, nisi quod honorem Dei & salutem suam præstet. Hoc enim unusquisque persvasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius & commodi proprii affectione se se abstraxerit.

## TERTIA HEBDOMADA.

*Prima contemplatio fit in media nocte & continet orationem præparatoriam, tria præludia, sex puncta, cum uno colloquio.*

ORatio præparatoria eadem, quæ semper.

Præludium primum, sumitur ex historia: quomodo Christus à Bethania misit Hierosolimam discipulos duos ad parandam coenam, quo & ipse cùm reliquis deinde profectus est: ibique post agni Paschalis esum, & perfectam coenam, pedes lavit omnibus, & sacrosanctum corpus, ac sangvinem suum largitus est. Postremo sermonem ad eos habuit, post discessum Iudæ ipsum vendituri.

SEcundum, ex compositione loci, considerando dictum iter asperum, aut lene, breve, aut longum, cùm cæteris, quæ inesse poterant, circumstantiis. Deinceps conspicando locum coenæ amplum, vel angustum, vilem, vel ornatum; & consimilia.

TErtium: exoptatæ rei petitione, scilicet doloris, indignationis, & confusionis, eo, quod ob peccata mea, summus omnium Dominus tantis se tormentis ita obiiciat.

PVnctum primum: erit respicere coenantes, & aliquid in usum meum adducere.

SEcundum, eosdem audire, quid loquantur, & fructum inde decerpere.

TErtium: attendere, quid agant, & per omnia proficere.

QVartum: advertere, quid iam inde Christus pati appetat, & incipiat, iuxta historiam: unde incipiam & ipse dolorem, moestitiam & fletum mihi excitare, meque affligam similiter in subsequentibus.

QVintum: meditari, quo se pacto abscondens Christi Divinitas, adversarios suos, cùm valeat, non perdat, sed poenas adeo crudeles, pati sinat Humanitatem.

SExtum: cogitare, cùm talia ferat pro peccatis meis quid agere debeam, aut pati eius causa.

COlloquium ad Christum fiet, terminandum cùm Pater noster.

IN colloquiis est notandum (ut supra ex parte iam, exposuimus) quod agere convenit, & aliquid petere, iuxta præsentis rei rationem, videlicet, prout sentio in me consolationem, vel perturbationem: prout virtutem unam vel alteram expeto: prout in hanc vel illam partem de me statuere intendo: prout etiam de re, quam contemplor tristari volo, vel lætari. Denique postulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam maximè desidero: & unum duntaxat colloquium poterit confici ad Christum Dominum, vel triplex, si devotio instiget, nempe ad Matrem, Filium, & Patrem,

trem, ſicut traditum eſt in contemplatione ſecundæ hebdomadæ, de tribus claſſibus, cùm ſequente illic annotatione.

*Secunda contemplatio in aurora, de rebus à Chriſto poſt cœnam, & in horto geſtis.*

Oratio præparatoria conſueta ſemper.

PRæludium primum, eſt iuxta hiſtoriam: quomodo Ieſus Chriſtus una cùm undecim ſuis Apoſtolis, deſcendit ex monte Syon, ubi fuerant coenati, & tranſiens per vallem Ioſaphat, relictis ibi ex illis octo, aliis vero tribus in horti parte, ſeorſum ipſe digrediens, oravit, ad ſudorem uſque ſanguineum, iterata iam ter eadem ad Patrem ſuum oratione. Poſtea excitis Diſcipulis à ſomno proſtratis ad ſolam vocem cùm Iuda per oſculum prodente, adverſariis: reſtituta deinceps, quam amputaverat Petrus, Malchi auricula: comprehenſus tandem eſt, quaſi nefarius, aut latro quiſpiam; & per vallem illam ad Annæ domum primo tractus.

SEcundum eſt: pro conſtruendo loco, viam intueri declivem, planam & arduam: Item hortum certa magnitudine, figura, & habitudine depingendum.

TErtium: pro voti conſecutione, poſcere mærorem, planctum, anxietatem, & coeteras id genus poenas interiores, ut Chriſto patienti pro me, compatiar.

*Notanda ſimul hæc quatuor.*

PRimum: quod poſt præparatoriam orationem, cùm tribus præludiis ſecundi huius exercitii eodem modo & ordine procedendum eſt per puncta, & per colloquium, ut in præcedente de coena peractum eſt. Adiiciendæ quoque erunt circa Miſſæ, & veſperarum tempus duæ repetitiones ſuper

una, & altera dicta contemplatione. Ante coenam vero, applicabuntur quinque sensus, præmissa ubique oratione præparatoria, cùm tribus præludiis, oblatæ materiæ congruentibus, quemadmodum in hebdomada secunda satis descriptum est.

SEcundum: quod habita ætatis, complexionis corporalis, ac dispositionis totius ratione, vel quinque, vel pauciora exercitia, diebus singulis implebuntur.

TErtium: quod in hac tertia hebdomada, mutandæ sunt ex parte, additio secunda & sexta, siquidem (quod ad secundam spectat) ubi fuero experrectus præcogitans, quo tendam, & instantem contemplationem paululum delibans, interim dum surgo, & accingor, adnitar simul ad tristitiam, & dolorem, de tot, ac tantis Christi poenis, meipsum acriter incitare. Quoad sextam vero, suffugiam potius, quam quæram, aut admittam iucundas cogitationes, licet alioqui utiles, & sanctas: ut sunt de resurrectione Christi, & gloria; pro quibus in meditanda eius passione, angores ac poenas hauriam, ex frequenti eorum recordatione, quæ ab hora suæ nativitatis, ad exitum usque vitæ huius, ipse perpessus est.

QVartum: quod examen particulare, circa tam exercitiorum, quam additionum functionem, fiet ad eundem modum, ut in hebdomada præcedente.

IN secunda autem die, contemplatio alia succedet, noctu transigenda, de gestis in domo Annæ, ut narratur, pag. Sub auroram vero de secutis rebus in domo Caiphæ, pag. Deinde repetitiones & usus sensuum, velut prius.

IN tertia die: contemplabimur per noctem mediam, quomodo ductus est ad Pilatum Christus, & quid

quid ibi actum, ut dicetur, pag.

Diluculo vero, de iis quæ gesta sunt, transmisso Christo ad Herodem, pag.

Subdetur repetitionum, & sensuum consvetus usus.

DIe quarta: meditatio nocturna percurret historiam de reditu ab Herode, pag. usque ad mediam partem mysteriorum, quæ apud Pilatum secuta sunt: reliquam vero partem circa lucem primam prosequemur, de repetitionibus quoque, & sensibus, pro consuetudine sit agendum.

DIe quinta, sub noctis medium: de progressu ipso passionis contemplabimur, à sententia Pilati usque ad crucifixionem, pag. Sub autoram deinceps, ab elevatione crucis, ad Christi usque expirationem, de quibus, pag. Repetitiones, & sensuum exercitatio. ut supra:

DIe sexta noctu: quomodo mortuus Dominus: sublatus de cruce, & ad monumentum delatus est, pag. Primo mane, ex quo sepultus fuit, pag. donec Beata Virgo in domum aliquam se recepit.

DIe septima: inter noctu & mane passionem totam revolvemus. Postea repetitionum, & sensuum vice, per diem totum considerabimus, quam licebit frequentissime, quo pacto sanctissimum Iesu Christi corpus remanserit ab anima seiunctum: & ubinam, aut quomodo sepultum, item quæ fuerit beatæ Mariæ Matris solitudo, desolatio qualis, & quanta afflictio. Quam acerbus quoque discipulorum mœror extiterit.

SVbnotandum est: quod si cui libeat, meditandæ Christi passioni, diutius instare, contemplationes singulas debet absolvere cùm paucioribus mysteriis, ita, ut prima solum comprehendat cænam: Secunda, lotionem pedum: tertia, Eucharistiæ

ſanctæ inſtitutionem: Quarta; ſermonem ibi ſubſecutum: & ſic in cæteris agendum.

ADhæc, traiecta tota paſſione, licebit, proximo poſt die iterare eius dimidium atque reliquum poſtridie, perendie rurſus totam ſimul.

E contrario vero, ſi quis malit tempus ſuccidere: contempletur de cœna Domini per noctem: de horto, in aurora: de Annæ domo, circa Miſſam: ſub veſperas de domo Caiphæ: de prætorio Pilati, ante cœnam: & ita pergendo, per dies ſingulos, diverſa exercitia quinque implebuntur: utpote repetitionum, ac ſenſuum uſu prætermiſſo. Tranſcurſa vero paſſione, operæ pretium fuerit, eandem ſimul totam die unico revolvere, ſive in unum tantum exercitium congeſtam, ſive diſtributam in plura, prout ſibi fore conducibilius ille cenſuerit.

*Regulæ aliquot, ad victum recte temperandum.*

PRima eſt: quod à pane minus abſtinendum ſit, quam a reliquis alimentis: cùm neque gulam adeo irritet, nec tentationi æque obnoxios nos reddat.

SEcunda: quod circa potum attendenda ſit magis abſtinentia, quam circa panem: cauta obſervando, quæ proſit menſura potus, ut ſumatur ſemper: quæ [illegible] noceat, ut tollatur.

TErtia: quod circa pulmenta, & edulia potiſſimum, abſtinentiæ ratio verſetur, cùm per illa; tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum maior ſubminiſtretur occaſio. Temperanda ſunt igitur, vitandi exceſſus cauſa, quod fit dupliciter, dum vel cibis groſſioribus veſcimur, atque aſſveſcimus, vel dum parce delicatis utimur.

QVarta eſt: quod quanto plus de convenienti victu ſibi quis ademerit ( vitato interim valetudinis adverſæ gravi periculo ) tanto celerius men-

mensuram cibi, ac potus iustam reperiet. Tum quia, hoc modo melius se disponens, & obnixius tendens ad perfectionem, sentiet interdum quosdam cognitionis internæ radios, & consolatorios motus sibi coelitus immissos, ex quibus facile poterit rationem victus commodiorem discernere: tum quoniam, si quis, ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quam ut exercitia ipsa spiritualia, peragere commode valeat, sic facile advertet, quam mensuram victus naturæ necessitas requirat.

QVinta: quod expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus Iesum Christum Dominum nostrum vescentem cum suis discipulis, observando quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, & loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo: usuveniet enim, ut occupato magis intellectu circa meditationem talem, quam circa corporalem cibum, discamus facilius victum moderari.

SExta: quod gratia varietatis, aliæ adhiberi possunt meditationes inter vescendum, ut sunt: de Sanctorum vita, de pia quapiam doctrina, vel de aliquo spirituali negotio agendo, unde, sic abstracta mente, cibus ipse, & vescendi delectatio parum sentiatur.

SEptima: quod cavendum sit præcipue: ne super sumendos cibos, animus quodammodo totus effundatur, & ne avide vescamur, aut festine: sed appetitui semper dominantes, tum mensuram victus, tum sumendi modum una temperemus.

OCtava est: quod plurimum conducit ad tollendam cibi, potusque immoderantiam, si ante prandium aut coenam, & quacunque hora nulla esuries sentitur, prævia deliberatione, victum proxime

xime ſumendum definiamus ad menſuram certam, quam deinde nulla vel propria aviditate, vel inſtigatione inimici, unquam excedamus: ſed potius vincendæ utriuſque cauſa, de illa nonnihil etiam ſubducamus.

## QVARTA HEBDOMADA.

*Contemplatio prima, quomodo Ieſus Dominus, poſt reſurrectionem apparuit Sanctæ Matri ſuæ: ut habetur infra pag.*

ORatio præparatoria iuxta morem.

Præludium primum accipitur ab hiſtoria: quomodo poſt quam expiravit Dominus in cruce, ſepulto corpore, ſed Divinitati ſemper ſociato, ipſe in anima, Divinitati quoque continue unita deſcendit ad inferos, ereptiſque inde iuſtorum animabus, rediens ad ſepulchrum, corpus cùm anima denuo univit, ac reſurgens, demum apparuit Beatæ Virgini Matri ſuæ vivus, ut pie, ac veriſimiliter credendum eſt.

SEcundum: pro conſtructione loci, ſpeculandum accipiet ſepulchri ſitum, & Beatæ Virginis domicilium, cuius formam partes & reliquam diſpoſitionem, ut cellulam, & oratorium, ſigillatim perſcrutabimur.

TErtium: continebit gratiam petendam, ut ſcilicet immenſum Chriſti, ac Matris gaudium participemus.

PVnctum primum, ſecundum, ac tertium, eadem hic erunt, quæ ſupra in contemplatione cœnæ fuerunt expoſita, id eſt conſiderare perſonas, verba, opera.

QVartum vero erit: animadvertere, quomodo Chriſti Divinitas, paſſionis & mortis tempore abſcondita, palam ſe faciat in reſurrectione, ac tot miraculis deinceps eluceſcat.

Quin-

QVintum: æstimare, quam prompto copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio, adhibita consolationis, quæ ab amicissimo quopiam præstari potest, similitudine.

COlloquio uno, vel pluribus, iuxta materiam faciendis, terminetur contemplatio, cum Pater noster.

NOtandum porro: quod in sequentibus contemplationibus, seu exercitiis, recensenda erunt per ordinem, mysteria omnia resurrectionis, ascensionisque, & quæ sunt intermedia, servatis ubique iisdem formulis & modis: sicuti per totam illam hebdomadam factum est, in qua passionis mysteria contemplati sumus, & iuxta modum ac exemplum primæ huius de resurrectione Domini, meditationis, formandæ sunt sequentes omnes, atque regulandæ, tam in præludiis ( nisi quod hæc rebus sunt accommodanda ) quam in punctis quinque, & additionibus singulis. Pari etiam ratione circa repetitiones, & sensuum operationes, nec non in augendo, minuendove exercitiorum, secundum mysteria, numero, dirigi poterimus, sicut in prædicta meditandæ Christi passionis hebdomada fuimus edocti.

SEcundo notandum est: convenire magis quartæ huic hebdomadæ, quam præcedentibus, ut quatuor duntaxat fiant exercitia. Primum, post quam mane surreximus. Secundum, circa Missæ tempus, vel paulo ante prandium prioris repetitionis loco. Tertium, hora vesperarum, pro secunda repetitione. Quartum, ante coenam, admotis sensuum officiis ad imprimendas fortius animæ contemplationes tres eo die factas, signatis obiter, & penitius tractatis partibus, seu locis illis, in qui-

bus

bus motus animi efficaciores, maioremque gustum spiritualem senserimus.

TErtio, quod quamvis ei, qui exercitatur certus præscribatur numerus punctorum, puta ternarius, aut quinarius, liberum tamen ipsi erit in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem, prout commodius se habere expertus fuerit. Qua in re magnopere iuvabit, ante ingressum exercitii, tractanda puncta comminisci, & numero certo præfinire.

QVarto denique notandum est: quod per quartam hanc hebdomadam, variari debent secunda, sexta, septima, & decima additiones. In secunda quidem, ut dum evigilo, repente mihi ponam ob oculos statutam contemplationem, & de gaudio Domini cùm suis, studeam & ipse exhilarescere. In sexta vero, ut memoriæ meæ obliciam ea, quæ lætitiam spiritualem cient, ut cogitatio de gloria. In septima: ut lucis & cœli utar commoditate, quæ se se offeret: puta per tempus vernum, herbarum virentium & florum aspectu, aut aprici loci amoenitate. per hyemem vero solis, vel ignis opportuno calore: & ita de cæteris corporis atque animi oblectationibus congruis, per quas Creatori & Redemptori meo, congaudere queam. In decima: ut loco pœnitentiæ, temperantia & mediocritate victus contentus sim, nisi quo tempore ieiunium, vel abstinentiam Ecclesia indixit, cuius præceptis semper obtemperandum est, nisi iustum adsit impedimentum.

*Contemplatio, ad amorem spiritualem in nobis excitandum.*

INprimis duo notanda sunt. Primum: quod amor ipse ab operibus magis, quam à verbis pendet. Secundum: quod consistit amor in mutua facultatum,

tum, rerum & operum communicatione, puta sci. entiæ, divitiarum, honoris, & boni cuiuscunque.

*Oratio præmittitur ex more.*

PRæludium primum est: ut coram Domino, Angelis, Sanctisque omnibus, mihi propitiis, stare me videam.

SEcundum: ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum eius, in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem cultum & servitium ipsius totum me impendam.

PVnctum primum sit: revocare in memoriam beneficia creationis, ac redemptionis, dona itidem particularia, seu privata enumerare: & cùm intimo affectu perpendere, quantum mea causa benignissimus Dominus egerit, atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodque iuxta divinum suum decretum, & beneplacitum, se ipsum mihi, quantum potest, donare velit. Quibus optime inspectis, vertar ad meipsum, & disquiram mecum, quæ meæ sint partes, & quid æquum iustumque sit, ut divinæ offeram, & exhibeam maiestati: haud sane dubium; quin mea omnia offerre debeam, ac meipsum cùm summo affectu, & verbis huiuscemodi, vel similibus.

SVscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quicquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum, cùm gratia tua, mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

SEcundum erit: speculari Deum, in singulis existentem creaturis suis: & elementis quidem dantem, ut sint: plantis vero, ut per vegetationem quoque vivant: animalibus insuper, ut sentiant:

hominibus postremo, ut simul etiam intelligant. Inter quos accepi & ipse universa hæc beneficia, esse, vivere, sentire, ac intelligere, meque templum quoddam efficere voluit, ad imaginem suam & similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam, ut in primo puncto, vel melius si quid occurrerit: id quod in punctis etiam sequentibus, erit factitandum.

TErtium est: considerare eundem Deum ac Dominum, propter me in creaturis suis operantem, & laborantem quodammodo: quatenus dat ipsis, conservatque id quod sunt, habent: Possunt, atque agunt: quæ omnia, ut supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

QVartum: prospicere quo pacto munera & bona omnia coelitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia quælibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua, derivantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspectionem.

COlloquium etiam in fine fiet, terminandum cùm Pater noster.

*Modi tres orandi.*

PRimus orandi modus, deducendus est ex mandatis, ex peccatis septem mortalibus, ex tribus animæ potentiis, & ex quinque sensibus consideratis: unde non tam habet orationis formam, quam exercitii cuiusdam spiritualis, per quod & anima iuvatur, & oratio Deo redditur acceptior. Prius itaque quam hoc orem modo, iuxta illud quod tertiæ additioni æquipollet, sedebo vel deambulabo paulisper, ( prout ad animæ quietem facere videro ) pensitans apud me, quo mihi accedendum sit, & quid

& quid faciendum. Hoc idem additionis genus ad omnem orandi modum præmitti debet.

ORatio præparatoria, gratiæ contineat postulationem, ut mihi detur agnoscere, quicquid deliquero adversus decalogi præcepta, meque in posterum emendare, intellectis exactius, & ( ut par est ) ad Dei gloriam & salutem meam solito cautius observatis.

PRimo ergo, mandatum quodlibet ordine discutiã, attendens, quo pacto servaverim illud, aut violaverim, deque succurrentibus in memoriam delictis, veniam precabor recitando semel Pater noster. Porro in excutiendis singulis præceptis, satis fuerit insumi spatium temporis, quo ter posset oratio Dominica percurri. Notandum tamen, quod circa præceptum, cuius prævaricatio rarior accideret, minus immorandum esset, at eo amplius, quo lapsus fuerit ex assuetudine frequentior, idque similiter circa mortalia peccata sit præstandum.

COmpleto de præceptis singulis discursu, post mei accusationem, & gratiæ implorationem, ut ea vigilantius deinceps custodiam, colloquium dirigam ad Deum, iuxta rei occasionem.

SEcundo: similem orationis modum prosequemur circa mortalia peccata, post additionem, & præparatoriam orationem, sicut fecimus in præceptis. Nihil enim utrobique varium occurrit, nisi quod ad materiam attinet, cùm præcepta quidem servanda sint, peccata vero devitanda. Cætera eadem sunt, fietque itidem colloquium.

SCiendum est: peccatorum vitiorumque notitiam iuvari per contrariorum actuum, & habituum considerationem. Quapropter per gratiam divinam, & piam quamlibet exercitationem, laborandum est unicuique, ut virtutes sibi paret, mortalibus

bus peccatis septem oppositas.

TErtio: circa tres animæ potentias idem sequitur progressus, per additionem, orationem, & discussionem singularum, cùm colloquio ad finem, faciendus.

QVarto: circa quinque sensus corporis, nulla re mutata præter materiam. Vbi subnotandum est, quod, si quis optet in sensuum suorum usu, Christum imitari, debet in oratione præparatoria seipsum super hoc Deo commendare, factæque sensuum singulorum examinationi, Dominicam orationem subiicere; si vero similem affectet, Beatæ Virginis Mariæ imitationem, ei se commendet, tanquam à Filio id impetraturæ, & Salutationem Angelicam, dum sensus excutit, identidem recitet.

*Secundus orandi modus ex vocum orationis singularum, perpensa significatione.*

ADditio eadem, quæ superius, fit prævia.

ORatio præparatoria personæ congruet, ad quam dirigitur.

SEcundus orandi modus est: ut flexis genibus vel sedendo ( pro habitudine corporis & animi devotione ) oculis vel clausis, vel defixis in partem unam, neque huc & illuc motis, precationem Dominicam à principio recitemus, & in prima voce, quæ est, Pater, meditationis figamus pedem, quam diu circa eam, variæ nobis significationes, similitudines, spirituales gustus, & aliæ commotiones devotæ incident: & ita deinceps per singula eiusdem, vel alterius orationis verba, factitabimus.

*Regulæ tres circa hæc servandæ.*

PRima: ut in tali precationis cuiuslibet ruminatione, horæ spatium insumamus, quo expleto, Ave Maria, Credo, Anima Christi, & Salve Regina, semel iuxta communem morem, vel mente sola, vel etiam voce percurrantur. Secun-

SEcunda est: quod si orantibus hoc modo nobis, in una voce vel duabus, meditatio affluat, & interna simul delectatio, postponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota prætereat, qua elapsa, reliquum orationis cursim recitetur.

TErtia: ut quando ita contigerit, meditandæ voci uni, aut pauculis, horam impendisse, postridie recitato breviter eo, quod excussum fuit, ad sequentis verbi considerationem pergamus.

POst excussam vero ad hunc modum Dominicam precationem totam, succedet Salutatio Angelica: deinde alia atque alia oratio, ut sine interruptione hæc orandi exercitatio procedat.

Adhæc, oratione qualibet sic completa, personam illam, ad quam pertinebat, paucis compellabimus, virtutem aliquam, aut gratiam petentes, qua maxime indigere nos senserimus.

*Tertius orandi modus, per quamdam vocum & temporum commensurationem.*

ADditio ab utraque superiore nihil differt.

Oratio præparatoria, fiet sicut in secundo modo.

TErtius hic orandi modus in eo consistit ut inter singulas respirandi vices, singula Dominicæ alteriusve orationis verba transmittamus, expensa interim, vel significatione prolatæ vocis, vel personæ, ad quam oratio spectat, dignitate, vel mea, ipsius vilitate, vel utriusque postremo differentia. Eodem procedendum modo in verbis reliquis. Addendæ quoque orationes supra memoratæ, Ave, Credo, &c.

*Regulæ duæ huc spectantes.*

PRior: ut finita iuxta hunc orandi modum precatione Dominica sumatur aliis diebus vel horis, Angelica Salutatio, simili respirationum intervallo tra-

tractanda, cum aliis orationibus, usitato more recitandis.

POsterior: ut, qui hunc orandi modum exercere cupitdiutus,ad eū applicet precationes omnes supradictas, aut earum partes & paria anhelituum, ac vocum interstitia observet.

## VITAE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI MYSTERIA.

NOtandum est primitus, omnia sequentium mysteriorum verba, quæ includuntur parenthesi, ex ipsis Evangeliis deprompta esse, non item cætera. Ad hæc, in unoquoque mysterio, semper aut fere, poni puncta tria, ut expeditior sit contemplatio, quo est distinctior.

*De Annuntiata B. Mariæ Virgini Christi incarnatione, de qua Lucæ primo.*

PRimo: quomodo Angelus Gabriel, Beatam Virginem salutans, divini Verbi conceptionem ei nunciavit( IngressusAngelus ad eam dixitAve gratia plena &c. Ecce concipies in utero, & paries filium &c. )

Secundo: confirmat Angelus id, quod prædixerat, adducto exemplo de Sancti Ioannis Baptistæ conceptione admiranda ( Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senecture sua, &c.

Tertio: respondit Angelo Virgo sancta ( Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. )

*De Maria Elisabeth cognatam suam visitante, ut habetur Lucæ primo.*

PRimo: quomodo invisit Maria Elisabeth, ac S. Joannes in utero existens sensit Mariæ salutationem, & gestiit ( ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero eius, & repleta est

ta eſt ſpiritu ſancto Eliſabeth, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. )

Secundo: Beata Virgo in hoc canticum præ lætitia prorupit (Magnificat anima mea Dominũ &c.)

Tertio (manſit autem Maria cùm illa quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam. )

*De Chriſti nativitate. Luc. Secundo.*

PRimo: Beata Maria cùm Joſeph ſponſo ſuo è Nazareth proficiſcitur Bethlehem, ( Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa, &c. In Bethlehem, &c. ut profiteretur cùm Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. )

Secundo: peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit & reclinavit eũ in præſepio.)

Tertio: eo tempore ( facta eſt cùm Angelo multitudo militiæ coeleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in Altiſſimis Deo &c. )

*De Paſtoribus, Luc. Secundo.*

PRimo: Paſtoribus revelatur Chriſti nativitas per Angelum ( Evangelizo vobis gaudium magnum, &c. Quia natus eſt vobis hodie Salvator, &c. )

Secundò: Paſtores properant in Bethlehem ( Et venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. )

Tertio: ( & reverſi ſunt Paſtores glorificantes & laudantes Deum &c. )

*De Circumciſione, Ibidem.*

PRimo: circumciſus eſt Puer.

Secundo: ( vocatum eſt nomen eius Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. )

Tertio: redditus eſt Matri ſuæ Puer, quæ illi compatiebatur de ſanguinis viſa effuſione.

*De tribus Magis Regibus, Matth. Secundo.*

PRimo: tres Magi Reges ad puerum Jeſum adorandum venerunt, ſtella duce, ita atteſtantes: ( Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. )

Secundo ( procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis, obtuletnnt ei munera aurum, thus, & myrrham. )

Tertio: ( reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. )

*De Purificatione B. Virginis, & Pueri Jeſu præſentatione. Luc. ſecundo.*

PRimo: Detulerunt puerum in templum, ut præſentarent Eum Deo, tanquam primogenitum, offerentes pro eo conſvetum munus ( par turturum, aut duos pullos columbarum. )

Secundo: Simeon veniens eadem hora in templum ( accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine &c. )

Tertio: Anna ( ſuperveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël. )

*De Fuga in Ægyptum, Matth: ſecundo.*

PRimo: volens Herodes Puerum Jeſum interficere, occidi fecit innocentes, præmonito Ioſeph per Angelum, ut in Ægyptum perfugeret, ( Surge & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. )

Secundo: iter corripuit Ioſeph Ægyptum verſus ( qui conſurgens nocte & cæt. ſeceſſit in Ægyptum. )

Tertio: (& erat ibi, uſque ad obitum Herodis. )

*De Reditu ab Ægypto. Matth. ſecundo.*

Pri-

PRimo: admonetur Ioſeph ab Angelo, ut in terram Iſraël revertatur. ( Surge & accipe Puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſraël. )

Secundo: ( Qui conſurgens &c. venit in terram Iſraël. )

Tertio: Eo quod regnabat Archelaus filius Herodis in Iudæa, receſſit in Nazareth.

*De Vita Domini ab anno ætatis ſuæ duodecimo, uſque ad trigeſimum. Luc. ſecundo.*

PRimo: quomodo ſubditus erat, & obediens parentibus.

Secundo: ( Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, &c. )

Tertio: videtur fabrilem artem exercuiſſe, cùm dicat Sanctus Marcus cap. ſexto: ( Nonne hic eſt faber? )

*De Aſcenſu in templum anno duodecimo. Luc. ſecundo.*

PRimo: natus Jeſus annos duodecim, è Nazareth profectus eſt Hieroſolymam.

Secundo: remanſit illic neſciis parentibus.

Tertio: poſt triduum invenerunt eum in templo, ſedentem inter doctores: & ipſe illic cauſam moræ percontantibus reſpondit: ( Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? )

*De Baptiſmo eius. Matth. 3.*

PRimo: Matri valedicens, è Nazareth ad Iordanis flumen ſe contulit, ubi tunc Ioannes baptizabat.

Secundo: baptizatus eſt à Ioanne, excuſante ſe primum de indignitate, ſed compulſo his verbis: ( Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. )

Tertio: deſcendit Spiritus S. ſuper eum, & vox de coelo ſic atteſtans ( hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. )

*De Tentatione Christi. Luc. 4. & Matth. 4.*

PRimo: post baptismum secessit in desertum Christus, & ibi per dies quadraginta & totidem noctes ieiunavit.

Secundo: ter ab inimico tentatus est ( accedens tentator dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. )

Tertio: (Angeli accesserunt, & ministrabant ei. )

*De Apostolorum vocatione.*

PRimo: videntur sancti, Petrus, & Andreas, fuisse ter vocati. Primum ad solam quandam Christi notitiam, Ioannis 1. Deinde ad sequelam solum temporaneam, cùm animo revertendi ad piscationem, Luc. quinto. Vltimo, ad perpetuam sequelam. Matth. 4. & Marc. 1.

Secundo: vocavit filios Zebedæi Matt. 4. Et Philippum, Ioan. 1. & Matthæum Mat. 9.

Tertio: vocati sunt reliqui, licet de quorundam vocatione, & de ordine vocationum, expressè mentio non fiat in Evangelio.

TRia hic expendenda sunt: Primum: quomodo erant Apostoli abiectæ conditionis.

Secundo: ad quantam fuerint dignitatem, & quam suaviter vocati.

Tertio: quibus gratiæ donis, supra omnes veteris testamenti Patres, novique Sanctos evecti sint.

*De primo Christi miraculo facto in nuptiis Ioan. 2.*

PRimo: Invitatus fuit Christus cùm discipulis suis ad nuptias.

Secundo: deficere vinum Mater commonuit. ( Vinum non habent ) Et ministris dixit ( Quodcunque dixerit vobis, facite. )

Tertio: aquam in vinum Dominus convertit (Et manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum disci-

discipuli eius. )

*De fugatis è templo negotiatoribus prima vice. Ioan. 2.*

PRimo: eiecit de templo vendentes illic & ementes, ex facto funiculis flagello.

Secundo: ( nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit. )

Tertio: vendentibus columbas mansvete inquit: ( auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. )

*De Sermone Christi, habito in monte Matth. 5.*

PRimo: ad dilectos suos discipulos, octo Christus beatitudinis genera exposuit. Beati pauperes Spiritu: Mites: Qui lugent Qui: esuriunt, & sitiunt iustitiam: Misericordes: Mundo corde: Pacifici: Qui persecutionem patiuntur.

Secundo: eos exhortatur, ut acceptis donis seu talentis, utantur recte. ( Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. )

Tertio: ostendit non solvere se legem sed implere, explicatis præceptis de vitando homicidio, furto, fornicatione, periurio. Et de diligendis quoque inimicis, ( Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.

*De sedata Maris tempestate. Matth. 8.*

PRimo: dormiente Christo coorta est in mari vehemens tempestas.

Secundo: excitarunt à somno eum territi discipuli, quos de fidei levitate arguit ( Quid timidi estis modicæ fidei. )

Tertio: ventis & mari præcepit, ut conquiescerent, & facta est statim tranquillitas: unde obstupentes homines dicebant ( Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? )

*De Ambulatione super aquas. Matth. 14.*

PRimo: cùm in monte adhuc esset Christus, discipulis in naviculam abire iussis, & (dimissa turba, ascendit in montem solus orare.)

Secundo: cùm agitaretur noctu navicula eo ipse venit, ambulans super aquas, unde perterrefacti discipuli, phantasma esse iudicabant.

Tertio: postquam dixerat ad eos (ego sum, nolite timere) sanctus Petrus accedendi petiit facultatem, & gradiendo super aquas, ob subortum metum mergi coepit, quem increpans Dominus de modica fide, naviculã intravit, & cessavit ventus.

*De Missis ad prædicandum Apostolis. Matth. Decimo.*

PRimo: Discipulis Iesus convocatis, dedit potestatem eiiciendi dæmonia ex hominibus, & omne morborum genus sanandi.

Secundo: prudentiam eos docuit, & patientiam. (Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.)

Tertio: profectionis exponit modum (gratis accepistis, gratis date, nolite possidere aurum neque argentum. Ad hæc materiam prædicationis expressit (Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum coelorum.

*De conversione Magdalenæ, Luc. Septimo.*

PRimo: Christo accumbente mensæ in Pharisæi domo, ingressa est mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix (sive Maria Magdalena, soror Marthæ fuerit, sive alia) deferens alabastrinum vas, unguento plenum.

Secundo: stans retro coepit pedes eius rigare lachrymis, & capillis suis abstergere, deosculari & ungere.

Tertio: criminatam eam à Pharisæo defendit Christus, & ad ipsum ait (Remittuntur ei peccata

cata multa, quoniam dilexit multum ( & ad ipſam deinceps ) Fides tua te ſalvâ fecit, vade in pace.)

*De quinque millium hominum refectione. Matth. 14.*

PRimo: rogabant Ieſum diſcipuli, ut dimitteret aſtantes turbas.

Secundo: ipſe afferri iuſſit, quos habebant panes, eoſque præmiſſa benedictione frangens, diſcipulis porrexit, turbis hominum diſcumbere iuſſis, apponendos.

Tertio comederunt, & ſaturati ſunt, & ſuperaverunt cophini xii.

*De transfiguratione Chriſti, Matth. 17.*

PRimo: aſſumptis Ieſus cariſſimis tribus diſcipulis, Petro, Ioanne, & Iacobo, ( tranſfiguratus eſt ante eos, reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix. )

Secundo: loquebatur cùm Moyſe & Helia.

Tertio: rogante Petro, ut fierent ibi tria tabernacula, inſonuit vox de coelo ( Hic eſt Filius meus dilectus &c. ipſum audite ) Vnde conſternati diſcipuli, proni collapſi ſunt, quos tangendo Chriſtus, dixit. ( Surgite & nolite timere &c. nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. )

*De Lazari ſuſitatione. Ioan. 11.*

PRimo: Audito Chriſtus nuntio de Lazari ægrotatione, per biduum ſubſiſtit, ut evidentius foret miraculum.

Secundo: antequam ſuſcitet mortuum, utriuſque ſororis fidem exſtimulat. ( Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet. )

Tertio: collachrymatus, ac precatus prius, ſuſcitavit illum: fuit autem, quo uſus eſt, ſuſcitandi modus per mandatum, ( Lazare veni foras. )

De

*De cœna apud Bethaniam. Matth. 26.*

PRimo: cœnabat Christus in domo Simonis leprosi, & pariter Lazarus.

Secundo: effudit Maria unguentum super caput eius.

Tertio: obmurmurat Iudas ( ut quid perditio hæc? ) Denuo vero excusat Christus Magdalenam ( Quid molesti estis huic mulieri: opus enim bonum operata est in me. )

*De die Palmarum. Matth. 21.*

PRimo: præcepit Dominus adduci asinam, & pullum ( Solvite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. )

Secundo: asinam conscendit, Apostolorum vestibus instratam.

Tertio: Excepturus eum populus, cum veniret obviam, vestimentis suis & ramis arborũ sternebat viam, & canebat. ( Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis. )

*De Prædicatione in templo. Luc. 19.*

PRimo docebat quotidie in templo.

Secundo: finita prædicatione in Bethaniam redibat, nemine apud Hierosolymam ipsum excipiente.

*De cœna ultima. Matth. 26. & Ioan. 13.*

PRimo: comedit cum discipulis paschalem Agnũ, eosque de imminente sua morte præmonuit: ( Amen dico vobis, quia unus vestrũ me traditurus est. )

Secundo: lavit eorum, Iudæ quoque ipsius pedes, incipiens à Petro, qui ad maiestatem Christi, & indignitatem suam respiciens, se se opponebat. ( Domine tu mihi lavas pedes? ) Ignarus scilicet præberi à Domino exemplum humilitatis, ita postea declarante: ( Exemplum enim dedi vobis, ut, que-

quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. )

Tertio: Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, in signum summæ dilectionis, his verbis utens: ( Accipite & comedite &c. ) Expleta autem coena, Iudas ad vendendum illum egressus est.

*De Mysteriis post cœnam & in horto gestis Matth. 26. & Marc. 14.*

PRimo: peracta coena, & hymno dicto, profectus est Christus ad Oliveti montem cùm discipulis suis undecim, metu plenis: & octo remanere iussit Gethsemani. ( Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. )

Secundo: ductis secum tribus, Petro, Iacobo, & Ioanne, oravit ter dicens, ( Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verùntamem non sicut ego volo, sed sicut tu. ) Et in agonia existens prolixius orabat.

Tertio: cùm eo timoris redigi se passus fuisset, ut diceret: ( Tristis est anima mea usque ad mortem, ( Etiam sanguinem sudavit copiosum teste Luca. ( Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ) Vnde conijcere licet, vestimenta eius iam tum fuisse madefecta cruore.

*De Comprehensione Christi, & traductione ad Annæ domum. Matth. 26. Luc. 22. & Marc. 14 Ioan. 18.*

PRimo: permisit se Dominus osculo à Iuda tradi, & quasi latronem comprehendi ( tanquam ad latronem existis cùm gladiis ac fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis ) Ipsoque interrogante ( Quem quæritis? ) corruerunt in terram inimici omnes.

Secundo: servum Pontificis percutienti Petro ait, ( Mitte gladium tuum in vaginam ) & sanavit servum.

Ter-

Tertio: captus & à diſcipulis relictus, ad Annæ domum pertrahitur, ubi à Petro paulo poſt ſecuto ſemel negatus eſt, & alapam accepit à miniſtro quodam obiicente: ( ſic reſpondes Pontifici? )

*De Geſtis poſtea in Domo Caiphæ. Matth. 26.*

PRimo: adducitur ligatus Chriſtus ab Anna in domum Caiphæ, ubi Petrus rurſum eum bis negavit, atque reſpiciente ipſum Domino ( egreſſus foras flevit amare. )

Secundo: permanſit ligatus tota illa nocte.

Tertio: circumſtantes eum ſatellites illudebant, vexabant, & velata facie colaphis cædebant, interrogantes. ( Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit? ) ac modis aliis blaſphemabant.

*De Chriſti Apud Pilatum accuſatione. Mattg. 26. Luc. 23. Marc. 15. & Ioan. 18.*

PRimo: traducitur deinceps ad Pilatum Chriſtus, & coram eo à Iudæis calumnioſe accuſatur. ( Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari. )

Secundo: eo ſemel atque iterum examinato retulit Pilatus: Ego nullam inuenio in eo cauſam.

Tertio Barabbæ latronis, quam Chriſti Ieſu liberationem, malle ſe Iudæi proclamarunt: non hunc, ſed Barabbam.

*De tranſmiſſo Chriſto ad Herodem. Ibidem. Luc. 23.*

PRimo: tranſmiſit Pilatus Chriſtum ad Herodem, æſtimans quod eſſet Galilæus.

Secundo: Herodi poſcenti curioſa, nihil penitus reſpondit, licet à Iudæis valide accuſaretur.

Tertio: ab Herode cùm ſuo exercitu ſpretus fuit, atque veſte alba indutus.

*De Reverſione ab Herode ad Pilatum. Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. & Ioan. 19.*

PRimo: Chriſtum remiſit ad Pilatum Herodes, & ambo

ambo ea ipsa die cum prius inimici essent, sibi invicem reconciliati sunt.

Secundo: Iesum flagellis cædi iussit Pilatus: milites eundem spinis coronarunt, atque purpura induerunt, deinde irridentes dicebant: Ave Rex Iudæorum et colaphos simul impingebant.

Tertio: exivit ergo Iesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum & Pilatus dicit illis: Ecce homo Pontifices vero conclamabant Crucifige, Crucifige eum.

*De condemnatione & crucifixione Iesu Christi.* Ioan. 19.

PRimo: sedens pro tribunali Pilatus Christum indicavit & tradidit crucifigendum, posteaquam negantes eum Iudæi suum Regem esse, dixerunt: Non habemus Regem nisi Cæsarem.

Secundo: baiulavit Christus crucem suam, donec ob virium defectum, Simon quidam Cyreneus illam post eum ferre conpulsus est.

Tertio: inter duos latrones crucifixus fuit asdripto titulo. IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.

*De mysteriis in Cruce factis. Matt.* 27. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

PRimo: blasphemias pertulit in cruce Vah qui destruis templum Dei &c. descende de cruce. et divisa sunt vestimenta eius.

Secundo: effatus est Dominus in Cruce verba septem. Orans videlicet pro crucifigentibus: Latroni parcens: Matrem & Ioannem, sibi mutuo commendans, Exclamans Sitio Quando aceto eum potaverunt, & deinde se à Patre dicens derelictum, postea Consummatum est ac postremo: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Tertio: Sol obscuratus est, ipso expirante, & petræ scissæ sunt, aperta quoque monumenta, & velum templi à summo ad infimam usque partem scissum, & latus lancea confossum, aquam & sangui-

guinem effudit.

*De mysterio sepulturæ, Ibidem.*

PRimo: De cruce sublatus est mortuus Dominus per Ioseph, atque Nicodemum, in conspectu ipso Matris afflictissimæ.

Secundo: Delatum est ad sepulchrum corpus unctum & inclusum.

Tertio: adhibiti sunt inibi custodes.

*De Christi resurrectione & apparitione prima.*

PRimum: Apparuit Dominus Matri suæ, postquam resurrexit, cùm dicat scriptura, quod apparuit multis. Licet enim nominatim illam non exprimat; id nobis tamen relinquit pro certo, tanquam intellectum habentibus: ne alioqui iure audiamus illud: Adhuc & vos sine intellectu estis?

*De secunda apparitione: Marc. 16.*

PRimo: summo mane ad monumentum profectæ sunt Maria Magdalenæ, Iacobi, & Salome inter se dicentes: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

Secundo: viderunt lapidem revolutum,& Angeli dictum audierunt Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum? Surrexit, non est hic.

Tertio: apparuit Mariæ Magdalenæ, quæ aliis digressis, iuxta sepulchrum restiterat.

*De apparitione tertia. Matth. ultimo.*

PRimo: redibant à monumento mulieres cùm timore simul & gaudio ingenti, ut narrarent discipulis, quicquid de Domini resurrectione intellexerant.

Secundo: apparens eis in via Christus, ait: Avete Et illæ accedentes, ac prostratæ ad pedes eius, ipsum adorarunt.

Tertio. affatus est illas Dominus: Nolite timere. Ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

*De apparitione quarta. Luc. ultimo.*

PRimo: audita Petrus ex mulieribusChristi resurrectione, accurrit ad monumentum.

Secundo: introgressus sola vidit linteamina, quibus fuerat involutum corpus.

Tertio: cogitanti super hisPetro, Christus se ostendit, unde dicebant Apostoli Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.

*De apparitione quinta. Ibidem.*

PRimo: duobus discipulis, deinceps apparuit, cùm irent in Emaus, & de ipso colloquerentur.

Secundo: Redarguit eorum incredulitatem, & mysteria passionis, atque resurrectionis ipsis exposuit. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.

Tertio. rogatus cùm eis mansit, fractoque ipsis pane disparuit, qui subito in Hierusalem reversi, nunciaverunt Apostolis, quomodo vidissent eum, & in fractione panis agnovissent.

*De apparitione sexta. Ioan. 20.*

PRimo: Discipuli omnes præter Thomam, domi congregati erant propter Iudæorum metum.

Secundo. Ingressus ianuis clausis Christus stetit in medio, & dixit eis, pax vobis.

Tertio: Spiritum S. eis dedit, & ait Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.

*De apparitione septima. Ibidem.*

PRimo : S. Thomas, cùm apparitioni prædictæ non interfuisset, protestatus erat: Nisi videro, &c. non credam.

Secundo: Post dies octo iterum clausis ianuis obtulit se videndum Christus, & Thomæ dixit: infer

fer digitum tuum huc, & vide &c. & noli esse incredulus, sed fidelis.

Tertio: Exclamavit Thomas Dominus meus & Deus meus. Cui subintulit Christus: Beati qui non viderunt, & crediderunt.

*De apparitione octava. Ioan. ultimo.*

PRimo: palam se denuo fecit Christus piscantibus septem discipulis, qui, cùm tota nocte nil cepissent, iactum ad mandatum eius rete iam non valebant illud trahere præmultitudine piscium.

Secundo: per id miraculum, agnoscens eum Ioannes. ait Petro: Dominus est qui confestim desiliens in mare, ad Christum accessit.

Tertio: dedit eis, ut comederent panem & piscem. Postea Petro an se diligeret, ter interrogato, suum ovile commendavit pasce oves meas.

*De apparitione nona Marc. ultimo.*

PRimo: ex Domini mandato abeunt discipuli ad montem Thabor.

Secundo: iis apparens ille inquit: Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra.

Tertio: mittens eos ad prædicandum per universum orbem sic mandavit: euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.

*De apparitione decima.* 1. *Cor.* 15.

DEinde visus est plusquam quingentis fratribus simul.

*De apparitione undecima. Ibidem.*

Apparuit deinde Iacobo.

*De apparitione duodecima.*

APparuisse Christum etiam Iosepho ab Arimathia, legitur in hagiographis quibusdam, & verisimile est, atque meditatu pium.

*De apparitione decima tertia.* 1. *Corinth.* 15.

Appa-

APparuit & B. Paulo post Ascensionem. ( Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est & mihi ) inquit ipse. Apparuit etiam Patribus in limbo, quo ad animam, & postquam inde educti sunt.

Denique, resumpto corpore, apparebat passim discipulis, & cùm eis crebro versabatur.

*De Ascensione Christi. Act. 1.*

PRimo: Postquam iam per dies quadraginta multoties se Christus Discipulis suis vivum exhibuisset, ( in multis argumentis &c, loquens eis de regno Dei. ) Misit eos Hierosolymam, ut promissum sibi Spiritum S. illic expectarent.

Secundo: Eduxit eos ad Oliveti montem ( Et videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. )

Tertio: Iisdem in coelum suspicientibus dictum est per duos illos viros in vestibus albis assistentes, quos Angelos fuisse credimus. ( Viri Galilæi, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. )

*Regulæ aliquot, ad motus animæ, quos diversi excitant spiritus, discernendos, ut boni solum admittantur, & pellantur mali.*

ADvertendum est; quod potissimum conveniunt exercitiis primæ hebdomadæ.

PRima regula est: Quod illis, qui facile peccant lethaliter, & peccatum peccato addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes obiicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus vero bonus, è contrario, conscientiam illorum pungit assidue, & per synderesis, rationisque officium à peccando deterret.

SEcunda: Quod aliis hominibus, qui se à vitiis, & peccatis purgandos curant sollicite, & in obsequii divini studio magis ac magis in dies promovent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono, ex opposito, proprium, consvetumque est, recte agentibus, animum ac vires addere, consolari, devotionis lachrymas ciere, illustrare mentem, & tranquillitatem dare sublatis obstaculis omnibus, ut expeditius, alacriusque per opera bona semper ultra tendant.

TErtia: quod spiritualis proprie consolatio, tunc esse noscitur, quando per internam quandam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec iam creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere. Quando etiam lachrymæ funduntur, amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex meditatione passionis Christi, sive alia ex causa qualibet, in Dei cultum, & honorē rectè ordinata. Postremò, consolatio quoq; dici potest, fidei, spei, & charitatis quodlibet augmentum. Item lætitia omnis, quæ animam ad cælestiū rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietē, & pacem cum Domino habendam, solet incitare.

QVarta: quod spiritualis è contra desolatio vocari debet, quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas, seu terrenas, omnis denique inquietudo, & agitatio, sive tentatio trahens in diffidentiam de salute & spem, charitatemque expellens. Vnde se anima tristari, tepescere, ac torpere sentit, & de ipsius Dei Creatoris sui clementia, prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab utraque oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositæ.

Quin

QVinta: quod tempore desolationis nihil deliberandum, aut innovandum est circa propositum animi, aut vitæ statum, sed in eis perseverandum, quæ fuerant prius constituta, puta præcedente die, vel hora consolationis. Quemadmodum enim, dum fruitur quis consolatione illa, quam diximus, non proprio suo, sed boni spiritus instinctu regitur, ita obversante sibi desolatione, agitur à malo spiritu, cuius instigatione nihil unquam recte conficitur.

SExta: quod tametsi desolatione affectus homo priora sua consilia minime debet immutare; expediet tamen provideri, & augeri ea, quæ contra desolationis impulsum tendunt, qualia sunt: insistere orationi. & meditationi, cum discussione sui, ac poenitentiæ aliquid assumere.

SEptima: quod quamdiu premimur desolatione, cogitandum est, nos interim relinqui à Domino nobis ipsis, probationis causa, ut per naturales quoque vires, insultibus inimici nostri obsistamus. Id quod possumus haud dubie, assistente nobis iugiter præsidio divino: licet tunc nequaquam sentiatur, eo, quod fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia, quæ ad bene operandum, & ad consequendam salutem, satis esse queat.

OCtava: quod hominem tentatione pulsatum, mire iuvat patientiæ servandæ studium: ut quæ vexationibus huiusmodi proprie opponitur, & è diametro resistit. Accersenda etiam spes est, & cogitatio, adfuturæ brevi consolationis: si præsertim per sanctos conatus, in sexta regula signatos, desolationis impetus frangatur.

NOna: Quod causæ desolationis tres sunt præcipuæ. Prima: quia propter nostram in spirit

alibus studiis. seu exercitiis tepiditatem, atque acediam, consolatione divina merito privamur.

Secunda: ut probemur quinam simus, & quomodo in Dei servitium, & honorem, absque præsente quodam consolationum, donorumque spiritualium stipendio nosmet impendimus. Tertia: ut certi plene simus nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lachrymarum, aut aliam quā libet internā consolationem sed omnia hæc gratuita esse Dei dona, quæ si vendicemus nobis, ut propria, superbiæ & vanæ gloriæ crimen, non sine salutis gravi periculo incursuri sumus.

DEcima: quod fruenti homini consolatione, prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente: ut iam inde acrimoniam, & robur animi mature comparet, ad impetum eius reprimendum.

VNdecima: ut ille idem, affluente consolatione se ipsum deprimat, ac vilifaciat quantum potest, reputando secum: quam imbellis, quamque ignavus esse apparebit, desolatione impugnante: nisi per gratiæ & consolationis divinæ opem, cito sublevetur. Contra vero ille, quem desolatio molestat, æstimare debet cùm Dei gratia se posse plurimum, facileque adversarios suos omnes devicturum esse, dummodo in Dei virtute collocet spē suam, & animum suum corroboret.

DVodecima: quod hostis noster, naturam & morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium, & animi pervicaciam. Nam sicut foemina cùm viro rixans, si hunc conspexerit, erecto & constanti vultu sibi obsistere, abiicit illico animum, ac terga vertit: sin vero timidum, fugacemque esse animadverterit: in extremam surgit audaciam, &

illum ferociter invadit, itidem consvevit dæmon animo & robore plane destitui, quoties spiritualem athletam, corde imperterrito, ac ardua fronte tentationibus videt reluctari: sin autem trepidet, ad primos impetus sustinendos, & quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram, inimico illo tunc efferatior, acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra, malignæ obstinatæque mentis suæ desiderium adimpleat.

DEcima tertia: quod idem inimicus noster morem insequitur nequissimi cuiuspiam amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicuius probi volens seducere, summopere procurat ut verba, & consilia sua occulta sint, nilque reformidat magis ac ægre fert, quam si puella patri suo, vel uxor marito, illa patefaciat, cum sciat hoc pacto de votis, & conatibus suis actum esse. Ad eundem modum obnixe satagit diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur vero maxime, & gravissime cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini molimina sua detegantur, à quibus ita excidere se funditus intelligit.

DEcima quarta: quod solet etiam adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare, atque deprædari cupiens, explorata prius natura, & munitione loci debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum & ille circuit animam, & callide inquirit, quarumnam virtutum præsidiis, moralium scilicet, aut theologicarum, ipsa vel munita, vel destituta sit: eaque potissimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus cæteris firmatam, custoditamque esse præviderit.

*Regulæ aliæ utiles ad pleniorem spirituum discretionem, & secundæ hebdomadæ potissimum convenientes.*

PRima est: quod proprium est Dei, & Angeli cuiusque boni, veram infundere spiritualem lætitiam animæ, quam movent, sublata tristitia, & perturbatione omni, quam ingessit dæmon, cùm hic é contrario, sophisticis argumentis quibusdam, veri speciem præ se ferentibus, lætitiam illam in anima repertam, oppugnare soleat.

SEcunda: solius est Dei, consolari animam, nulla præcedente consolationis causa, cùm sit hoc proprium Creatoris, suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere, trahere, & mutare. Causam vero præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quicquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.

TErtia: quoties præcessit consolationis causa, auctor eius potest existere tam malus Angelus, quam bonus, sed ad fines tendunt contrarios, bonus quidem, ut anima in boni cognitione, & operatione magis proficiat, malus autem, ut male agat illa, & pereat.

QVarta: id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans se se, cognitis piis animæ votis, primum obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio, bonas sanctasque hominis cogitationes sequi, & fovere, at deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

QVinta: sedulo & accurate excutiendæ sunt cogitationes nostræ, circa principium, medium & finem suum, quæ tria si recte se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis: sin autem per discursum mentis, aliquid offertur

tur vel ſequitur, quod ex ſe malum ſit, vel avocet à bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima, prius quærendo ſequi decreviſſet, vel animam ipſam defatiget, angat, ac perturbet, ſublata quæ prius aderat, quiete, pace, & tranquillitate, evidens tunc erit indicium, auctorem eſſe cogitationis eiuſmodi, ſpiritum malignum, utpote utilitati & ſaluti noſtræ ſemper adverſantem.

SExta: quoties contingit in aliqua ſuggeſtione deprehendi hoſtem ex cauda ſua ſerpentina, id eſt ſine malo, quem ſemper nobis inſinuare ſtudet, tunc plurimum iuvat, revolvere diſcurſum totum, & notare, quid ab initio prætexuerit bonæ cogitationis, & quomodo præcedentem ſpiritualis guſtus ſvavitatem, animi ſerenitatem, ſenſim amovere, ac venenum ſuum infundere tentarit, ut per huiuſmodi experimentum cognitæ illius fraudes, facilius deinceps caveantur.

SEptima: eorum, qui promovent in bono ſalutis, animis ſe inſinuat uterque ſpiritus diverſo modo, bonus quidem leniter, placide, ac ſvaviter, ſicut aquæ ſtilla in ſpongiam illabens, malus vero duriter, implacide, & violenter, cùm ſtrepitu quodam, ſicut imber decidens in petram, illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppoſitum prorſus uſu venit. Cuius ſane diverſitatis ratio eſt, quatenus Angelo utrilibet ſimilis eſt, vel diſſimilis animæ ipſius diſpoſitio. Si enim contrariam ſibi eam alteruter ſpiritus invenerit, cum ſtrepitu & pulſu, qui facile adverti queat, ei ſe coniungit. Si conformem vero tanquam in propriam & apertam domum ſubit cùm quiete.

OCtava: quoties ſine prævia ulla cauſa conſolatio nobis adeſt, quamvis ei, tanquam divinitus immiſſæ, ut ſupra dictum eſt nihil fallaciæ ſub-

esse possit, debemus tamen attente, ac sollicite distinguere præsens consolationis tempus à proximo sequente, in quo anima servit adhuc, & favoris divini nuper accepti sentit reliquias. Nam posteriore hoc tempore, frequenter accidit, ut vel ex habitu, discursu, & iudicio proprio, vel ex boni aut mali spiritus instinctu, aliqua sentiamus, vel deliberemus, quæ cùm ab ipso Deo, citra medium non emanent, solerti indigent discussione, priusquam recipiant assensum, vel in opus veniant.

*Regulæ nonnullæ, in distribuendis eleemosynis seruandæ.*

PRima: si quid erogare libeat in homines genere, vel amicitia coniunctos, erga quos sentitur proclivior affectus, attendendæ erunt regulæ quatuor, quas ex parte circa electiones commemoravimus. Earum itaque prima hæc est, ut affectus erga tales meus, recta proveniat ex amore Dei, quem certe amorem debeo sentire in me, ut radicem esse & causam cuiuscunque meæ affectionis, erga cognatos, & amicos omnes, ac operam dare, ut in hoc præsenti negotio, præcipua ea ratio elucescat.

SEcunda: ut considerem, si quis alter, cui parem mecum statum, seu perfectionis gradum optem, me consulat super negotio istiusmodi, quam ego illi erogationis faciendæ, dictaturus sim rationem. Hac igitur & me uti par est.

TErtia: ut cogitem, si mihi, vitæ nunc exitus instaret, quid in hac re egisse vellem potissimùm. Ita ergo agendum in præsentia decernam.

QVarta: ut prospiciam similiter, quid mallem in die iudicii à me fuisse super his transactum: id quod & nunc citra dubium præeligam.

QVinta: ut quoties ad personas, mihi humano aliquo vinculo coniunctas, affectum meum sentio magis inclinare, regulas quatuor prædictas se-

dulo expendam, & iuxta eas examinem affectum: nihil de eleemosyna, seu distributione facienda cogitans, donec ab animo, si quid non rectum inest, removero.

SExta: quamuis facultates divino cultui, & usui ecclesiastico dicatæ citra culpam assumi possint distribuendæ ab eo, qui ad hoc ministerium sit vocatus: cùm tamen plurimis, in determinanda propriis suis sumptibus iusta portione, soleat, de excessu scrupulus incidere, operæ pretium est iuxta regulas superiores, vitæ suæ statum recte disponere.

SEptima: propter rationes dictas, & alias plerasque in administrandis iis, quæ ad propriam personam, conditionem domum aut familiam pertinent: optimum ac securissimum est unicuique, distributionis curam subeunti, ut suæ subtrahat commoditati quantum potest, ac seipsum proxime conformet ad exemplar Domini nostri IESU CHRISTI summi Pontificis: quandoquidem in tertio etiam Carthaginensi Concilio, in quo interfuit S. Augustinus, decretum fuit supellectilem Episcopi, vilem ac pauperem debere esse. Hoc idem in quolibet statu seu vitae genere provideri convenit, habita interim ratione personarum, & statuum ipsorum, sicut in matrimonio exemplum præbent S. Ioachimus & S. Anna, qui divisis per annos singulos facultatibus suis in tres partes, pauperibus unam erogabant, alteram dicabant in templi, & divini cultus ministerium, & tertiam postremo necessitati suæ reservabant.

*Quædam notatu digna de scrupulis, quos animæ dæmon iniicit, dignoscendis.*

PRimum: vulgo scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrii motu & iudicio, aliquid

quid concludimus peccatum esse, cùm peccatum non sit, veluti si quis animadvertens se crucem, ex paleis humi figuratam, in transitu calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autem non scrupulus proprie, sed iudicium potius erroneum vocari debet.

SEcundum: scrupulus proprie dicendus est, quoties post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinsecus, peccati admissi suspicio. Et quamvis altera ex parte veniat in mentem, nos minime peccasse; ambiguitatem tamen quandam, atque animi perturbationem sentimus, à dæmone videlicet obtrusam.

TErtium: prior scrupuli species, improprie sic dicti, prorsus abhorrenda est, ut erroris plena. Posterior vero, per tempus aliquod ( dum præsertim recens est vitæ melioris institutio ) animam rebus spiritualibus vacantem, non parum iuvat, cùm eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducat, iuxta illud D. Gregorii: Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.

QVartum: callide observare solet inimicus, qualis nam sit animæ cuiusvis conscientia, crassiorne, an delicatior. Et si quam invenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, & in extremum quendam redigere anxietatis gradum, ut sic misere turbatam, à profectu spirituali tandem deiiciat. Puta si animam noverit, quæ peccato nulli consentiat, mortali, sive veniali, immo ne umbram quidem ( ut sic dicamus ) voluntarii peccati sustinere queat, tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obiicere, eo satagit adducere, ut peccatum sibi esse credat, quod revera non est, cuiusmodi est, de verbo aliquo, vel cogita-

gita-

gitatiuncula repentina. Crassam è diverso animam seu conscientiam, reddere crassiorem studet, ut quæ negligebat prius venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minus respiciat.

QVintum: ut anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contra, si dæmon nimium velit restringere. sic enim continget, vitatis extremæ utriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto, & securo statu, iugiter manere.

SExta: quotiescunque homini, dicere, aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiæ usu, vel maiorum nostrorum sensu non dissonat, quodque tendit in Dei gloriam, obviat extrinsecus suggestio dissuadens, ne dicat, aut agat illud propositum, adducta vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cuiusvis fucata quadam ratione: tunc ad Deum elevanda mens est: sique appareat, ad eius gloriam spectare dictum, aut factum eiusmodi, vel certe contrarium non esse, tendendum recta erit adversus talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum divo Bernardo: Nec propter te coepi, nec propter te finiam.

*Regulæ aliquot servandæ, ut cum orthodoxa Ecclesia vere sentiamus.*

PRima. sublato proprio omni iudicio, tenendus est semper paratus promptusque animus ad obediendum veræ Christi sponsæ, ac sanctæ Matri nostræ, quæ est orthodoxa, catholica, & Hierarhica Ecclesia.

SEcunda: laudare convenit solitam fieri sacerdoti confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sacræ sum-

ſumptionem, annuam ut minimum, cùm ſit lauda-bilius, octava quoque die, aut ſemel ſaltem in menſe quolibet, ſervatis interim conditionibus debitis, Sacramentum ipſum ſuſcipere.

TErtia: commendare Chriſti fidelibus, ut frequenter, ac devote Miſſæ ſacrum, ſeu ſacrificium audiant. Item cantus Eccleſiaſticos, pſalmos, & prolixas preces in templis, vel extra templa recitandas: tempora etiam probare, determinata officiis divinis, & precationibus quibuſcunque, ut ſunt, quas vocamus horas canonicas.

QVarta: laudare plurimum religionum ſtatus, atque coelibatum, ſeu virginitatem matrimonio præferre.

QVinta: comprobare vota Religioſorum de ſervanda caſtitate, paupertate, obedientiaque perpetua, cùm aliis perfectionis, & ſupererogationis operibus. Vbi obiter notandum eſt, quod cùm voti ratio ad ea pertineat, quæ ad perfectionem ducunt vitæ Chriſtianæ: de aliis, quæ ab ipſa perfectione potius avertunt, ut de negotiatione, vel matrimonio, votum nunquam emittendum ſit.

SExta: laudare præterea reliquias, venerationem, & invocationem Sanctorum. Item ſtationes, peregrinationeſque pias, indulgentias, iubilæa, candelas in templis accendi ſolitas, & reliqua huiuſmodi pietatis, ac devotionis noſtræ adminicula.

SEptima: extollere abſtinentiæ ac ieiuniorum uſum, ut quadrageſimæ, quatuor temporum, vigiliarum, ſextæ feriæ, ſabbati, aliorumque pro devotione ſuſceptorum, item ſpontaneas afflictiones ſui, quas poenitentias dicimus, non internas ſolum, ſed etiam externas.

OCtava: laudare inſuper templorum extructiones,

nes, atque ornamenta, nec non imagines, tanquam propterid, quod repræsentant, iure optimo venerandas.

NOna: confirmare maxime omnia Ecclesiæ præcepta: nec impugnare ullo modo: sed contra impugnantes quæsitis undique rationibus prompte defendere.

DEcima: Patrum etiam, seu superiorum decreta, mandata, traditionas, ritus, & mores studiose probare. Licet autem non reperiatur ubique ea, quæ deberet esse, morum integritas: si quis tamen, vel in publica concione, vel in populari commercio, ipsis obloqnitur, generat potius damna & scandala, quam aliquid afferat remedii, aut utilitatis, cùm nihil aliud sequatur, nisi exasperatio, & obtrectatio populi adversus Principes, ac Pastores suos. Temperandnm est igitur ab isto invectivarum genere. Verumtamen, sicut damnosum est, primates ipsos absentes, apud populum allatrare, atque proscindere: ita rursus privatim admonere eos, qui si velint, mederi huic malo possunt, operæ pretium videtur fore.

VNdecima: Doctrinam sacram plurimi facere, tum eam, quæ Positiva dici solet, tum, quæ Scholastica. Sicut enim sanctis Doctoribus antiquis Hieronymo, Augustino, Gregorio, & consimilibus, scopus fuit, ad amorem, & cultum Dei amplectendum, animos movere ita peculiare est B. Thomæ, Bonaventuræ, Magistro sententiarum, & aliis recentioribus Theologis, dogmata ad salutem necessaria exactius tradere, atque definire, prout convenit suis temporibus, & posteris, ad errores hæresum confutandos: Siquidem Doctores huiusmodi, ut sunt, tempore posteriores non solum scriptu-

pturæ ſacræ intelligentia præditi ſunt, & veterum auctorũ iuvantur ſcripis: ſed etiã, cũ influxu luminis, Conciliorum ſanctionibus, decretis, & variis Eccleſiæ ſanctæ conſtitutionibus, ad ſalutis noſtræ ſubſidium, feliciter utuntur.

DVodecima: culpabilis eſt, ac vitanda hominum, qui adhuc in terris vivunt, r quantnmvis laudabilium, comparatio, cùm ſanctis & beatis, dicendo: Iſte eſt doctior ſancto Auguſtino: Ille eſt alter S. Franciſcus, æqualis eſt Paulo ſanctitate, aut aliqua virtute non eſt inferior. &c.

DEcima tertia: denique ut ipſi Eccleſiæ Catholicæ omnino unanimes, conformeſque ſimus, ſi quid, quod oculis noſtris apparet album, nigrum illa eſſe definierit, debemus itidem, quod nigrum ſit, pronunciare. Indubitate namque credendum eſt, eumdem eſſe Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ orthodoxæ, Sponſæ eius, ſpiritum, per quem gubernamur, ac dirigimuar ad ſalutem, neque alium eſſe Deum, qui olim tradidit decalogi præcepta, & qui nunc temporis, Eccleſiam Hierarchicam inſtruit, atque regit.

DEcima quarta: advertendum quoque eſt, quanquam veriſſimum ſit, nemini contingere ſalutem, niſi prædeſtinato, circumſpecte tamen ſuper hoc loquendum eſſe: ne forte gratiam ſeu prædeſtinationem Dei nimis extendentes, liberi arbitrii vires, & operum bonorum merita excludere velle videamur: vel è converſo, ne plus æquo hiſce tribuentes, illis interim derogemus.

DEcima quinta: Similem ob cauſam, frequens de prædeſtinatione ſermo habendus non eſt:[a] ſique incidat nonnunquam, ita temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occaſio errori, ac dicendi, ſi de ſalute mea, vel damnatione iam definitũ

eſt,

est, sive male, sive bene agam, aliter evenire non potest: unde solent multi opera bona negligere, & alia subsidia salutis.

DEcima sexta: accidit etiam non raro, ut ex immodica fidei prædicatione, & laude, adiecta distinctione, aut explicatione nulla, ansam arripiat populus, torpescendi circa bona quælibet opera: quæ fidem præeunt, aut sequuntur charitatis nexu efformatam.

DEcima septima: neque itidem, prædicandæ, & inculcandæ gratiæ Dei usque adeo insistendum fuerit, ut serpere inde possit auditorum animis læthalis error, negata liberi arbitrii nostri facultate. De gratia ergo ipsa diffuse quidem loqui fas est, Deo aspirante, sed quatenus in gloriam eius uberiorem redundat, idque juxta modum convenientem, nostris præsertim temporibus, tam periculosis: ne & liberi arbitrii usus, & operum bonorum efficacia tollatur.

DEcima octava: quamvis summe laudabile sit atque utile ex dilectione pura inservire Deo, nihilominus tamen valde commendandus est maiestatis divinæ timor. Neque porro is timor solum, quem filialem appellamus, qui pius est, ac sanctus maxime: verum etiam alter, servilis dictus. Quippe qui homini utilis est admodum, & sæpenumero necessarius, ut à mortali peccato, quando incidere contingit, resurgere prompte studeamus, à quo dum erimus immunes, atque alieni, facilius patebit ascensus ad timorem illum filialem Deo penitus acceptum, qui nobis cùm ipso Deo unionem amoris præstat, & conservat.

*Quæ ab aliis impressis Exercitiorum exemplis variant, ex utroque nostro exemplari manuscripto: In Misteriis autem vitæ Christi, etiam ex editione vulgata, emendata sunt.*

LOCA.

# LOCA QVÆ EX DILIGENTI cum Hispanico autographo collatione adnotata sunt in hac postrema editione.

*EA Patrum deputatio, quæ in V. Generali Congregatione pro recognoscendo Directorio exercitiorum instituta fuit, illud in primis proposuit, ut antequam liber exercitiorum denuo imprimeretur, cum Hispanico autographo, qui Romæ servatur, diligenter conferretur, non ut nova quædam versio fieret, sed ut loca quædam accommodarentur, quæ in vulgata Latina editione subobscura videbantur. Quod cum R. P. N. fieri mandasset, facta diligenti collatione, compertum est, Latinam editionem in paucis ab autographo discrepare. Iis igitur prætermissis, quæ parvi momenti esse videbantur, ea tantum loca adnotari placuit, in quibus sensus subobscurus censebatur, vel certe clarior hac nova versione reddi poterat, quæ omnia cum essent à R. P. N. cum Patribus Assistentibus diligenter examinata, ne vulgata editio ob reverentiam, quæ illi merito debetur, mutari videretur, satius visum est, si in fine exercitiorum loca omnia quæ sunt adnotata, ponerentur stellulis quibusdam signata, quæ locis, in quibus facta est mutatio, responderent, ut facilius, quæ in postrema hac editione fuerunt accommodata, reperiri à quolibet possent. Hic autem labor, ut speramus, maiorem quandam lucem afferet iis, qui exercitia tractant, omnibusque Societatis nostræ hominibus, qui exercitiorum usum habere debent frequentissimum, non erit iniucundus. Romæ 25. Junii M.D.XCVJ.*

Mandato R.P.N. Generalis.
*Iacobus Dominicus*
*Secretarius.*

*In annotationibus viginti, quæ sunt in principio Exercitiorum.*

*Pag.*

PAg. 173. *Annotatione quarta infine. ubi dicitur*, Expedit nonnumquam ſuccidi heddomadam. *ſenſus erit clarior ſi legatur.* Contrahi hebdomadam.

*Pag.* 174 *Annotatione octava ubi dicitur.* In prioribus duabus hebdomadis: *Lege.* Pro prioribus duabus hebdomadis.

*Pag.* 175. *Annotatione decima in fine ubi habetur.* Atque per exercitia primæ hebdomadæ comprehenditur. *Lege.* Atque exercitiis primæ hebdomadæ reſpondet,

*Pag.* 177. *Annotatio decimaſeptima ita poni debet.* Decima ſeptima. Perutile eſt, ut qui tradit exercitia, quamuis inquirere, ac ſcire non intendat proprias alterius cogitationes, & peccata; certior tamen fideliter fiat de variis agitationibus, & cogitationibus, quas varii ſpiritus immittunt. Perſpecto enim maiori, aut minori eius profectu, nonnulla ſpiritualia exercitia præſcribere illi poteſt præſenti animæ neceſſitati opportuna.

*In Fundamento.*

PAg. 180. *ubi dicitur.* ( Prout libertati arbitrii noſtri ſubiectæ ſunt, & non prohibitæ ) *clarius ex autographo dicatur:* prout libertati arbitrii noſtri permiſſum eſt, & non prohibitum.

*Pag. eadem, Circa finem fundamenti, ubi habetur:* Sed conſentaneum eſt ex omnibus ea demum, quæ ad finem, ducunt eligere, ac deſiderare. *dicatur.* Sed conſentaneum eſt ex omnibus ea demum, quæ ad finem, cuius gratia conditi ſumus, nos ducunt, eligere, ac deſiderare.

*In quinto exercitio primæ hebdomadæ.*

PAg. 194. *In primo puncto.* Et animas igneis quibuſdam corporibus velut ergaſtulis incluſas, *dicatur.* Et animas velut igneis quibuſdam corporibus tanquam ergaſtulis incluſas.

PAg. 195. *In prima Additione. ubi dicitur.* Cogitem de hora, qua ſurgendum mihi erit, & de exercitio faciendo *Ex autographo dicatur.* Cogitem de hora, qua ſurgendum mihi erit, exercitii faciendi puncta breviter animo retractans.

*In Meditatione ſecundæ diei in ſecunda hebdomada.*

PAg. 203. *In primo puncto.* Inter quos me adeſſe fingam, tanquam pauperculum, eorum utcunque neceſſitatibus &c. *addatur ex autographo.* Inter quos me adeſſe fingam, tanquam pauperculum, & ſervulum indignum, eos ſpectantem, contemplantem, & eorum neceſſitatibus cum reverentia maxima famulantem.

*In quinta Contemplatione.*

PAg. 204. *In tertio puncto.* Dulcedo animæ divinis donis. &c. *Legatur.* Dulcedo, divinitatis, animæ, eiuſque virtutum, ac cæterorum omnium iuxta rationem, &c.

*In quinque notandis.*

PAg. 205. *In tertio.* Superaddita circa veſperas una repetitione, & ſenſuum applicatione ante coenam *ex autographo.* Superaddita circa veſperas una repetitione, & poſtea ſenſuum applicatione ante coenam.

*In Secunda die.*

PAg. 206. Et fuga in Ægyptum, *Additur ex autographo.* Et fuga eiuſdam veluti exulantis in Ægyptum.

*Im Præludio poſt contemplationem tertiæ diei.*

PAg. 207. *Quod ibi dicitur de diſtinctione duplicis ſtatus, clarius ita ponetur ex autographo.* Cum ſupra propoſitum fuerit exemplum Chriſti de vitæ genere, quod in mandatorum Dei obſervatione conſiſtit, dum parentibus ſuis fuiſſe ſubditus memoratur,

tur, & primus seu communis status appellatur. Nunc idem ipse Dominus formam videtur exhibere alterius, seu secundi status perfectionem evangelicam afferentis, quando videlicet in templum se contulit. &c.

*In Meditatione quartæ diei de tribus hominum classibus.*

PAg. 210. *In fine primi præludii.* Sublato utcunque noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento. *Legatur.* Sublato utcunque noxio affectu rei partæ, utpote. &c.

*Pag. eadem. In prima Classe.* Debitaque adminicula toto vitæ tempore non admovet. *Ex autographo.* Debitaque adminicula usque ad horam mortis non admovet.

*Pag.* 211. *In tertia.* Ac interim omnia relinquens integra. &c. *usque ad finem. ita ex autographo verti potest clarius.* Ac interim ita se gerit, ut qui omnia in affectu reliquerit, enitendo scilicet neque hoc, neque aliud quippiam expetere, nisi quantum divini obsequii intuitus moveret; ita ut non aliam admittat relinquendæ aut retinendæ rei acquisitæ causam præter rationem, ac desiderium, melius Deo domino nostro serviendi.

*Pag. eadem. In Notando.* Servabimus tamen interea &c. *usque ad finem, In autographo sic habetur.* Atque hoc ipsum optare, petere, & flagitare, spectato solum obsequio, & gloria divinæ ipsius bonitatis.

*In secundo Notando post duodecimam Meditationem.*

PAg. 212. *Secundo.* Quod inchoanda est. &c. *usque ad finem, omnis dubitandi ratio tollitur, si ita vertatur ex autographo.* Secundo quod inchoanda est electionum discussio à contemplatione discessus Christi ex Nazareth Iordanem versus inclusive, quæ fit quinto die, ut in sequentibus declaratur.

*In modo secundo bene eligendi.*

PAg. 217. *In secunda regula.* Secunda est considerare. &c. *usque ad finem. Clarius ita verti potest ex autographo.* Secunda est considerare, si quis mihi vir antea ignotus, & nunquam plane visus, cui tamen nihil non perfectionis inesse cupiam, occureret dubius super electione huiusmodi, quidnam ego illi faciendum, & eligendum ad maiorem Dei gloriam, & maiorem animæ illius perfectionem essem consulturus: quo animadverso, id mihi agendum ducam, quod alteri svaderem.

*In tertia hebdomada.*

PAg. 218. *In titulo primæ contemplationis.* Prima contemplatio fit media nocte. &c. *addatur ex autographo.* Prima contemplatio de Christi Domini nostri profectione à Bethania in Hierusalem, & de gestis usque ad ultimam coenam inclusive, fit media nocte, & continet orationem præparatoriam.

*Pag.* 219. *In quarto puncto.* Quartum: advertere quid iam inde. &c. *ita vertendum ex autographo.* Quartum: advertere quid Christus Dominus noster in humanitate patiatur, aut pati appetat, iuxta punctum, quod meditandum suscipitur: unde incipiam & ipse maximo conatu dolorem, moestitiam, & fletum mihi excitare, idemque curabo in subsequentibus punctis.

*In prima contemplatione quarta hebdomada.*

PAg. 225. *In primo præludio.* Sepulto corpore. *Ex autographo habetur.* Corpore ab anima separato; *vox enim illa* ( sepulto ) *non est, neque cohæret cum aliis.*

*Pag. eadem In quarto puncto.* Quomodo Christi divinitas passionis, & mortis tempore abscondita. *In autographo habetur.* Quomodo Christi divinitas, quæ passionis tempore videbatur abscondita. &c.

*In Con-*

*In Contemplatione ad acqirendum amorem.*

P*Ag.* 229. *In tertio puncto post illa verba.* Laborantem quodammodo. *addantur hæc ex autographo.* Vt in cælis, elementis, plantis, frugibus, & animantibus, quatenus det. &c.

*De Conversione Magdalenæ.*

P*Ag.* 239. *In autographo non habentur verba illa.* Sive Maria Magdalena Soror Marthæ fuerit, sive alia.

*In quinta regula de discretione spirituum.*

P*Ag.* 250. *Verba illa.* Quemadmodū enim dū fruitur quis *usque ad finem*, *ita commodius verti possunt ex autographo.* Quemadmodum enim in consolatione bonus spiritus nos magis regit, ac dirigit, ita in desolatione malus, cuius instigatione, & consiliis nihil rectum decernere possumus.

*In septima Regula de discretione spirituum.*

P*Ag. eadem circa medium.* Assistente nobis iugiter præsidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur. *In autographo sic habetur.* Assistente nobis præsidio divino, quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur.

*In secunda Regula pro distribuendis Eleemosynis.*

P*Ag.* 255. *Secunda.* Vt considerem. &c. *usque ad finem. Hæc Regula in autographo sic habetur.* Secunda: ut considerem, si quis alter esset mihi plane ignotus, cui tamen pro hoc ministerio, & ipsius statu omnem perfectionis gradum exoptem, quam ego illum in hac distributione rationem sequi vellem ad maiorem Dei gloriam, & animæ suæ perfectionem, hac ipsa eadem mihi utendum esse.

LAUS DEO.





BRE-


# BREVIS INDEX EORUM.

*Quæ hoc libro continentur.*



Præ-

De



FINIS.



# QUARTA PARS.

## DOCUMENTA VARIA SPIRITVALIA, ET EXEMPLA Religiosæ perfectionis comprehendens

### CAPVT I.

### INSTITVTVM SOCIETATIS IESV.

Christum ipsum & Authorem habet, & Confirmatorem. Id quod & per seipsum varie testari dignatus est Dominus, & per Vicarios suos.

*Deus Pater Ignatium cum sociis Christo commendat, isque recipit, se illis Romæ propitium fore. Ex lib. 2. P. Petri Rybad. de vita B. P. Ignatii. C. 11.*

POrro in toto itinere, quod ad Provinciam suam obeundam una cum Fabro, Laineque Romam versus instituerat, singulariter à Deo & illuminabatur, & confirmabatur, quotidieque sociis sacra facientibus, corpore Dominico reficiebatur, mirificasque, & plane coelestes animi voluptates percipiebat. Acci-

Accidit autem, cùm ad urbem appropinquarent, ut in templum desertum, & solum ingressus, oraret ardentius. Ibi mutatum prorsus cor eius est; oculique mentis clarissima luce collustrati ita sunt, ut perspicue videret, quomodo Deus Pater, Deo Filio crucem gestanti, Ignatium, sociosque peramanter commendabat, in eiusque dexteram invictam, & patrocinium tradebat. Quos cum benignissimus Iesus in se recepisset: blando, placidoque vultu, ut erat cum Cruce, ad Ignatium conversus.

*Ego* ( inquit ) *vobis Romæ propitius ero.* Qua quidem admirabili, divinaque visione, mirum in modum recreatus Ignatius, & confirmatus est: Fabroque post orationem, & Laino, quid nobis, inquit, Romæ futurum sit, plane ignoro. in Crucemne Deus nos, an in rotam agi velit: hoc tamen mihi compertum est, atque exploratum, quicunque nos exitus maneat, Iesum Christum nobis fore propitium. Remque totam quam viderat, sociis patefecit, ut & animum illis, & stimulos adderet.

Quo etiam factum est, ut cùm postea de Societate instituenda, inter Ignatium, sociosque constaret: nomen tamen quæreretur, quo insignita, & notata à Christi Vicario confirmaretur, Ignatius à reliquis sociis impetraverit, ut sibi integrum esset, ad arbitrium suum, Societati, quod vellet nomen imponere. Quod omnibus probantibus, & libentissimis fecit. Et tum præclaro illo viso, tum aliis divinis illustrationibus multis, magnisque ita Dominus Iesus eius in mente sacratissimum suum nomen impressit, penitusque infixit, ut eius ex nomine Societati nomen imponeret: tam clara ac firma luce collustratus, & usque eo pro certo habens id Deum velle, ut ab hac mente se dimoveri nunquam posse diceret. Quodque volentibus sociis, ac

con-

consentientibus fecit, id repugnantibus ac dissentientibus omnino fecisset, propter divini luminis claritatem.

Itaque Societatem Iesu appellari voluit: ut qui huc vocati fuerint, non se in Ignatii ordinem aliquem adscriptos, sed in Societatem filii Dei Iesu Christi Domini nostri, vocatos agnoscant. (1.*Cor*.1.) sub illo summo Imperatore mereant: eius signa sequantur: Crucem cupide tollant, & in Authorem fidei, & Consummatorem Iesum aspiciant, ( *Hebr*. 12. ) qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Et ne defatigentur animis deficientes, certum illis atque persvasum sit, ducem suum sibi præsto esse: illum non Ignatio solum, & sociis, ut videmus hactenus fuisse, sed sibi quoq; futurum semper propitium sperent: Siquidem se veros Societatis filios exhibeant, & patrum suorum imitatores.

Quæ de admirabili hoc viso, & suavissima atque amabili promissione hactenus dixi, qua Christus Redemptor noster pollicitus est Ignatio, se illi Romæ fore propitium, Pater Iacobus Laynes, cum esset Societatis nostræ Præpositus Generalis, & Romæ in conventu quodam omnium nostrum (cui ego quoque interfui ) verba faceret, in hunc ipsum modum narravit, quo à me præscripta sunt. Et ipse Ignatius dum viveret, de hac ipsa coelesti illustratione quædam interrogatus: quærite ( inquit ) ex Iacobo Layne, cui cum gesta res est, vere rem totam fideliterque narravi.

Porro in commentariolo quodam & diario ( in quod ) dum constitutiones scriberet, affectus in oratione suos, & spirituales quasi gustus Ignatius manu sua quotidie referebat ) scriptum reperi: Talem ( inquit ) hodie affectum sensi, qualem cùm

æter-

æternus Pater me Filio suo commendavit. Atque hæc quidem, de clarissima atque divina illustratione sigillatim explicare volui, & veluti digito fontes, unde hausta sunt, ostendere; propterea quod eximia sit, & ad spe erigendos filios Ignatii, atque roborandos maxime accomodata.

*B. P. Ignatius videt animam Hozii, unius ex Sociis ad Christum ascendere.*

*Ex eodem lib. 2. de vita B. P. N. Ignatii, cap. 12.*

DVm in Monte Casinate Ignatius est, Hozius (cui Patavium una cùm Ioanne Codurio provinciam obtigisse diximus) excessit è vita, *consummatusque in brevi, explevit tempora multa* (*Sap. 4.*) Qui cum vivus, nigellus esset, ac deformis, tantum decoris eius mortui ori, splendorisque additum est, ut animum Codurius satiare illius non posset aspectu, nullum intuendi illum finem faceret: magna animi lætitia, lachrymarumque abundantia.

Huius mortem multo ante Ignatii animus divinabat, qui etiam in Monte Casinate, ubi D. Benedictus vidit, (*D. Greg. 2. lib. Dial. Cap. 35.*) Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in coelum ferri; ipse, & animam illius clarissima luce circumfusam, in coelumque penetrantem vidit, & animam Hozii esse cognovit. Deinde etiam cùm rei sacræ daret operam, & in generali confessione (quæ ante Missam præmittitur) ad illa verba pervenisset (*& omnibus Sanctis*) magnum Sanctorum numerum fulgentem gloria, ante oculos positum vidit, inter quos & Hozius aderat, splendidiore, quam reliqui, habitu, gloriaque multo illustriore. Non quod sanctior ille cæteris, aut beatior esset: sed quod Deus gloriam hominis, per insigniorem hanc formam, compertam Ignatio (ut ipsemet referebat) testatamque

esse

esse voluisset. Qua ex re, tanta animi lætitia completus eius animus est, ut per multos dies suavissimum ex recordatione fletum reprimere non posset.

*Sanctimonalis quædam magni nominis, vidit animam B. Aloysii Gonzagæ Societatis Iesu in gloria.*

*Ex lib. 3. vitæ B. Aloysii c. 3. per P. Virgilium Ceparium de Soc. Iesu.*

QVarto die April. Anno 1600. Mater soror N. N. rapta fuit in excessum mentis, ostensusque ei fuit à Domino B. Aloysius Gonzaga de Soc. IESV. Vnde ipsa tum ut solebat, locuta fuit sequentia verba, interpolatim tamen, & subinde quiete aliqua interposita:

O quantam gloriam habet Aloysius, filius Ignatii? Nunquam credidissem nisi, mihi id indicasset Iesus meus. *Quies.* Credebam quodammodo non posse esse tantam gloriam in coelo, quantam video in Aloysio *Quies.* Ego dico Aloysium esse magnum Sanctum. *Quies.* Nos habemus in ista Ecclesia Sanctos (intelligebat eos, quorum reliquiæ illic erant) quos puto tantam gloriam non habere. Vellem ire per totum mundum, & dicere Aloysium filium Ignatii esse magnum sanctum, & vellem omnibus gloriam eius monstrare, ut Deus inde glorificaretur. *Quies.* Tantam gloriam habet, quia operabatur interius. *Quies.* Quis posset enarrare valorem & virtutem operum internorum? Nulla est comparatio exterioris ad interius. &c. &c. O quantum amabat in terra, & ideo iam fruitur Deo in plenitudine amoris &c. &c. Videbat hic, quod prædictus Sanctus orabat pro iis, qui in terris ipsi dederunt auxilium aliquod spirituale, unde dixit: Ego etiam studebo adiuvare animas. Nam si aliqua ibit in coelum, orabit pro me, sicut facit Aloysius pro iis, qui in terris ipsum adiuverunt.

*Christus Dominus ostendit B. Tarasiæ del Giesu, gloriam Sociorum, in cœlis, & prædixit magno usui olim Ecclesiæ futuros.*

*Ex lib. 5. vitæ B. Tarasiæ per Franciscum Riveram de Soc. Iesu C. 5. ubi de prophetiæ eius spiritu.*

CVm aliquando Beata ista orationi vacaret, magna animi collectione ac suavitate spiritus, & quiete vidit in coelo multos è Societate IESV, alba quædam vexilla manibus suis gestantes. Cumque quid id significaret, miraretur, simulq; ob singularem devotionem, qua erga ordinem eum afficiebatur, iis congauderet. Dixit ei Dominus IESUS: *Quid vero si scires, olim quanto usui Ecclesiæ isti sint futuri?*

Hanc porro visionem ipsamet affirmavit, sæpius etiam se vidisse. Et licet in historia ipsius, quæ primum typis mandata fuit, nomen Societatis non fuerit expressum: in eo tamen libro, quem ipsamet scripsit, ut & in aliis quibusdam propria manu eius exaratis, exprimitur. Verba porro illa, quæ ei tum Dominus noster locutus fuit, posuit ipsa in consequentibus, cap. 40. absque nomine expresso Religionis, de qua agebatur. Et tamen certissimū est, de ea intellexisse, quam dicimus. Nam ex ore ipsiusmet id intellectum fuit.

*Societas a Paulo III. Pont. Max confirmatur.*

*Ex lib. 2. Cap. 17. vitæ B. P. N. Ignatii, Petr. Ribad.*

SEd quoniam suos, & sociorum labores, atque consilia pro salute proximorum suscepta, ita demum & Deo grata, & proximis utilia fore sperabat Ignatius, si ea summus Pontifex sua auctoritate, atque iudicio comprobasset: Paulo III. Pont. Max. per Casparum Contarenum Cardinalem, propositum suum, & sociorum significavit: Se, suosque, ipsius Pontificis successorumque obedientiæ se penitus, totosque devovisse: labores omnes suos pro-

ximo-

ximorum saluti, curasque consecrasse.

Optare se, ac summis votis expetere, ut quibus ipsi à Deo agrum Domini colendi desideriis accensi essent, ea una cum ipsorum vita, ne extinguerentur, sed in aliorum exemplum adolescerent, si quos forte Deus sui imitatores excitare dignaretur. Quorum quidem Religio, Clericorum Regularium esset: institutum vero, ut summo Pontifici ad nutum præsto forent, & omnino ad eam normam vitam suam dirigerent, quæ multo ante meditata, & à se esset constituta. Quod quidem Pontifex tertio Septemb. Tybure libenter audivit, atque laudavit anno Millesimo quingentesimo trigesimo nono.

Postea vero Ignatio eiusmodi instituti confirmationem scriptam postulante, negotium à Pontifice maximo, tribus Cardinalibus datum est. Qui ne res conficeretur, magnopere pugnabant: præcipue vero Bartholomæus Guidiccionus, Card. Vir pius quidem, atque eruditus: sed qui tantam Religionum multitudinem, quanta nunc quidem in Dei Ecclesia cernitur, minus probaret, Conciliorum Lateranensis ac Lugdunensis decretis fortasse permotus, quibus nimirum novarum religionum multiplicatio prohibetur: aut certe propter quarundam lapsam, fluxamque disciplinam, quam in pristinum statum revocandam censebat potius, quam novas Religiones instituendas: atque de ea re librum dicitur scripsisse.

Quapropter cùm id sentiret, acriter nostris restitit, & Societatis confirmationi, unus omnium acerrime repugnavit; aliique nonnulli conatus cùm illo suos coniunxerunt: ut quo res exagitata esset vehementius, & magis lente probata, eo testatior, atq; illustrior Dei voluntas existeret, per Vicarium suum, hoc institutum confirmantis. Namque victa

omnis

omnis invidia est, & intercessio omnis sublata, Ignatii continuis ad Deum lacrymis, precibusque: qui etiam aliquot Missarum millia per se, & suos Deo offerre constituit, ad foelicem tantæ rei exitum impetrandum. Ex quo cùm reliquorum Cardinalium tum vero Guidiccionii cor ita immutatum est, ut adiutor ex adversario repente existeret: & ille novarum Religionum tam acer paulo ante insectator, Societatis fine percepto, summopere eius institutum laudaret.

Sic enim animo commotus est, ut aliquando etiam diceret: *Novas religiones non probo: hanc tamen non probare non audeo. Sic enim interius afficior, eos motus animi divinitus sentio, ut quo me humana ratio non ducit, eo voluntas inclinet, & affectu quodammodo invitus complectar, quæ argumentis antea repudiabam.*

Ergo ille ipseSocietatis institutum Pontifici commendavit. Pontifex cum formula quadam comprehensum perlegisset, vehementer probavit, & Pontificio afflatu *Spiritum Dei hic esse* dixit, seque non tenues fructus sperare, neq; exiguas, ex tam exiguo tenuique principio, utilitates in Dei Ecclesiam perventuras. Confirmata est igitur Societas anno 1540. V. Calend. Octobris: definite tamen, & caute: iis enim tunc finibus nostrorum numerus circumscriptus est, ut sexaginta non excederet.

Quod divinitus etiam factum esse credimus, ut media primis, extrema mediis congruerent. Nam hæc Societas nondum nata, in auctore suo Ignatio, primum probata est in Hispania, deinde iam edita in lucem, in Italia, Galliaque graviter oppugnata, ante hanc summi Pontificis Confirmationem. Qui ut pedetentim progrederetur, & ipsa sua confirmatione, Societatem etiam magis probaret, certum numerum adiecit. Ex quo hæc eius confirma-
tio,

tio, ad anmum 1543. probatio quædam fuit: quo quidem anno, ubi Domino cooperante, & sermonem nostrorum virtute sua confirmante, successus is fuit, qui sperabatur: ab eodem Pontifice numeri illa definitio sublata est. Deinde vero ab anno 1543. ad annum 1550. vegetior facta est, ac robustior, & à Iulio 3. aliisque Pontificibus confirmata, & multis, magnisque privilegiis aucta, & vehementius stabilita, ut suo loco dicam.

SEQVVNTVR
TESTMONIA VARIA
Summorum Pontificum Vicariorum Christi de instituto Soc. IESV.

*Testimonium Pauli Papæ III. in literis anno* 1545. *Pro Socie. datis.*

ATtendentes igitur ad fructus uberes, quos in domo Domini hactenus produxistis, & producere non desinitis, vestra religione, integritate, scientia, doctrina, moribus, & experientia, plurimum in Domino confidentes, vobis, quos alias, Societatem vestram de Iesu, approbando, confirmando, & benedicendo, ac perpetuæ firmitatis munimine roborando, sub nostra, & Apostolicæ sedis protectione suscepimus, &c.

*Eiusdem in literis anno* 1549. *datis.*

LIcet debitum pastoralis officii omnibus regularem vitam ducentibus, ut in suis disciplinis, & laudabilibus institutis conserventur, & augeantur, nos reddat favorabiles, & benignos: ad Societatem vero de Iesu, per nos institutam, & approbatam, cuius specimen, veluti ager fertilis in Domino multiplices, atque uberes fructus animarum, ad summi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano, dirigentes præcipue velut pius

Pater, oculos mentis nostræ, dignum censemus, ut ipsam Societatem, eiusque in odorem suavitatis Altissimo deservientes personas, specialibus favoribus prosequamur, illaque sibi favorabiliter concedamus, per quæ Societas ipsa utiliter regi, & prospere dirigi, ac ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.

*Testimonium Iulii Papæ III. in literis anno* 1552. *datis.*

SAcræ Religionis, sub qua dilecti filii Societas Iesu, reiectis sæculi vanitatibus, gratum Altissimo præbent sub humilitatis Spiritu famulatum, & ferventibus studiis per exempla virtutum, & solidam doctrinam alios ad divinæ Maiestatis obsequia trahunt, favor exposcit, & devotionis vestræ merita Nos inducunt, ut ea, quæ per Nos, & prædecessorem nostrum tibi, & illis provide concessa sunt, Apostolicæ firmitatis munimine roboremus: vosque amplioribus favoribus, & gratiis confoveamus, ea vobis concedentes, per quæ commoditatibus vestris, & animarum tum vestrarum, tum etiam aliorum, quibus iuvandis vacatis, peramplius consulatur.

*Testimonium Pii Papæ IV. in literis anno* 1561. *datis.*

ETsi ex debito pastoralis officii, singulos religiosos, qui spretis huius transitorii sæculi pompis, iugum Religionis libenter amplexi, propriam voluntatem abnegare, & in coelis thesauros suos reponere decreverunt, paterna dilectione prosequamur: ad illos tamen, qui sicut nomen Sociorum Iesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis, Dominum nostrum Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur, maioribus favoribus, & gratiis prosequendum invitamur.

*Testimonium Concilii Tridentini anno* 1563. *Sess.* 25.

PEr hæc tamen SanctaSynodus non intendit aliquid

quid innovare, aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum à Sancta sede Apostolica approbatum Domino, & eius Ecclesiæ inservire possit.

*Testimonium Pii Papæ V. in literis anno 1568. datis.*

INnumerabilis fructus, quos benedicente Domino, Christiano orbi Societas Iesu, viros literarum præcipue sacrarum scientia, Religione, vita exemplari, morumque sanctimonia perspicuos, multorum religiosissimos præceptores, ac verbi divini, etiam apud longinquas, & barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non noverant optimos prædicatores, & interpretes producendo, fælicissime hactenus attulit, & adhuc sollicitis studiis, afferre non desistit, animo sæpius revolventes nostro, libenter non solum ea, quæ alias in ipsius Societatis favorem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, Nobisque, & aliis emanata sunt, ut firmitus subsistant, cum à nobis petitur, Apostolicæ, & perpetuæ firmitatis robore, verum etiam Societatem ipsam, quantum nobis ex alto conceditur, specialibus favoribus, & gratiis munimus.

*Eiusdem, in literis anno 1571. datis.*

DVm indefessæ considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reipublicæ utilitatem attulerint Dilecti filii Presbyteri Societatis Iesu, ac plane conspicimus eos vere mundi huius relictis illecebris, adeo Servatori sesuo dedicasse, ut conculcatis thesauris, quos ærugo, & tinea comedit, lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, usque ad Orientales, & Occidentales Indias penetraverint, ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sangvinis prodigi, ut verbum Dei inibi efficacius plantarent, martyrio voluntario se,

suppofuerint, perque eorum spiritualia exercitia, etiam regna ipsa fidem Christi agnoverint, ac tam inibi, quam ubique terrarum charitatis, & miſericordiæ opera exercere studeant: facere nullo modo possumus, quin eos, tanquam veros palmites in Christo per charitatem coniunctos, & benigne amplectamur, & ea sibi specialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emissæ voto, & eorum instituto, ac commoditati credimus profutura.

*Testimonium Gregorii Papæ XIII. in literis* 1582. *datis.*

QVanto fructuosius in colenda Domini vinea se exercet Veneranda IESV Societas, dignis æterna mercede operariis abundare conatur, tanto propensius contendimus eam, Religiosamque subinde, quam instituit prolem, unde tota Respublica Christiana ubique sublevatur, prosequi, & confovere: simulque omnia removere, quibus & spiritualis ipsorum profectus retardari, & caritatis fervor, qui ab eisdem in regeneratas pretioso Domini nostri IESV Christi sangvine animas se diffundit, alicubi frigescere, aut in lubricum defluere posset.

*Testimonium Gregorii Papæ XIV. in literis Anno* 1591. *datis.*

ECclesiæ Catholicæ, cui Deo auctore præsumus, decor, atque utilitas postulat, ut, cum in omnibus illius membris fovendis, atque ornandis assidue nobis laborandum sit: in illam tamen præcipuam vigilantiæ nostræ partem impendere debeamus, quæ non modo ipsa per se robur, ac pulchritudinem corpori huic mystico afferunt: sed cæteras etiam eiusdem partes, vel disruptas consolidare, vel integras custodire, vel foedatas eluere, atque etiam ornare valeant. Inter hæc autem quem locum obtineant religiosi ordines, præsertim vero qui proximorum utilitati deserviunt, non obscure per-

perſpicimus; cum & ſuperiora tempora, & præſentia diligenter attendimus. In his vero Religio Societatis Ieſu, quam noviſſimis hiſce diebus divina providentia excitavit, adeo ſtrenue laboravit, ac ſine intermiſſione laborat, ut illius vel turbationem, & infirmitatem ad commune Eccleſiæ damnum, vel pacem, atque integritatem ad eiuſdem utilitatem maxime pertinere putemus.

*Teſtimonium Pauli Papæ V. in literis 1606. datis.*

QVantum Religio Societatis Ieſu in Eccleſiæ ad fidei, pietatis, & religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, Nos ipſi ſcimus, & Chriſtiana Reſpublica novit univerſa. Propterea illam diverſimode perturbare, ab incepto retardare, malis artibus humani generes hoſtis quotidie nititur; è contra vero illam & in ſuo laudabili propoſito confovere, & ad inſtituti ipſius puritatem & nitorem pristinum retinendum adiuvare, in quo uno ſolo vis Religionis conſiſtit, procurarunt Prædeceſſores noſtri, & nos totis viribus contendimus.

*Et poſt nonnulla:*

Nos igitur certo ſcientes, totum Sanctæ huius, & nunquam ſatis laudatæ Religionis ſtabili mentum, & profectum in viridi inſtituti ipſius, & decretorum ſuper hoc in Generalibus Congregationibus eiuſdem Societatis editorum obſervantia conſiſtere. &c.

## CAPVT II.
## DE ORATIONE.

*Documenta & exempla B. P. N. Ignatii de oratione Ex lib. 5. P. Petri Ribadeneira de vita eius. C. 1.*

IN horas ſingulas ſe ſe colligebat *B. Pater*, & à reliquis animum in Deum avocabat: conſcientiamque ſuam diſcutiebat diligentiſſime. Quod ſi negotium intercederet gravius, vel occupatio ali-

qua tanta, quæ piæ consvetudini impedimentum adferret: proxima hora, vel certe primo quoque tempore, interpositam moram compensabat. Non tamen externarum rerum occupatione usque adeo distringebatur Ignatius, ut devotionis illius cursus retardaretur.

Vidimus frequenter illum, ex tenuissimis rebus, ad Deum (qui in minimis etiam maximus est) ascendentem: ex plantulæ, frondis, floris, fructus unius aspectu, ex vermiculi alicuius, aut bestiolæ consideratione, supra coelos attollentem se, & ad ea, quæ à sensibus remota sunt, penetrantem: capientemque è singulis, utilissima documenta, ad totius informationem vitæ.

Atque hoc familiare nostris optabat esset. ut Deum in rebus omnibus, præsentem cernerent: & mentes suas non in oratione tantum ad coelestia attollerent: sed universas res, atque actiones singulas in Deum referrent: neque minorem devotionis spiritum in actione, quam in ipsa meditatione sentirent. Et hanc quidem orandi consvetudinem assiduam, cùm in aliis, tum vero in hominibus pie occupatis, tanquam magis expeditam probabat.

Tam ferventer orabat, ut ex intentione animi morbum aliquando contraheret. Anno vero 1550. quod ipso Christi Domini nostri die natali, duo sacra continenter fecisset, in extremum vitæ discrimen adductus est.

Neque vero in sacrificio Missæ solum intendebat animum, sed in minimis etiam rebus, quæ ad Deum pertinerent: cùm mensæ benedicebat: cùm, confecto prandio, gratias Deo agebat: in reliquis demum rebus, ita sevocabat animum, se seque colligebat, ut Deum veluti præsentem cernere videretur: semperque ante orationem præparabat animam

mam suam, & quasi in cubiculum cordis intrabat, & ita mens inflammabatur interior, ut facies etiam accenderetur, & tota ( quod sæpe animadvertimus ) quodammodo ignesceret.

Deum sæpissime alloquens, ex intimo corde dicebat, *Quid ego, Domine, extra te volo, aut quid velim?* Et quoniam voluntatem suam ad divinam voluntatem accommodabat, idem volebat omnino, quod Deus, idem nolebat; in omnibus rara quadam illum consolatione, atque æquabili mulcebat Dominus.

Præsentem diem cùm hesterno conferens, & cùm profectu profectum, longius se quotidie progressum, & ardentioribus inflammatum studiis in dies reperiebat: ut suum illum, quem Manresæ habuit statum ( quemque primitivam suam Ecclesiam studiorum tempore solitus est appellare ) extrema iam ætate, prima fuisse rudimenta, diceret: & ea quotidie in se Deum expolire, quorum Manresæ lineamenta duxisset.

Qui prolixiori oratione utuntur, & multas horas in rerum divinarum meditatione collocant, iis magnopere cavendum esse sentiebat, ne præfracti nimis, ac duri fiant, & in proprio sensu petrinaces. Neve ex re omnium fructuosissima, & Dei communicatione præstanti, vitium ipsi contrahant, fiatque sua ipsis culpa venenum, quod præsens animæ est omnium morborum medicina. Solent enim quidam difficili admodum ingenio esse, & in proposito obfirmati: ad quorum naturam, si orandi studium nudum accesserit, & meditandi tantum quædam assiduitas, absque mortificatione, suique vincendi cura; ita capite exsiccantur interdum, atque obdurescunt, ut dimoveri de sententia, flectique non possint. Sunt rursus, qui quicquid in oratione sen-

tiunt, sibi à Deo immissum putent, sensumque suum, sensum esse Dei, à quo discedere nefas sit: itaque & sentiendi regulam & agendi, sensum quem habent in oratione certissimum statuentes, ad eam omnes vitæ actiones dirigunt. In quo falluntur sæpe. Ipsi enim non raro iudicium sequuntur suum, atque animi impetum pro instinctu divino habent, vitiumque naturæ speciosa quidem, sed falsa excusatione tegunt, prolabunturque frequenter in maximos errores, quibus orationi rei præclarissimæ, ac mortalibus utilissimæ, infamiam inferunt apud imperitos, existimantes rei id esse, non personæ vitium. Neque enim ad sensum nostrum (quantumvis pius videatur ac divinus) detorquere quæ certa sunt, sed contra sensus, cogitationesque nostras (tanquam dubias & fallaces) ad rectissimam fidei, & Sanctorum Patrum normam, atque exploratissimam debemus exigere. Non enim dubiis perspicua tolli, sed illustrari perspicuis dubia & confirmari par est.

*Documenta & exempla de Oratione B. Francisci Xaver. Ex lib. 6. vitæ eius per Horat. Tursel. S. J. cap. 5.*

ETsi mentem in Dei divinarumque rerum cognitione defixam prepetuo habebat; statum tamen & certum quotidie seponebat tempus, quod ereptum negociis, tribueret Meditationi rerum coelestium. Maxime vero in Christi vitæ mortisque Meditatione acquiescebat; satis gnarus, ibi eximia omnis exempli documenta in illustri posita monumento, intueri atque imitari licere. Hoc meditationis genus, maxime salubre ac frugiferum (præcipuum utique exemplar Christianæ vitæ, & ingens invitamentum divinæ charitatis) impense & complectebatur ipse, & aliis commendabat. Quo in negocio haud maiore mentis ardore versabatur, quam animi constantia. Id ac-

Id adeo non alias magis intellectum est, quã cum daret operam valetudinariis. Etenim cùm assiduæ occupationes, nullam ei diurni temporis partem ad orandum vacuam relinquerent; orationis magis quam somni memor, nocturnæ corporis quieti detrahebat horas semper aliquot, ne animus coelesti illa optatissimaque fraudaretur requie pabuloque; adeo eius mentem divini dulcedo colloquii ceperat.

Binas ferme, cùm plurimum, ternas somno horas tribuebat, sed ita ut ne somnus quidem vacaret oratione. Sæpius enim per somnum emittebat eiusmodi voces; *O Iesu bone, ô Creator mi*, alias consimiles: orare illum non dormire crederes. Constat orandi morem ne in summis quidem Comorini Promontorii occupationibus intermissum; quippecum meditandi occupationem præcipuam duceret.

Meliaporæ quoque ad ædem S. Thomæ cùm diversaretur, de nocte surgens itabat in templum, nec ullis aut hominum sermonibus, aut plagis ac turbis Dæmonum à divinis colloquiis deterreri potuit; sæpe etiam ibidem totas pene noctes extraxit precibus. Malacæ vero, cùm in cubiculo è storeis habitaret, quidam sanctitatis eius opinione svadente, ex insidiis per storearum rimas ( ut ipsi postea narrarunt ) quid tandem rerum Franciscus noctu ageret, observarunt sæpius: ac semper eum viderunt, cùm nixis genibus ante Christi Crucifixi imaginem iam ad multam orasset noctem, vegeto tamen animo ac corpore perseverare, donec ingruente somno, naturæ necessitati paulisper cedens humi procumberet, inde in saxum instar ceruicalis recumbentem, fracta diurno nocturnoque labore membra reficere parumper. Sentires illum somno uti pro medicamento, & in quiete capienda, nihil minus amare, quã quietem.

Cre-

Cæterum haud dubius quin Deus in Sacris locis, ubi Sanctius colitur, benignius audiret orantes, quotiescunque copia erat, haud paulo libentius in sacris orabat ædibus. Itaque ubicunque res ferret, cubiculum sibi quærebat proximum templo, eo se de nocte clam supplicandi causâ recepturus. Observatum est Malacæ à sociis, eum fere in Sacrario, quasi alterum Samuelem, humi cubitare solitum: intempesta inde nocte in templum obrepere, & ante aram maximam, sacrosanctamque Euchari- stiam, submissis genibus orare: cruribus autem defatigatis, super aræ gradus proiectum, aut manibus innixum, perseverare in negotio, donec aut omnis necessitas, aut auroræ lux superveniret.

Quod si facultas templi deesset, non tamen studium deerat orandi. Sacerdos quidam Xaverii hospes narrabat, sæpe illum abs se repertū domi suæ, multa iam nocte supplicantem, & sive quod aptior locus non esset, sive quod fractis iam genibus niti ultra nequiret) sediculæ subnixū præcibus insistentem. Malacensiū porro nonnulli Cives honesti commemorarunt, Franciscum sæpenumero cùm ipsis summa affabilitate sermonis versantem, sensim se clam omnibus subduxisse de circulo. inde cùm ab eis diu multumque requisitus foret, in sylva aliqua aut solitudine suppliciter orantem aut corpus suum verberantem, esse deprehensum: ita ne molesti interpellatores intervenirent, re penitus dissimulata, relictum.

Nec terra quam mari constantior Xaverii pietas in orando fuit. Eius rei indicia ita multa enituerunt in eius navigationibus à nobis expositis, ut exemplorum conquirendorum labor non supervacaneus tantum futurus sit, sed etiā molestus. Quippe in dissimillimis etiam locis ac negociis semper

ſui ſimilis, vitam omnem uno quaſi traduxit. Illud tamen quod maris proprium fuit, reticendum non eſt. Conſtat eum in navi ex media ferme nocte ad lucem uſque in oratione pernoctare ſolitum, & in mediis tempeſtatibus, ſummiſque periculis, æquiſſimo animo Deum orare: itaque perſæpe nautas perinde ac vectores, ſuam naviſque ſalutem Franciſci precibus acceptam retuliſſe.

Erat Xaverii oratio ardens ſemper & accenſa, plerumque cœleſtibus quoque gaudiis affluens, id quod plurimis ac maximis argumentis declaratum eſt. Atque ut omittam eximias illas in Comorinenſibus & Mauricis laboribus divinitus hauſtas voluptates, de quibus ſuis locis diximus; obſervarunt eum ſæpe Goæ Patres quidam intempeſta nocte, fixo in cælum oculorum obtutu, in hortis domeſticis inambulantem, totumque ex Dei cogitatione atque amore pendentem: ut non ambigeres eius animum à ſenſibus abſtractum eminere foras. Inde ad ſe cùm rediſſet, tunica de more ab æſtuante pectore manibus diducta, hanc identidem vocem iterantem exaudierunt: *Sat eſt Domine, ſat eſt*: eo vocis ſono, qui facile oſtenderet tantam vim eſſe ſuperfundentis ſe lætitiæ cœleſtis, quantam capere vix poſſet mortalitas. Crederes eum in ſumma ſolitudine vitam degere: adeo in maximis etiam negociis & congreſſionibus hominum, fixum ac locatum animum habebat in Deo.

Haud multo minor in oratione vocali quæ dicitur, pſalmiſque & hymnis recitandis, vel pietatis ſenſus, vel ſedulitas in illo fuit. Antiquiſſimum quippe habebat divinum officium, horaſque canonicas diligenter ſimul ac pie recitare. Initio igitur Eccleſiaſticum audiens monentem, *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui ten-*

tat

*tat Deum*, interiore cura comparabat se se. Namque ad mentis attentionem & pietatem vehementius accendenda, hymno *Veni creator*, ante singulas horas pronunciato, haud segniter S. Spiritus exposcebat opem. Quem quidem ille hymnum tanto semper pronunciabat ardore, ut ei cor é pectore exilire, animusque deficere videretur. Et satis constat persæpe eum hominum interuentu alloquioque, ut fit interpellatum, eundem illum à Principio iterasse hymnum, tam intento animo, quam si nemo intervenisset.

*B. P. Franciscus Xaverius à Dæmonibus cæsus, tamen in oratione pernoctat.*

*Ex lib. 2. vitæ eius. C. 15.*

INter hæc apud vicarium, ut ostendimus, diversanti, quiddam in hoc genere sane memoria dignum accidit. Erant ædes Vicarii templo Apostoli ( Thomæ ) proximæ, unde ille, ianua facta, aditum sibi patefecerat in temqlum. Et Xaverius ex consvetudine, ut Vicarium, cuius in cubiculo pariter dormiebat, sopore oppressum animadverterat; sensim ac sine ullo strepitu surgebat é lectulo, atque in ædem Apostoli suspenso subrepebat gradu. Non tamen fallebat omnino Vicarium, qui subito experrectus, sæpius illum surgere é lecto persenserat.

Verum is, re primo dissimulata, demum illi pro amicitia denunciavit, ne de nocte iret ad templum; nec se viæ committeret, quā constaret esse Diabolis infestam: occursuras ei horribiles illorum facies, cùm minime crederet. Adhæc arrisit Xaverius, ea sui deterrendi causā dici ratus, & denunciatione Vicarii per dissimulationem iocumque elusa, nihilominus nocte intempesta, ubi somno illum sopitum senserat, ad sacram ædem silentio obrepebat.

Eni-

Enimuero id sempiterni humani generis hostes graviter ferre: Francisci securitatem ipsorum contemptum interpretari. Ergo irâ, odioque furentes, ut illum ab instituto absterreant, nocte concubia ante aram Beatæ Virginis supplicanti ex composito superveniunt, truci fremitu, clamoribus variis, horrendoque cuncta complentes sono. Mox virum ad minas intrepidum quam tumultuossime adorti, verberibus atrocissime cædunt, factis dictisq; odiū explentes suum. Ille inter verbera crepitusque plagarum magis de constantia, quam de tergo suo sollicitus, Dei Parentem sui certaminis spectatricem implorare; vanos hostium tumultus magnitudine animi eludere, orationem institutam non fortiter solum, sed etiam constanter urgere.

Quocirca molestos illos & importunos interpellatores fortis atque invicta perseverentia, accerrimum adversus infestos dæmones telum, facile abegit. Et Franciscus quidem ferendo spernendoque eorum impetus adeo fregit, nunquam ut posthac in eum sustinuerint aliquid tale conari. Cæterum propulsatis hostium incursionibus, domesticorum irrisiones haud quaquam vitavit.

Iuvenis quidam in subiculo sacræ ædi iuncto cubabat, qui nocturno illo excitatus tumultu, Xaverium sub dæmoniorum verberibus clamantem, ac B. Mariæ identidem implorantem auxilium exaudierat, hanc etiam notaverat vocem, ab illo sæpius iteratam: *Domina opitulare, Domina, mihi non opitulaberus?* Igitur is ab se audita Vicario, cæterisque domesticis, non sine omnium risu (ut fit) commemorat: res iucundis sermonibus domi celebratur, Francisco insciente. Qui postero die exrecrudescentibus plagis æger, surgere, cùm cuperet, nequivit è lecto: triduùque fractus ac debilitatus

tatus iacuit, morbum ſimulans, ut factum occuleret. Viſit iacentem Vicarius: rogitat an ægrotet, annuit Xaverius; morbi genus ſciſcitanti alia omnia reſpondet, derivans alio ſermonem. Tum Vicarius, qui rem omnem iam reſciviſſet, per iocum eandem illam imitando uſurpavit vocem, quam Franciſcus vapulans uſurpaverat; *Domina opitulare, Domina non mihi opitulaberis?*

Franciſcus ubi rem in vulgus editam ſenſit, erubuit ille quidem; ſed æquiſſimo animo arridens, haud minus fortis contra hominum ſermones, quã contra dæmonum plagas fuit. Vt primum convaluit, ſatis gnarus diabolũ plus terroris, quã virium habere, & timidi canis ritu cedentibus inſtare, reſiſtentibus cedere: alacrius etiam quam ſolebat (victorem diceres) ſtatuit ad certaminis ultro reverti locum. Igitur Dei maximi diabolicam vim frænantis præſidio confiſus, eandem ædem ſupplicandi cauſa, de nocte ſolus frequentare ſuſtinuit: infernaſque illas belluas, ad vanos tumultus accomodatas, impune contemnens, documentum fuit nihil diabolis eſſe contemptius atque infirmius, ſi eos audeas contemnere.

*De oratione item exempla & monita B. P. Franciſci Borgiæ S. J.*

*Ex lib. 4. C. 4. vitæ eius authore P. Andrea Scotto, S. J.*

ORandi aſſiduitate, hoc commodi acceperat, ut Deum ubique præſentem circumferret. Quo fiebat, ut omnis locus templi negotiique, otii, ſolitudiniſque vicem ei præberent, materiamque adeo ſuppeditarent, ac ſegetem precandi.

Iter ingreſſo & ſi corporis laſſitudine, incommoda cœperat, animo tamen illud præclare evenire dicebat, liberum ſibi in via ab interpellatoribus, vacu-

vacuumque tempus precandi dari. Montes enim, ſylvas, flumina, & apricos campos, herbis, vitibus, & arboribus veſtitos, ad orandum invitare, preconiſque vocem emittere, Deum ut mortalis agnoſcat, agnitum amet, amatum rerum conditarum gratia laudet aſſidue, & laudato tandem aliquando morte obita, fœliciter perfruatur.

Extra ſe poſitus non raro videbatur, ut corpore quidem præſens, animo vero in cælis verſaretur. Si qui altiore apud ſe voce contenderent, nihil movebatur, auſcultabatque: & à re, qua de agebatur, aliena interdum ingeſſit, præſertim ſi profanus ſermo deque nihili re iniectus eſſet. Admonitus itaque à Sociis, præter rẽ reſpondere nonnunquã ſolitum: malo, inquit, rudis & hebes videri, quam garrulus & temporis iacturam feciſſe. Omne enim perire tempus exiſtimabat, quod non aut de Deo, aut ad Deum pertinentibus tranſigeretur. Epiſcopus vero cùm Martino Araoſio, qui cum forte aderat, relictus, facile quod res erat, mente divina agitari Franciſcum augurabatur.

Iter faciens quo ſacrificium Miſſæ facere liceret, vel ad duo milliaria via decedere non dubitavit: & diverſoria incommoda libenter ferre, dum ſacris operari poſtridie liceret.

Eboræ in Luſitania, graviter ægrotans, & lethargico morbo captus, evigilare vi medicorum iuſſu cogebatur. At allata Euchariſtia, tanquam ſomno ut erat gravi & veterno experrectus agilis alacerq; apparuit: ut licet infirmum corpus haberet, ſpiritus tamen promptus bonique ſummi appetens eſſet.

Sacris vero operaturus, horas aliquot precationi impendere, ſeque probe excutere ſolebat. Quotidie item ut iam retuli, rite confeſſus, rem divinam faciebat. In media Lyturgiæ parte, lacrymas

illi

illi ucbertim fluere folitas obfervatum. Poft, gratias diutius agere, quod velut in Zachæi domum Dominus divertiffet: ut nonnifi ægre ad prandium & cùm fufpiriis, Iobi atque Bernardi exemplo duceretur.

Ab hoc Patre manavit, pia folemnifque Societatis confvetudo, ut quot menfibus Sanctorum nomina, forte ex fitula educantur diftribuanturque fingillatim. Quo die votis conceptis religiofeque perfolutis, opem fui quique divi implorent. Didicerat id in gentilitia Borgiæ familia Francifcus: in qua illum olim morem viguiffe docui. Ognatæ quoque idem fervavit, multa fociis ingulgens, quo die Divi nomen forte illis obtigiffet: ipfe ad hæc precationi plus etiam temporis tribuere folitus.

Interpellare orantem Dæmoni ftudium fæpe fuit, nunc fimii fpecie fubfanando, nunc gigantis inftar, forma fupra humanam maiore, fpectrifque terri tando. Pintiæ cubiculo digreffus, Crucis fe figno muniens: *Videfne*, inquit, *Marce frater, nigrum & afpectu formidandum Dæmonem paffim obambulantem?* Quo dicto acquievit Francifcus, animoque non nihil fedato erubuit: quod metum eius præ fe tuliffet Spiritus, qui ne capillo quidem capitis detracto, nocere homini, nifi Deo concedente, queat. Interrogatus aliquando à Socio, num metuiffet, obambulare vifo Dæmone noctu per conclave, demiffis ille oculis, modefte refpondit: Illud, frater, certe conftat, Deo permittente apparere interdum Dæmones, improbis quidem, ut à flagitiis territi abftineant, vel puniantur; bonis vero & ad pietatem exerceantur, & merita meritis cumulent.

*Alia de oratione documenta atque exempla, ex vita B. F. Aloyfii Gonzagæ Sociét. Iefu.*

Scri-

*Scripta per P. Virgilium Ceparium de S. J. Ex lib. 2. C. 3.*

ERat etiam Deo in oratione valde coniunctus, in quantum ponebat studium, ac si in ea omnium virtutum summa sita esset. Quare dicere solebat: qui non est orationi deditus, & interius collectus, impossibile esse eum ad perfectam sui victoriam, & excellentem aliquem perfectionis ac sanctitatis gradum posse pertingere, quemadmodum ipsa manifeste docet experientia.

Omnem etiam animi perturbationem, inquietudinem, immortificationemque, quæ in viris religiosis cernitur, ex eo nasci dicebat, quod meditandi studio haud essent dediti. Quamobrẽ orationem, compendium ad perfectionem assequendam, appellabat; & istud omnibus cupiebat persvadere. Existimabat enim, qui hoc vel semel incepisset gustare, non facile ab oratione, & contemplatione avelli se se passurum.

Mirabatur etiam inveniri quosdam, & dolebat, qui, quod aliquando urgente aliqua necessitate, orandi studium intermittere cogerentur, paulatim adeo ab orationis usu discederent longe, ut etiam tunc, cum omnem haberent meditandi commoditatem & tempus, difficillime ad orandum, ob contrariam consvetudinem adducerentur. Ipse vero Aloysius, ita huic exercitio totus incumbebat, ut maximas reputaret delicias, cùm orationis tempus appropinquaret.

Omnem autem adhibebat diligentiam, cùm se ad orandum præpararet. Et semper vesperi, antequã ad quiescendum se se componeret, octavam horæ partem, & aliquando plus, in sequentis diei disponenda meditatione expendebat. Studebat deinde mane diligentissime, ut tempestive esset expeditus, priusquam ad orandum daretur signum.

Nam tum colligebat se se, ut animum tranquillum haberet, & ab omnibus curis vacuum.

Rem enim impossibilē dictitabat esse, ut anima, quæ orationis tempore sollicita sit de alia re, attenta possit esse ad id, quod meditandum est, Deique in se recipiat imaginem, in quam contemplando se se studet transformare. Memini etiam illum, ad hoc propositum talem adduxisse similitudinem. Quemadmodum, inquit, aqua, quæ à ventis huc & illuc agitatur, cùm turbida sit, vel non repræsentat hominis adstantis effigiem, vel si clara est, membra sibi non invicem unita, sed disiuncta indicat: similiter anima, quæ tempore meditationis, à variis passionum ventis commovetur, & impellitur, parum apta est, ut Dei similitudinem in se recipiat.

Dato signo ad orandum, in genua se proiecit, & quam maxima potuit reverentia, ante Oratorium suum meditabatur: omnemque adhibebat industriam, ut attenta mens esset. Ab expuendo etiam, si necessitas id postularet, ne quoquo modo distraheretur, abstinebat penitus.

Nihil ei erat facilius, quam mentem habere cùm Deo coniunctam toto die, inter ipsas etiam occupationes externas, in quibus ita facile suam internam collectionem & attentionem retinebat, ut multo maiori cùm difficultate distrahi se sentiret. Quodam etiam tempore fassus est, quantam molestiam, & laborem sentiunt alii, ut suam mentem cùm Deo unitam habeant, tantam sentire se difficultatem, in cogitationibus suis à Deo avellendis. Nam toto tempore, quo conabatur ( sicut necessitas aliquando postulat ) de aliis rebus, quam de Deo cogitare, maximam violentiam patiebatur, & sibi ipsi vim inferebat, ex qua maius nocumentum accidebat corpori, quam ex continua distractione. Quare inter-

interdiu, mediis ipsis negotiis, maximis consolationibus à Deo visitabatur, non quidem subito transeuntibus, sed etiam integram horam, & plus aliquando durantibus. Quarum cùm anima esset plenissima, dū redundarent etiam illæin corpus, adeo illud coelesti quodam ardore inflammabant, ut vel ipsa faciei incensio ignem internum proderet divinum.

*Ex eod. P. Virgilio Cepario de vita B. Aloysii lib. 2. C. 7.*

HOc eodem tempore spargebatur rumor Aloysium habere singularia orationis dona, nec ullas distractiones pati. Hinc nactus est occasionem P. Achilles Gagliardus tractandi cùm illo sæpius de rebus spiritualibus, & inter discurrendum ingressus viam unitivam perfectæ charitatis, à Theologis dictam mysticam, manifeste deprehendit præter multa eximia dona, quibus sancta illa anima e-rat ornata, habere illum maximam cùm Deo unionem, quotidieque exercere istam viam mysticam circa divinam caliginem, quemadmodum docet D. Dionisius Areopagita.

Tam erat itaque illi hæc via nota, tam illi sapiebat, tam profunde de illa discurrebat, ut P. Achilles magna inde afficeretur consolatione, imo etiam stupore, videndo tam altas heroicarum virtutum radices, & tantam perfectionem in iuvene illo, qui vix quatuor annos in religione egerat, & eius iudicio ad tantum gradum iam pervenerat, ad quantum paucissimi ex provectioribus, & antiquioribus religiosis ex gratia divina pertingunt.

Et quoniam communiter quisquis magnum progressum in vita hac unitiva fecit, illi molestum videtur cùm hominibus versari, eo quod amat secessum, ac solitudinem, & collectus esse in alta Dei contemplatione, à mundi strepitu remotus, addi-

dit Achilles (ut illum probaret) sibi mirum videri, quomodo non habeat suspectum tale exercitium, quod Societatis nostræ instituto, & professioni directe videtur opponi, quæ consistit in tractando cùm proximis ad illorum salutem procurandam: cùm via unitiva seu mystica ex sua natura repellat omne genus conversationis, sub quocunque prætextu, & eligat optimam partem solam, relinquendo aliis vitam activam. Respondit Aloysius; quando ego adverterem & probarem, quod via mystica efficeret in me tales effectus, de quibus tua Reverentia loquitur, omnino suspectam eam haberem, & mihi non convenire putarem. Ex quo responso mansit Pater magis attonitus, quam antea. Cognovit enim ipsum singulari privilegio & Dei dono, coniungere ita unam viam cùm altera, ut neutra neutri esset impedimento.

*De eadem oratione, monita quædam B. Matris Tarasiæ.*

*Ex lib. 4. vitæ eius c. 8. per R. P. Franciscum Riberam S. I.*

1. MOnebat diligentissime, ut ne quisquam eorum, qui orationi se dedunt, unquam deficiat animo occasione ariditatis, quam sentiat in ea, nec desperet ad culmen se huius exercitii pervenire posse. Dicebat enim, aliquando Dominum nostrum tarde admodum venire, sed tum brevi tempore simul multorum annorum laborem compensare. Nam & se ipsam ultra annos 14. in simili fuisse statu, nec quidquam potuisse meditari, nisi prius id ex libello aliquo legisset.

Magna vero compassione dignos censebat eos, qui in oratione hanc perseverantiam perderent. Similes enim eos esse hominibus, qui magna siti laborent, iamque etiam aquas lympidissimas videant

aut ante ſe à longe, dumque ad eas captandas pergunt, inveniant, qui eos & in principio viæ, & in medio, & in fine impediant. Talibus enim evenit quandoque, ut etiam, ubi ſuperarint primos adverſarios, vincantur tamen à ſecundis, & inde potius emori velint ſiti, quam tanti precii aquam perſequi; et cùm etiam ſecundos iam debellarint, à tertiis tamen ſuperentur, dum viribus deficiunt, cùm fortaſſe vix uno aut altero paſſu abſint à fonte aquæ illius vivæ, de qua Dominus olim Samaritanæ dixit, quod qui illam bibiſſet eum nunquam amplius ſiti laboraturum; Ioan: 4. Quin evenire poſſe dicebat, ut aliquando deficiant ii etiam, qui iam ad ipſum fontem penetrarint, ita, ut nihil iis deſit aliud, quam ut ſe inclinent ad hauſtum capiendum, deſperantes interim, quaſi tantum virium non habeant, ut hauriant.

2. Minime recta via cenſebat eos ingredi in orationibus ſuis, qui guſtum interiorem, ſeu conſolationem ſpiritualem, potiſſimum in iis quærunt. Id enim magno etiam ad profectum faciendum impedimento eſſe. Se ſe vero experientia ipſa didiciſſe, animam, eam quæ in via iſta mentalis orationis ita pergit, ut deliberatum penitus habeat pergere, ſive ſentiat teneriorem illum conſolationis guſtum, ſive non, eam rectiſſime incedere, nec timendum ei eſſe, quod deficiat, etiam ſi hinc inde offendat, quia ædificium ſuum in ſtabili locavit fundamento.

3. Qui orationi ſe dedere incipiunt, dicebat ſecum ipſos reputare debere, quaſi hortum plantandum ſumpſerint in terra male frugifera & plena herbis infructuoſis, quas propterea evellere eos oporteat, & plantas alias meliores ſubſtituee, eaſdemque inde excolere & irrigare, ne marceſcant,

ſed flores ferant odoriferos, quibus recreetur Dominus ipſe horti, qui dedit plantas, veniatque ſubinde ad ſpaciandum in horto ſuo. Et ita unicum illum ſcopum orationis eſſe volebat, gloriam & obſequium Dei, maiuſque beneplacitum eiuſdem.

4. Eum qui in oratione ariditatem experitur, ſimilem illi eſſe dicebat, qui abit, ut aquam è puteo hauriat, ad irrigandum hortum iſtum, ſed invenit deſiccatum. Nec tamen inde animo debere cadere; ſed ſic quoque omne reliquum boni hortulani officium exequi circa herbas ſuas. Id enim ſi faciet, fore, ut Dominus horti ipſe ſuppleat aquæ iſtius defectum, & plantas ſuas ac flores conſervet, atque in omni virtute proficere faciat. Illud porro intelligebat abſque aqua eſſe hoc in genere; abſque lacrymis ac teneritudine ſenſuve devotionis orare. Sed & ſi quando talis advertat, ſæpius ſe inaniter demittere in puteum ſitulam ſuam, & vacuam extrahere, aut ne poſſe quidem brachia ſua attollere ad eam extrahendam ( id vero vocabat, ne quidem cogitationes ſuas ſatis in bono firmare poſſe ) gaudeat & ſe ſe conſoletur, ponatque in maximæ gratiæ loco, quod in horto tanti Imperatoris elaborando fatigetur, pergatque ſua facere, quandoquidem novit id ipſum illi complacere, nec tam laborandum ei, qui orat, ut ſibi ipſi ſatis faciat, quam ut placeat Deo. Qui quidem illud in primis probat, dum videt, quod ei quis confidat, quodque etiam dum ipſe non ſubito ſtipendia ſua ſolvit, curæ habeat præſtare ea, quæ iuſſit, eique crucem portare iubet, quam ipſe vita ſua tota portavit; ideoque etiam reſolutos eſſe oportere, etiamſi tota vita duratura eſſet talis illa ariditas, nec ſic tamen Chriſtum cùm Cruce ſua quaſi permittere cadere. Venturum enim tempus, quo omnia ſimul ſit compenſa-

turus

turus optimus Dominus, cui ita ſervitur, quique intuetur præſens omnem laborem ſuorum.

5. Huiuſmodi ariditates & afflictiones in oratione, dicebat ſæpe in ipſo principio obtingere animæ devotæ, dum orationi ſe tradere incipit. Nonnunquam vero etiam in fine, cùm multis tentationibus. Quia ea ratione vult Deus probare amantes ſe, & experiri, quomodo calicem ſuum bibere, & crucem ſecum portare queant, antequam theſauros iis communicet magnos, utque ita ſe ipſos diſcant noſſe, quam penitus nihili ſint. Tanti enim precii ſunt gratiæ illæ, quas deinceps Dominus ſuis communicat, ut merito velit eos antea plene cognoſcere propriam miſeriam ſuam, quam ipſa præſtet.

6. Dicebat in hoc toto ariditatis ac diſtractionum genere, ſe habere maximam experientiam, quod ſæpe oriantur ex quadam corporis indiſpoſitione, vel temporum aut humorum interiorum mutatione. Tali vero occaſione ne expedire quidem animam nimium cogere ad multum orandum, quia id eſſe, eam ultra vires urgere, & ſuffocare. Ideoque ſatius eſſe, tum orationem in aliud tempus differre, ſeque vel in legendo occupare, vel aliis operibus charitatis; quin etiam expedire tum aliquando pro Dei amore corporis imbecillitati indulgere: atque aliquid ſanctæ recreationis ei concedere: ut poſtmodum animæ melius & ipſum ſubſerviat.

7. Dicebat orationem omnem, etiam quæ altiſſimum perfectionis gradum in genere ſuo attigiſſet, ſemper dirigendam ad opera, quibus demonſtremus amorem noſtrum erga Deum, nec conquieſcamus in ſolo orationis bono, in conſolatione, inquam interna, vel ſimilibus Dei muneribus, ſed ut operemur opera, quæ magnopere Deo placere noverimus, & in difficilibus etiam virtutum actibus nos

exerceamus. Hoc enim demum verum esse signum, orationem nostram legitimam esse, & à Deo procedere, si qua in ea nobis gratia communicetur.

Nam qui solidis virtutibus operam non impendit, mortificationique sui ipsius & veræ humilitati, eum, quantumvis faciat orationem frequentissimam, perpetuo tamen in spiritu pusionem, ac pygmæum quasi quendam permansurum, nec unquam incrementum facturum, in iustam staturam spiritus, sed potius decrementum. Neque enim animæ profectus in eo est, ut de Deo multa sciamus cogitando concipere vel meditari: sed ut eum magnopere amemus. Amor vero iste non aliter acquiritur, quam deliberata animi definitione ad operandum & patiendum Dei causa.

## PRAXIS QVAEDAM

*devotæ ac continuæ cum Deo conversationis. Quæ continuata quædam oratio merito vocari possit. Ex libello dicto ( prattica spirituale d, una serva di Dio ) l. 1. c. 1. in latinum versa.*

PRimus ac summus eorum Superiorum, quibus obedientiam ac reverentiam omnem debeo, Deus benedictus est. Ad eum igitur, tanquam ad finem ultimum omnium rerum semper dirigebam animam meam. Et ideo dabam operam, ut eum spectarem omni tempore præsentem oculis mentis meæ, eo intendens cogitationes meas, ut quidquid facerem, cogitarem, loquerer, omnia in ipsius præsentia fieri intelligerem. Id quod ex frequenti exercitio per eiusdem gratiam adeo mihi est facile factum, ut difficilimum mihi iam foret, alio mentem divertere.

Nihil vero hactenus uspiam inveni, quod me æque efficaciter à minimis etiam peccatis abstraheret, præter unum hoc, quod cogitarem me versari in con-

in conspectu Dei Hæc effecit, ut declinarem omnē ociosam conversationem, omnem sermonem superfluum, omnem inutilem occupationem. Per hoc facilitatem contraxi elevandi mentem ad Deum, ut passim colloquerer, iam cum ipso Domino Deo meo, iam cnm anima mea, iam etiam cum Sanctis, quos veluti Dominum, & Creatorem suum circumstantes imaginari consvevi.

*Affectiones animi septem, quibus erga Deum nos in præsentia eius ferre par est.*

AD hæc vero summo etiam studio conabar, ut in voluntate aliisque potentiis animæ meæ efficaciter imprimerem septem quosdam affectus, vel motus animi erga Deum, tam in oratione, quam quovis alio in loco, siquidem de his sæpe legi, & audivi, Deo inprimis gratos esse.

1. *Affectus Amoris Dei. Et signa eius sex.*

PRimum enim omni studio quærebam verum quendam & ardentem amorem erga Dominum meum. Eum vero non ante me assecutum satis existimabo, quam sequentia signa sex in me reipsa experiar.

Primum si sensero sinceram quandam cordis mei affectionem, in omnibus meis desideriis erga Dominum Deum talem, qualem habet infantulus erga matrem suam; ut sine qua nulla res, eum satis recreare possit. Quamdiu enim affectio mea non fuerit talis, non mihi videbitur syncera satis, & ex corde proficiscens dilectio.

Secundo, si amor meus fuerit operosus, prodens hoc reipsa, quod corde desiderat, nec satis sibi ducens bona habere desideria, vel dicere: cras faciam, aut alio tempore. Alioqui enim non nisi verbalis amor foret, non operum.

Tertio, si idem amor fuerit vniens, hoc est, abstra-

ſtrahens me ab omni amore creaturæ, ac inprimis ab amore proprio, ne quidpiam obſtet, quominus uniatur ſpiritus meus cùm Spiritu Domini Ieſu. Quod ſi opus ſit amare aliquam creaturam, ut id non niſi ex Deo procedat, & in Deo fiat. Talis enim demum vere eſſet uniens Amor.

Quarto, ſi amavero ſollicite procurans quotidie amare etiam multo magis, quam hucuſque fecerim, & adimplens cuncta ſine mora, quæ intelligam neceſſaria ad obſequium Domini mei, fugiendo ocium, tanquam capitalem hoſtem veri amoris.

Quinto, ſi idem amor fuerit purus, ſyncerus, ſine admixtione, & reſpectu, vel utilitatis propriæ, vel conſolationis, ſed unam duntaxat honorem, & gloriam divinæ Maieſtatis, reſpiciens in omnibus omnino rebus.

Sexto, ſi fuerit fortis, & conſtans, Suſtinens cùm alacritate omnes afflictiones, dolores, cruces, & adverſitates, quæ mihi undecunque ex divina providentia evenerint. Cogitare enim debeo, omnia talia mihi à Domino meo immiſſa, pro ſingulari indicio benevolentiæ ſuæ, ideoque conſolari in illis, cognoſcens certo eſſe dona valde precioſa, quæ Dominus impertit ſuis ſingularibus amicis.

*Secundus Affectus, Timoris Dei, & eius tria ſigna.*

SEcundus Affectus: Studebam magnum habere Timorem Dei, non illum ſervilem, ſed filialem. Eum vero me tunc habere cognoſcam, qualem debeo, quando tria hæc in me ſenſero.

1. Profundam reverentiam in conſideratione Maieſtatis & infinitæ Magnitudinis Domini Dei mei, ante cuius conſpectum tremunt omnes Spiritus coeleſtes: id quod toties vellem ſentire in me, quoties de illo recogito.

2. Si timuero omne illud admittere, quod ei qua-

quavis ratione displiceat, etiam si id videretur minimum. Considerando vero quod eum possim offendere, non mortali peccato tantum, sed etiam veniali, si intremuero videns abiectionem meam, quam sim vilis, & fragilis, quamque indigeam divino auxilio semper.

3. Si timuero, ne excludar ab illius gratia, certo sciens innumeros esse, qui eam perdiderint, eo, quod non ambulaverint recte ante faciem eius. Atque hunc Sanctum Timorem, quia summe mihi est necessarius, petii a Deo in omnibus orationibus, & petam, quamdiu vixero.

*Tertius affectus, Zelus honoris Dei, & duo eius signa.*

TErtius Affectus: Eadem omnino ratione, verum zelum honoris & gloriæ Domini mei in me omni conatu habere cupiebam, non secus, ac ille, qui rem aliquam valde caram possidens, habet zelum, si eam ab aliis contemni videat.

Eum vero iustum tunc me habere agnoscam, si sensero primo dolorem cordis intrinsecum, considerans, quam parum amoris, amor ille infinitus Dei referat à creaturis suis, ut quæ potius amant res huius mundi, & seipsas, negligendo divinam illius Maiestatem, resque æternas vitæ futuræ, atque accumulando in singulas horas peccatis peccata, offendentes eum innumeris modis, quod absque vehementi dolore nec dici nec cogitari potest.

Deinde, si habuero desiderium salutis proximorum, curando, quam fieri possit diligentissime, iuvare illos bono opere, & exemplo, satisfactione pro peccatis ipsorum, orationibus, lacrymis, & adhortationibus, ut peccata deserant, & cognoscant Dominum & Creatorem suum. Sed & hoc desiderium salutis proximorum tunc demum cognoscam me aliqua ex parte acquisivisse, cùm pro-

priæ necessitatis & ultilitatis meæ immemor, omnes conatus impendam in quærenda salute proximorum, eodem modo, quo facerem ob salutem meam propriam.

*Quartus affectus, Desiderium laudandi Deum.*

QVartus: In hoc quoque magnam ponebam diligentiam, ut interno animi motu laudarem & benedicerem divinam Maiestatem, cùm omni promptitudine cordis, & lætitia. Quod cognovi me debere facere, non in oratione solum & divino officio, verum etiam in omni tempore, & in omni loco, & in omni re, quam viderem, vel audirem, ac in omnibus quæ mihi acciderent sive bona, sive mala, tam prospera, quam adversa. Vnde horrebam facere mea opera ex consvetudine, & negligentia. Cùm enim obliger facere omnia ad gloriam Domini mei, debeo illa cùm alacritate, & svavitate interiori perficere, timens illud, quod ait Propheta. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Hiere. 48.

*Quintus affectus, Desiderium plene semetipsum offerendi Deo.*

QVintûs: Desiderabam summopere sentire hunc in animo affectum, quo me vere ac integre, offerrem & traderem sacrificium in igne charitatis Domino meo, ut amplius nihil mei in me habeam. Idcirco sæpius in die orabam, ut fiat in me, & in omnibus rebus beneplacitum Dei, postulans ab eo veram mei ipsius abnegationem, & mortificationem. Hunc vero affectum, tunc me obtinuisse existimabo, cùm sensero me esse in oculis Dei, sicut lutum in manibus figuli, ex quo facere potest, quod sibi libet, vel sicut eram, antequam me crearet Deus.

*Sextus affectus, Gratiarum actionis.*

SExtus: Sollicite curabam habere alium illum affectum

fectum Gratiarum actionis Domino meo, & recognitionis omnium beneficiorum tam generalium, quam particularium, & singularium etiam minimorum, quæ singulis horis mihi liberalissime confert, ut ex hac cognitione intelligam totum, quod facere possem cogitatione, verbo, opere, nihil valere ad satisfaciendum vel ex minima parte obligationi, quam illi debeo, Ex hoc affectu, nascetur in me (quando Domino placuerit) magnum illud odium, quod habere debeo adversus execrandum ingratitudinis vitiū, quod exiccat fontē misericordiæ divinæ, ut habere possim maiora dona de liberalissima manu ipsius.

*Septimus affectus, Delectari in Domino solo.*

SEptimus: Curabam, ut omnes meæ deliciæ, gustus, & consolationes essent in Domino, & iis rebus, quæ ad illum pertinent, cum ipse sit omne bonum, thesaurus, & Paradisus in hac vita, & in futura, creaturæ intellectualis. E contrario desiderabam fastidire, & odio habere mundum cùm omnibus rebus eius, & displicebat mihi eas videre, de iis audire, & cogitare, non secus ac si penes me rem aliquam foetidissimam, vel cadaver haberem, quod adstanti sibi incutit horrorem. Existimo facile per gratiam Dei cognoscere me posse, num huiusmodi effectum habeam, si consideravero qua ratione cogitem, vel loquar de hac re, vel illa, & cùm quo sit conversatio mea. Ex his enim rebus cognoscitur affectus cordis, sicut ex fumo ignis.

*Oratio ad Deum pro impetrandis affectionibus præfatis.*

AD extremum in omnibus orationibus, meditationibus, & petitionibus, quas feci ad Dominum instanter & sagaciter ab eo petii affectus hos septem prædictos his vel similibur verbis:

Fac mi Domine, ut ego te in veritate, & perfecti-

one diligam; ſumme te timeam & reverear; maximum tui honoris, & ſalutis proximorum zelum habeam. Sit Domine ſemper in corde meo, in ore meo, & in omnibus actionibus meis gloria tua; offeram me cùm integra & perfecta reſignatione in verum holocauſtum ſanctiſſimis manibus tuis. Concede mihi Domine, ut reddam tibi ſemper infinitas gratias; & ſimul in ſolo te, rebuſque tuis ſit dilectio mea cùm odio rerum mundi huius, ut ſerviens tibi perfecte in hac vita, poſſim videre te, & delectari in te, cùm omnibus Sanctis in Regno tuo in ſæcula ſæculorum. Amen.

SEQVVNTVR

*Orationes quædam pro Societate Jeſu.*

DEus, Qui nos à ſæculi vanitate converſos, ad bravium ſupernæ vocationis accendis, pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perſeveremus, infunde; ut protectionis tuæ muniti præſidiis, quod te donante promiſimus, impleamus, & noſtræ profeſſionis executores effecti, ad ea, quæ perſeverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus.

Deus, Qui renunciantibus ſæculo, manſiones paras in coelo, dilata fratrum noſtrorum corda coeleſtibus bonis, ut fraterna teneantur compagine charitatis, unanimes præcepta cuſtodiant, Sobrii ſimplices, & quieti, gratis ſibi datam ſuæ profeſſionis gratiam fuiſſe cognoſcant: concordet illorum vita cùm nomine, profeſſio ſentiatur in opere.

Dignare benigniſſime Ieſu, per hoc Sanctum Nomen tuum, eſſe mihi Ieſus, & dare mihi Spiritum Societatis Ieſu: inſere, quæſo, cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut eius dulcedine paſcar, eiuſque amore ita ardeam, ut moriar in te, Ieſu mi dulciſſime, Ieſu mi ſvaviſſime, Ieſu mi dilectiſſi-

me,

me, invocato ſemper hoc iucundiſſimo, hoc melli-fluo, hoc ſalutifero nomine tuo Ieſu, Ieſu, Ieſu.

*In Noſtris & Noſtrorum neceſſitatibus. Ad Chriſtum Dominum.*

*Antiphona:* Sub tuum præſidium confugimus, pie Ieſu Domine, qui famulo tuo B. Ignatio in via apparere, eique propitium te futurum promittere dignatus es: noſtras famulorum tuorum ad te clamantium deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Chriſte glorioſe & benedicte.

℣. Propitius eſto nobis Domine ſperantibus in te.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus tuis.

*Oremus.* Deus, Qui neminem in te ſperantem nimium affligi permittis, ſed pium precibus præſtas auditum; propitiationem tuam, quam ſervo tuo B. Ignatio promittere dignatus es, ad nos quoque famulos tuos clementer extende, & neceſſitatibus noſtris, pro quibus te humiliter deprecamur, eiuſdem meritis, & precibus opportune ſuccurre. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto, vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

*Ad Matrem Chriſti B. V.*

CORdi quæſumus tibi ſit, Maria Virgo, Dei Mater Optima, univerſi ordinis noſtri famulatus: fratribus noſtris impetra cor ſecundum cor Dei, Ieſu Filii tui dilectiſſimi, & qui ſe ad Societatem eius vocatos eſſe lætantur, fac, ut eiuſdem filii tui nomini coram gentibus & populis portando, & ſuæ vocationi implendæ gratiam, opemque ſibi ab ipſo, te intercedente, ſentiant adeſſe perpetuam. A.

*Oratio ad B. P. N. Ignatium.*

O Beate Pater noſter Ignati, qui poſt Chriſtum primus, ac præcipuus fundator eſſe meruiſti Minimæ Societatis Ieſu, humiliter te precamur, ut

tua

tua omniumque filiorum tuorum, qui una tecum iam præsenti Domini N. aspectu fruuntur, intercessione, nobis ( miseris licet & indignis peccatoribus, attamen sic quoque filiis tuis, ) impetres à Domino, gratiam, qua omnibus diebus vitæ nostræ ambulemus digne vocatione nostra, in fide vera, spe firma, charitate ardenti, humilitate profunda, patientia perfecta, obedientia prompta, castitate pura, & altissima spiritus paupertate, ut ita in nobis & per nos plene impleatur divina eius voluntas, in vita & in morte, in tribulationibus & consolationibus; in labore & quiete, secundum beneplacitum divinæ eius Maiestatis. Amen.

*Commemoratio B. P. Ignatii.*

*Antiphona.* In doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Dei Israël.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.

℟. Et exultabo in Deo Iesu meo.

*Oratio.* Deus, Qui servum tuum B. Ignatium zelo animarum ad maiorem nominis tui gloriam inflammare dignatus es; præsta quæsumus, ut qui eius propter te vestigia sequimur, nunquam ab amplificanda tua laude cessemus. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

*De B. P. Francisco Xaverio.*

*Antiphona.* Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.

℣. Omnibus omnia factus sum:

℟. Vt omnes Christo lucrifaciam.

*Oremus.* Deus, Qui Evangelium regni tui, per barbaras gentes, & reconditas nationes, B. Francisci Xaverii servi tui prædicatione seminasti, & eius sanctitatem mira purissimi corporis incorruptione declaras; concede quæsumus, ut cuius recolimus memoriam, imitemur & mores.

De Be-

*De Beatis è Societate Iesu Martyribus.*

*Antiph:* Charitas Christi urget nos, pro omnibus enim mortuus est, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

℣. In his omnibus superamus.

℟. Propter eum qui dilexit nos.

*Oremus.* Omnipotens sempiterne Deus, qui servis tuis N.N. iu societatem Filii tui vocatis, Apostolicum studium in gentium conversionem, & hæreticorum reductionem inspirasti, idque martyrii gloria decorasti; concede propitius, ut ipsis & passionis socii, & consolationis esse mereamur. Per eundem &c.

*De Beatis è Societate Iesu Confessoribus.*

*Antiph:* Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius.

℣. Pro Christo legatione fungimur:

℟. Reconciliamini Deo.

*Oremus.* Deus, qui famulos tuos N.N. ad maiorem nominis tui gloriam, in societatem Filii tui vocare dignatus es, largire quæsumus, ut quos eiusdem instituti socios habuimus in terris, eorũ gloriæ participes fieri mereamur in coelis. Per eundem Domi: &c.

*Oratio Matutina B. Henrici Susonis, ad æternam sapientiam.*

ANima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane evigilavi ad te, ô præclarissima sapientia, petens! ut desiderata præsentia tua, cuncta nobis adversantia removeat, & penetralia cordis nostri sua multiformi gratia perfundat, & in amore tuo vehementer accendat.

Et nunc dulcissime Domine Iesu Christe, ad te diluculo consurgo, teque intimo cordis affectu sa-

luto, millia quoque millium coeleſtium agminum tibi miniſtrantium te ex me ſalutent, & decies millies centena millia tibi aſſiſtentium te ex me glorificent, univerſalis quoque harmonia omnium creaturarum te ex me collaudet, & nomen tuum glorioſum, protectionis noſtræ clipeum, benedicat in ſæcula, Amen.

*Oratio ante Miſſam &c.*

*Gregorius XIII. Pont. Max. conceſſit cuilibet Sacerdoti dicenti infra ſcripta verba, quinquaginta annorum indulgentiam.*

EGo volo celebrare Miſſam, & conficere corpus, & ſangvinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad laudem Omnipotentis Dei, totiuſque curiæ triumphantis: ad utilitatem quoque meam, totiuſque curiæ militantis, pro omnibus, qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere, & in ſpecie, & pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Amen.

Gaudium cùm pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem Sancti Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominꝰ, A.

*Oratio ante divinum Officium.*

APeri Domine os meum, ad benedicendum nomen Sanctum tuum; munda quoque cor meum, ab omnibus vanis, perverſis, & alienis cogitationibus; intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente, ac devote hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear, ante conſpectum divinæ maieſtatis tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. A.

Domine in unione illius divinæ attentionis, qua ipſe in terris laudes Deo perſolviſti, has tibi horas perſolvo.

*Poſt divinum Officium.*

Sacro-

SAcrosanctæ, ac individuæ Trinitati, Crucifixi Iesu Christi Domini nostri humanitati, & Beatiss. & gloriosiss. Virg. Mariæ foecunditati,& integritati, ac omnium Sanctorum Sanctarumque universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus & gloria, ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, nunc & semper,& per infinita sæcula sæculorum. Amen.

B. Viscera Mariæ Virg, quæ portaverunt æterni Patris,Filium: & B.ubera quæ lactaverunt Christum Dominum. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Amen.

*Quomodo sint recitandæ horæ Canonicæ.*

| | | |
|---|---|---|
| Pura mentis elevatione | Artendendo quia sto in conspectu: | Angeli custodis, Aeterni Iudicis, Inimici persequētis. |
| Plena cordis attentione, | Actuose desiderando: ut | Deus laudetur, Coelestis curia lætetur, Totus mundus iuvetur. |
| Perfecta oris pronuntiatione, | Integre proferendo, ut nihil. | Prætermittam dicendum, Superaddam inordinatum, Hinc inde transponam. |

CAPVT III.

DE VIRTVTE OBEDIENTIÆ.

*Monita ac documenta singularia deObedi.B.P. N.Ignat. Ex lib. 5. vitæ eius per P. Petrum Ribaden. S. I. C. 3.*

OPtabat Ignatius filios suos, cùm omnibus virtutibus excellere, tum maxime obedientia, in eamque omnem operam, studiumque conferre. Hanc enim aiebat, præclarissimam esse virtutem, ac nobilissimam; omni victima sacrificioque præstantiorem, ( 1. Reg. 15. ) humilitatis filiam, nutricem caritatis, iustitiæ comitem, religiosarum omnium

virtutum ducem ac magistram; inimicam propriæ voluntatis, fraternæ benevolentiæ, & concordiæ matrem, tranquillitatis portum, & securæ mentis iuge convivium.

Dicebatque: ut nounullæ Religiones, aliæ aliis rebus Societeti præstant: sic optare se, ut hæc Societas, obedientæ virtute, cæteris antecellere niteretur. Eius porro dignitatem, atque præstantiam sic explicabat:

Quemadmodum in hominum vita duæ sunt hominibus propositæ ad beatudinem viæ, altera pervulgata, & communis, quæ divinis præceptis servandis continetur; altera illorũ, tantũ quiChristi consilia toto pectore complectuntur, quæ via religionis est; sic in ipsa religione, duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum, & omnibus absolutum numeris: in quo vis obedientiæ elucet, hominisque Religiosi virtus maxime apparet. Imperfecta obedientia, male oculata est; perfecta, sapienter cæca: illa iudicium suum de imperatis rebus sibi servat; hæc iudicium proprium non habet: illa in alteram propendet partem; hæc in neutram potius movetur: illa mandatis paret, iudicio repugnante; hæc iudicium iudicio, voluntatem, superiorum suorum subiicit voluntati.

Quocirca docebat Ignatius, eam obedientiam imperfectam esse, quæ præter executionem, non habet voluntatis, & iudicii consensum. Nam obedientia, quæ in executione solum posita est, obedientiæ non meretur nomen: quæ vero ad actionem voluntatem adiungit, efficitque ut ille qui obedit, id ipsum velit, quod qui iubet, nondum perfecta est, si eo non progrediatur, ut id ipsum non solum velit, sed etiam sentiat, quod superior sentit; &

quod

quod iubetur, bene iuberi existimet: sic, ut præter executionem sit eiusdem voluntatis, & sententiæ, inter eum, qui iubet, & qui obedit, consensio.

Hæc obedientia rectissima est, & omnibus expleta numeris, maximeque excellens, qua veluti captivamus intellectum in obsequium obedientiæ, & id rectum credimus, quodcunque sit à superioribus nostris præscriptum: neque rationes præscripti exquirimus, aut sequimur, sed obedientiam avide arripimus, nulla alia de causa, nisi quia obedientia est. Tunc mortui nobis sumus, ut Deo vivamus: ( *Gal.* 2, ) neque in ullam partem impetu animi, atque inclinatione ferimur, sed indifferentes sumus, & ut mare, nullo vento movente, tranquillissimi.

Nam illi alii, quorum vel voluntas obmurmurat, vel ratio obstrepit, & obedientiæ contradicit, nondum sunt illud consecuti, quod Dominus in Evangelio ait: *Ioan.* 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Isti enim adhuc moriuntur, necdum plane mortui sunt: & quia cæci non sunt: peccatum interdum habent: ( *Ioan.* 9. ) & videntes cæci fiunt; affirmabatque Ignatius eos, qui voluntate tantum obediunt, ratione repugnante, unum tantummodo in Religione pedem habere, atque in magna plerumque incommoda incidere, & gravissimis perturbatæ conscientiæ molestiis implicari, multumque ab eo Spiritu degenerare, quem in ipso Religionis ingressu habuissent; qui nisi studiose teneatur, labitur sensim, & effluit.

Quapropter omni contentione elaborandum esse dicebat, ut id, quod sequimur, assequamur: & perfectionis viam ingressi, perveniamus ad id, quod

in Religione perfectissimum est. Id addipisei haud fore difficile, iis rationibus:

Prima: si nos Deo totos, penitusque commiserimus, & divinæ illius providentiæ, universum orbem terrarum gubernanti, habuerimus fidem: qua unicuique dat gratiam secundum mensuram donationis Christi. ( *Ephes.* 4. ) Et superiori, ut regat; inferiori, ut obediat, facultatem tribuit.

Altera: si vocationis nostræ ductum sequemur, ac spiritum, & non quis sit, sed cuius personam gerat, quicunque tandem sit, qui nos regit, perspexerimus.

Tertia: si fallacibus argumentis, quæ contra obedientiam obiiciuntur, prudenter exclusis, ea exquiremus diligenter, quæ sunt verissima, & pro superioris faciunt voluntate.

Quarta: si eorum exempla, qui in simplici, perfectaque obedientia, præter cæteros excelluerunt, ante oculos semper habuerimus: maximeque illius, qui propter nos Patri factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Si denique oratione instructi, humilitate ornati fuerimus; neque opinionibus inflati, neque amoris proprii, neque existimationis ( quæ veræ obedientiæ pestes sunt ) cupidi, sed demisse de nobis sentientes, nostrique iudicii, atque ingenii agnoscentes infirmitatem, non plus sapiamus, quam oportet, sed sapiamus ad sobrietatem. ( *Rom.* 12. )

Hæc sunt Ignatii præcipua quædam de virtute obedientiæ præcepta, quibus erudiebat suos, & ad omnem præclarissimæ virtutis excellentiam, splendoremque conformabat.

Sed quoniam uno anno, antequam moreretur, hac ipsa de re, quid sentiret, expressit, illud minime prætermittendum videtur. Nam admirabili illa

de o-

de obedientia, atque divina epistola non contentus, quam ad Fratres nostros Lusitanos scripsit, scribæ qui exciperet, ad se accersito; Scribe, inquit, quid ego de obedientia sentiam, ut hoc ipsum testatum Societati relinquam; undecimque brevissimis capitibus rem universam complexus est, quæ ego de Hispanico sermone in Latinum ad verbum pene conversa, hic attexam: ut res utilissima, maximeque Religiosis hominibus necessaria, ex ore tanti viri plenius intelligatur. Sic igitur habent:

I. In ingressu Religionis, vel post ingressum, resignatus ( hoc est, propria exutus, atque ab aliena pendens voluntate ) omnino esse debeo in conspectu Dei, ac Domini nostri, eiusque qui, loco Dei mihi præest.

II. Optare debeo, ut ille me gubernet, ac regat, qui abnegationi mei proprii iudicii, & intellectus invigilat.

III. In quibus rebus peccatum non est, in iis omnibus voluntatem illius sequi, non meam, debeo.

IV. Tres sunt obedientiæ gradus: primus est, cùm fit obedientia propterea, quod aliquid in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur, & hic quidem onus est. Alter: cùm fit, quod simpliciter mandatur, & melior est. Tertius est, cùm obedientiam prævenimus, & id facimus, ad quod superiorem propensum cernimus, tametsi nihil ille præcipiat: & hic quidem cæteris longe perfectior est.

V. Non debeo cogitare, qui me gubernat, summusne, an medius, an infimus sit, sed devotionem meam omnem in obedientia collocare, & illud magni pendere, quod loco Dei Domini nostri præsidet. Nam personarum, si distingvas gradus, perit obedientiæ vis.

VI. Si quando tempus inciderit, quo initio vi-

deatur à Superiore meo quid præcipi, quod contra conſcientiam meam ſit, Superiori vero aliud videatur, illi potius, quam mihi credam, ſiquidem aperta ratio non repugnat. Quod ſi hoc in animum inducere non poſſum, at certe meum iudicium, ſenſumque relinquam, & ad unius, aut duorum, triumve iudicium rem totam reiiciam, ut quod ab illis iudicatum ſit, id ſequar. Hoc ſi recuſo, longiſſime à perfectione abſum, & ab iis virtutum officiis, quæ veri Religioſi ſunt maxime propria.

VII. Deinque meus eſſe non debeo, ſed eius, qui me creavit, quique illius locum tenet, ut me duci, tractarique inſtar molliſſimæ ceræ ſinam, quæ ſequitur fingentis manum. Vt in ſcribendis, accipiendiſve literis, & contra, in colloquio cum fratribus, aut ſilentio, id mihi ſalutare credam, quod iuſſus fuero, devotionemque meam in eo, quod præcipitur, totam conſtituam.

VIII. Ita me inſtituam, quaſi corpus mortuum, quod neque voluntatem, neque ſenſum habet. Secundo: non aliter quam parvulam quandam ſtatuam, quam, quoquo verſum velis, haud repugnantem vertas. Tertio: talem me fingam, ac præſtabo, qvalis baculus in manu ſenis eſt, ut me ad arbitrium ſuum utatur, ibique ponat, ubi eum adiuvare maxime poſſim: ſic ego paratus ad omnia ſim, ad quæ mea opera Religio uti velit, nihilque recuſem, quod ſit imperatum.

IX. Neque petere, neque rogare, multo minus flagitare debeo à ſuperiore, ut me aliquo potiſſimū mittat, ut in hoc potius, quam in illo munere exerceat; ſed cogitationes meas, ſive deſideria ſimpliciter exponere, atque ad illius pedes abiicere; ut ille conſtituat, atque imperet, ego, quod ab illo conſtitutum fuerit, atque imperatum, id optimum putem.

X. In

X. In rebus tamen levibus, ac bonis, facultas peti potest; ut ad stationes Vrbis obeundas, ad spirituales gratias petendas, & his similia: dum eo tamen animo sis, ut quod concessum, negatumve sit, id optimum credas.

XI. In his præterea, quæ ad paupertatem spectant, nihil meum ducam, sed ita me comparem, ut quarum rerum usum habeo, earum me vestitu, cultuque ornatum, quasi statuam existimem, quæ ornatum detrahenti, nihil omnino aut resistit, aut repugnat. Hæc illa.

Neque vero nostrorum tantum obedientiam, ad hoc exemplum exigebat, verum etiam aliarum Religionum homines, si qui forte de obedientia superioribus præstanda, consilium ab Ignatio peterent. Ipse vero expletæ huius, cumulatæque obedientiæ Magister, mordicus illam retinebat. Nam quo tempore, Societate nondum constituta, spes omnis Hierosoymam navigandi, nostris Patribus erepta est, P. Iacobus Laynes Ignatio dixit, habere in votis se in Indiam, ad salutem sylvestrium illorum hominum, atque efferatorum proficisci: Cui Ignatius; Ast ego, inquit, nequaquam. Causam rogatus, nimirum: quia cùm obedientiæ voto simus obstricti, Summoque Pontifici integros nos ad eius voluntatem obtulerimus, ut quocunque terrarum velit, suo nos arbitrio mittat, indifferentes esse debemus, ac medi, & in neutram potius partem pendere. Imo vero si me hoc tuum desiderium teneret, in contrariam partem flectere conarer animum: ut in ea æquabilitate tandem, statuque consisterem, qui ad obtinendam perfectam obedientiã est necessarius.

Cùm vero Præpositus esset Generalis, aliquoties dixit: si Summus Pontifex imperaret, ut ostio Tyberino scapham, vel navigium quodcunque pri-

mum

mum inveniſſet, clavo, malo, velis, remis, cæteriſque armamentis ſpoliatum conſcenderet, & ita abſque ullo commeatu, mare traiiceret, ſe id non ſolum æquo, ſed etiam libenti animo facturum. Cùm autem quidam ſummus vir, hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quæ iſthæc eſſet prudentia; reſpondit Ignatius: prudentia, Domine, non tam eſt parentis, quam imperantis.

*De eadem obedientiæ virtute B. P. Franciſci Xaverii monita atque Exempla.*

*Ex lib. 6. Horatii Turſelini de vita eius. Cap. 8.*

NEc ſe cæterarū rerum facultate magis,quam ſuæ libertate, arbitrioque abdicaverat, in quo ſumma obedientiæ laus cernitur. Quæ virtus, præcipuum Societatis IESV decus,in Franciſco inde uſque ab initio maxime enituit, cùm ab Ignatio miſſus in Indiam eſt. Satis conſtabat, navigationem Indicam non minus periculoſam eſſe, quam longinquā. Et Societas, qualiſcunque erat, tum non imperio Ignatii, ſed auctoritate, adminiſtrabatur. Franciſcus tamen omnium, præterquam obedientiæ, immemor, promptius etiam paruit, quam iubebatur, nullaque interpoſita mora, in poſterum diem ad iter pene infinitum paravit ſe,ut ſummæ illi in obſequendo alacritati Deus ultimas Orientis oras apernuiſſe videatur.

In Luſitania porro Indiaque, incredibile dictu eſt, quam libenti prolixoque animo exequeretur, quæcunque illi per literas præcepiſſet Ignatius. Itaque homini cuncta ad obedientiæ normam exigenti adeo ſatisfecit, ut non alius obſequii laude clarior fuerit; dignus prorſus tali Magiſtro diſcipulus. Franciſcus quippe tantum tribuebat Ignatii ſanctimoniæ, ut eum tanquam cœleſtem, divinumque virum ſuſpiceret, Quocirca illum in ſermone,

illum

illum in literis nominans, semper aut benedictum appellabat, aut Sanctum. In reliquiaria quoque theca, quam suspensam gestabat è collo, Ignatii nomen ipsius manu scriptum (absciderat enim eius epistolæ subscriptionem) una cùm sacris reliquiis, suæque professionis formula incluserat. Sociis autem præcipiens adiicere solitus erat: Hoc vobis pro vestra reverentia obedientiaque adversus Sanctum Patrem nostrum Ignatium, præcipio.

Haud minus fiduciæ Ignatio erat in modestia obsequioque Francisci. Eius rei vel illud certissimum indicium fuit, quod res quamvis arduas sane fidenter ei imperabat, haud dubius, quin exsequendum foret, quicquid imperasset Xaverio. Proinde providens velocem fore depositionem tabernaculi sui, cùm Franciscum præcipuum Societatis columen Romam revocandum censuisset, epistolam ad eum ita scripsit, ut, expositis sui consilii causis, ad extremum una litera, I, seorsum subscriptioni adiecta, rem designaret omnem. Significabat scilicet adeo se Francisci obedientiæ confidere, ut non dubitaret, quin Romam vel ex ultimis terris & ex medio Evangelii cursu revocanti, etiam nulla talis itineris causa demonstrata, obtemperaturus esset, una duntaxat litera, qua ire iuberetur, invitatus. Neque sua Ignatium de Francisci ocedientia opinio fefellisset: omnino enim illud, I, eius perpulisset animum, ut è vestigio ab ultimo fere Oriente in Europam iret, nisi ante Ignatii literas perlatas ille iam ad suorum laborum præmia abiisset in coelum.

Franciscus porro, ut ipse in omni vita obsequendi studio præstitit, ita Sociis omnibus huius virtutis primam voluit esse curam. Ergo illos subinde & coram, & per literas admonens inculcabat, sine

vera

vera germanaque obedientia, hoc est, prompta atque hilari, verum germanumque Societatis alumnum ac filium esse neminem, siquidem ea virtute vacuus, cùm animi lœtitia fructuque in Societate perseverare non posset. Præcipiebat igitur Sociis, ut ex animo obsequentes, totos se ad arbitrium Præpositorum Societatis, Ecclesiæque, fingerent, ad eorum non modo imperium, sed etiam nutum intenti. Longe enim tutius esse regi, quam regere, & parere, quam imperare.

*De eadem obedientiæ virtute documenta & exempla B. P. Francisci Borgiæ.*

*Ex lib. 4. vitæ eius. &c.*

EX ea ipsa Humilitatis radice, nata in Francisco virtus est obediendi Deo, & homini, quem ille sibi præfecisset. Obedientiam itaque tutum appellabat navigium, quo tanquam per vitæ procellas, portum Religiosi viri capiant, rideantque tempestates, & dies noctesque securi navigent. Igitur cùm in omnibus Christum sibi ad imitandum proposuisset, in conspectuque eius ambularet, ubi expressa illius vestigia cerneret: tum vero præcipue Obedientiæ virtutem in eo mirabatur; qui coeli terræque cùm esset Dominus, subditus tamen Parentibus fuit: quam vittutem ne omitteret, inquit Bernardus, mori maluit: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Præfectos Societatis, usque eo revereri solitus est, ut licet potestate iam abiissent, eodem quo antea habito respectu coluerit.

Literæ ab Ignatio datæ, cùm redditæ illi in Hispania essent, flexis genibus precabatur Deum parendi facultatem largiretur iis, quæ mandarentur, & veluti missam coelo vocem interpretabatur, servabatque religiose.

Nec

Nec fugit Ignatium, quam prompte, & alacriter iussa exequeretur. Nō itaq; sic imperabat: hæc ita curabis, sed modeste: *nobis hæc ita visa, tu pro tua prudentia, reique opportunitate, quando abes propius, arbitratu tuo rem gere.* Nihilominus, ne latum quidem unguem ab Ignatii iussis discedebat, sed accuratissime, exhauriebat, quæ mandasset: nisi si essent, quæ absentem fugissent Ignatium.

Recreatus à lento morbo, cùm liberalem animi, honestamque relaxationem, valetudinis corroborandæ, adhiberet, à sacerdote audivit: *Ignatium eiusmodi relaxationibus minus delectari:* è vestigio igitur abstinuit, nefas ducens, ab illo, quem oculis ferret ad eam diē, moribus sententiaque discedere.

Non dissimili studio coquo domi operam dabat. Evocato à Lusitaniæ Regina schedulam ostiarius attulit, cui ille. *A coquo,* inquit, *veniam, poscas licet, cui nunc pareo* Ad hæc coquus: *Vade Pater; at reditum matura; opus enim mihi adhuc opera tua. Reginæ itaque narra,te coquo domi operam dare; quo facilius missionem impetres.* Eadem ille animi simplicitate dicto audiens fuit, retulitque imperium. Regina quoque libenter assensa, missum fecit: admirantibus, laudantibusque cunctis, promptam in Francisco parendi, vel coquo, voluntatem.

Dicere solitum, accepimus, sperare se, fore, ut Societas, Deo bene iuvante, vigeret, imo cresceret in maius, tribus, potissimum de causis: Orationis inprimis studio, frequentique usu Sacramentorum. Dehinc, si à multis Societatis innocentia oppugnaretur: Obedientiæ denique bono. Causam rogatus: in promptu, inquit, est. Oratio enim, Deo nos conciliat, atque coniungit: alterum à sæculi amore abducit. Nec enim salus, fidesque in hominibus est. Tertium vero, inter nos arctissimo fraterni

terni amoris vinculo colligatos, ut membra capiti adnectit.

## CAPVT III.
## DE VIRTVTE HVMILITATIS.
*Monita atque Exempla Humilitatis B. P. N. Ignatii Ex lib. 5. vitæ eius C. 3. P. Ribad.*

MIrum ſane eſt, quam ardenter ac cupide Ignatius humilitatem, ab ipſo ſuæ converſionis initio, tanquam virtutum omnium matrem, ac fundamentum complexus ſit. Itaque viliſſimo habitu ac ſeminudus incedebat, & tanquam mendicus cùm mendicis hoſpitabatur; ignotus, abiectus, contemptus vivebat; lucem, honorem, hominumque æſtimationem fugiebat: laceſſitus iniuriis, calumniis oppugnatus, carcere & catenis, pro Chriſto vexatus, incredibili loetitia replebatur, ut tota eius in vita videre eſt. Cui ſane vitæ, doctrina etiam illius de humilitatis virtute, omni ex parte reſpondit.

Summa ſpectantibus ab imis cenſebat (*Rom.*12.) incipiendum, ne alta ſaperent, ſed humilibus conſentirent. Itaque, quos aliquo primum mittebat ad vineam Domini, ſuis laboribus excolendam, eos ſic inſtituebat, ut humilitate, ac contemptione ſui viam ſibi ad ardua, atque excelſa munirent: quod tum demum reliquum ædificium ſtare poſſe diceret, ſi humilitatis eſſet fundnmento conſtitutum.

Sic Franciſcum Xavier, & Simonem mittens in Luſitaniam, monuit, ut oſtiatim mendicarent, perque contemptionem ac diſpicientiam ſui, aditum, ſibi ad fructum animarum, & Dei gloriam patefacerent. Alfonſum Salmeronem, Paſcaſiumque Broetum in Hyberniam proficiſcentes, ut Sedis Apoſtolicæ nomine Nuntiorum perſonam ſuſtinerent, pueros erudire, & Chriſtianæ vitæ documenta rudibus populis tradere iuſſit. Et Iacobum Laynem

atque

atque eundem Salmeronem à Paulo III, Pont. Max. ad Concilium Tridentinum destinatos, ut sententias suas in theatro illo orbis terrarum gravissimo, atque eruditissimo dicerent, ita instituit, ac commonefecit Ignatius, ut initio Xenodochia obirent, miseris hominibus ægrotantibus inservirent, egenorum haberent curam, pueros Christianis institutis prius imbuerent, & tum demum vocati iussique maiora capesserent, & ad sententias dicendas aggrederentur. Quod ita, ut iussit, factum est, & tam felici, quam scimus, successu.

Paupertatem matrem nostram vocabat, ignominiosumque affirmabat esse, atque indignum, si religiosi homines aut pecuniosi essent, aut haberentur.

Illud Dei misericordia est consecutus, ut per multos annos, antequam è vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit. Imo vero usque adeo erat divina luce perfusus, suique perfecte cognitor, atque contemptor, ut nullum se vitium diceret minus extimescere, quam vanitatis & gloriæ inanis: quæ ex ignoratione plerumque, & cæco amore sui ortum habet, & vel cedros ipsas Libani solet evertere.

Observavi aliquoties ego illum, cùm de propagatione Societatis, vel fructu, in sermone familiari mentio incidisset, vel de alia re quacunque, quæ cùm virtute illius, ac laude implicata videretur, colligentem statim se, obortisque lacrymis, pudore quodam suffundi.

Mihi aliquando dixit: illud sibi à Deo petendum esse, ut eius ipsius mortui cadaver volucribus, & feris laniandum abiiceretur. Nam cùm ego, inquit, sterquilinium & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam?

Vbi perspicua res non esset, atque evidens, facile

cile aliorum iudicium ſequebatur, & ſe, cùm ſuperior eſſet, inferioribus exæquabat.

Ludibrio omnibus ſe cupiebat eſſe: etſi animo indulgere ſuo voluiſſet, nudus, deſpicatus, & oppletus ſordibus, ut inſanus haberetur, per vicos ambulaſſet. Sed hunc humilitatis affectum proximorum utilitas reprimebat, & caritas: cui ut fructuoſius deſerviret, auctoritatis etiam ſuæ, ac perſonæ rationem habuit.

De rebus ſuis raro loquebatur, idque magna aliqua cauſa excitatus: vel ad ſanandos eorum animos & mœrore liberandos, qui ab ipſo conſilium peterent, ac medicinam: vel ad acuendos Socios, & adverſus omnes difficultates ſuo exemplo confirmandos, idque parce, & naſcentis Societatis initio: qua iam conſtituta, mira taciturnitate ſua omnia contexit.

*Item de Humilitate monita & exempla B. P. Franciſci Xaverii.*

*Ex lib. 6. vitæ eius C. 8.*

IAm obedientiæ parens & divinæ humanæque benevolentiæ concilliatrix humilitas in Franciſco, vel maxime enituit. Cuius indicia in eius vita, nec pauca ſunt, nec obſcura. Nam proficiſcens in Luſitaniam, comitum ſedulo curavit equos; & perpetuo tum domi,tum in valetudinariis,ad abiectiſſima quæque miniſteria avidiſſime deſcendit. Goam autem Legatus Apoſtolicus cùm veniſſet, Epiſcopi genibus advolutus, literas Regias & Pontificium diploma tradidit, his non ſecus, quam illi viſum foret, uſurus. Quæ modeſtia ſic Epiſcopi devinxit animum, ut non magis in Xaverio poteſtatem vereretur, quam ſuſpiceret modeſtiam.

Præcipua vero Franciſci in Eccleſiæ Præpoſitos veneratio fuit, quos, quaſi Dei faciem præferentes divi-

divino propemodum honore coluit. Namque & venerabundus eorum osculari solitus est manus; & interdum ad eorum genua se se prostravit. Cæterum (quæ eius humilitas erat singularis) non solum adversus Episcopum eiusque vicarios, verum etiam erga privatos Sacerdotes, & Clericos, maximam semper observantiam & submissionem adhibuit, pro omnium servo magis, quam pro Legato Apostolico, se gerens.

Nec vero exteriorem modo humilitatem coluit, indicem interioris; sed multo magis interiorem illam, quæ sita est in sui ipsius cognitione despicientiaque. Etenim cùm propter eximiam sanctimoniam haud secus quam vir Apostolicus suspiceretur; se tamen ipse nequissimum omnium mortalium iudicabat, id quod vel ex plurimis eius literis perspici licet. Itaque sui contemptor unicus, non minus laudem & honorem invitamenta arrogantiæ, quam cæteri vituperationem ac dedecus, horrebat. Quippe honorem perosus, honorantes ita aversabatur, ut iam constaret inter omnes, veterem illi simplicitatem esse cordi, fuci omnis & ambitionis expertem.

Proinde laudabiliter abs se facta solerter occultans, si quando ea vulgare aliorum utilitas cogeret, ita exprimebat, ut ad alium quempiam cerderes pertinere. Veluti ex Comorino Promontorio de rebus abs se gestis ad socios scribens, valetudinem ægris pluribus per se restitutam attribuit pueris, quorum qualicunque usus erat opera. Itemque de coelestibus gaudiis, quæ eodem loco Deus sua causa laborantibus impertiret, exponens, quod ipsimet usu venerat, quasi de alio quopiam citra mendacium narrat.

*De eadem virtute Humilitatis ex lib. 4. vita B.P. Francisci*

*cisci Borgiæ C.* 1. *scripta per Andream Schottum. S. I.*

SImul itaque Ducis se titulis sponte abdicasset, subscribere sua manu literis cæpit: *Franciscus peccator*; testatus, credo, quod de se ipse sentiebat, imitatus Isidorum aliosque innocentiæ vitæ claros, quos sic subscribere solitos accepimus. Ignatius tamen ne sermonem aliis daret Franciscus, neve in re inusitata secius loquendi ansam præberet, abstinere iussit, ut Franciscus, præterea nihil, subscriberet.

Quo die hebdomadis Sanctioris, CHRISTVM discipulorum pedes lavantem Ecclesia recolit, ad Tirones verba faciens: Nullum, inquit, hodie in mundo locum reperi. Sextum enim iam annum ad Iudæ pedes locum mihi fingebam: nunc, dum CHRISTVM attente considero, iis advolutum, lavare, tergere & osculari, nullum mihi inde expulso, relictum video locum.

Iu Xenodochio versans, visum ab illo ferunt humana specie Cacodæmonem superbe sic appellantem: Quid tibi hic negotii? tantus cum sis, inter scurras versari qui potes? Retudit fastum Franciscus: Equidem miror magis, te tam superbo præditum ingenio, miserum me atque peccatorem appellare dignatum. Sic ille fumi instar evanuit.

Olyssiponem ingresso Francisco, Ioannes III. Rex miserat è domesticis nobilem, qui eum salutaret. Qui cum fessusne de via esset, interrogasset, iteraretque identidem Domini nomen, Franciscus lepide illi respondit: fessus quidem de via accessi, sed magis Domini appellatione.

Tribus potissimum de caussis, Ducis titulum utilem sibi fuisse prædicabat. Primo, quod mortuorum iam in numero haberetur, ut Religiosi viri solent, & Gandiensi in ditione, defunctis Ducibus, anniversaria sacra quotidie peragantur. Deinde

cùm

cùm candidatos in Societatem ægre adoptari advertere, dicere solitum accepimus: Hoc mihi commodi Ducis titulus attulit: statim enim sociis adscriptus sum. Cæteroquin, ecquæ ( amabo ) in me ingenii doctrinæque dotes, quæ Societate dignum redderent? Deo itaque, Pontificique summo gratiam habeo, qui hunc mihi pontem fecit, viamque munivit, in suam familiam domumque migrandi. Denique cùm iter faciens aliquo divertisset, remque divinam, ut solebat, quotidie facere vellet, detrectarentque Parochi, licet Societatis tabulas proferret, socio urbane in aurem insusurrabat; nunc per me licet, pristinos titulos nomines; Civili hic iure agendum est.

Ex hoc ipso fonte mæstitia fluxit, qua incredibiliter angebatur, cùm in Cardinalium Collegium adsciscere invitum vellent, ut lib. 2. narrare memini. Certe maiori nemo unquam ambitionis studio honores expetivit, quam Franciscus repudiavit: ratus indignum se honoribus esse, & inopiam Religioni utilissimam. Philippum Regem, iam tum Hispanicæ iuventutis Principem, literis supplex rogavit, daret hoc amicitiæ, & si qua exstarent officia, ne Sacris iam initiatum, Ecclesiastica unqnam dignitate oneraret. Privatum se vivere malle, atque inglorium, & eo se consilio titulis abdicasse.

Nec defugisse titulos satis habebat, sui etiam vilitatem contemptumque studiose, ut iam dixi, quærebat. Demissionis exempla eodem ipso libro attulimus. Vicatim sacco humeris imposito, eleemosynam stipemque corrogasse, Pueros tintinabulo accitos, Catechismo erudire solitum, Coquo domi operam dedisse, mensis ministrasse, pedes singulatim & frequenter osculari consuevisse.

In quodam Collegio dum claves ostii gestat, qui-

dam Societatis candidatus, Hispali advenerat, cùm spe bona, fore, ut à Francisco cæteris adscriberetur, cui tum commissa Provincia erat. Videt Franciscus cubiculum proximum plenum sordibus: Et, age, inquit, purgemus conclave; sumptisque impigre scopis, cùm illo pariter cubiculum verrit, sordes extulit; adeo se vincere atque submittere studio fuit.

Occurrenti forte, nobilissimo Dynastæ Hispaniæ, querentique vicem illius, quod inops, attrita veste ambularet, seque ipse & valetudinem negligeret, acute respondit. In me recipio, fore, ut mihi caveam. Iter enim dum facio, prodromos duos præmittere soleo, tanquam exploratores, & structores, qui hospitium mensamque adornent. Interrogatus iterum, quinam essent, quod nusquam apparerent: Mei, inquit, cognitio, & pœnarum apud inferos, quas merui, contemplatio, quo fit, ut quod tandem cumque in diversorium deferar, tametsi desint omnia, in lucro deputem, & tanquam in immerentem beneficia collocata, interpreter.

*De eadem virtute Humilitatis.*

*Monita quædam B. Matris Tarasiæ del Giesu ex historia vitæ eius scripta per P. Franciscum Riberam S. I. Theolog. lib. 4. C. 16.*

HVmilitatis erat Beata illa amantissima, & dicebat: itidem etiam Dominum Nostrum erga eam affectum esse. Quod si quis scire desideret, cur Deus tantopere amet humilitatem, hanc esse causam propriam: quia maximopere amat veritatem. Humilitas porro est veritas, quæ in eo est, ut agnoscamus minimum illud, quod sumus (sive quod in nobis est) quodque à nobis ipsis nihil, ne minimum quidem bonum, habeamus.

Commendabat plurimum sororibus virtutem istā, mone-

monebatque, ne data opera, ea, quæ faciunt bona, externis patefacerent, neve desiderarent, videri coram mundo Sanctæ, aut placere hominibus, ne illo quidem fine, ut ita facilius sibi suisque domibus, homines conciliarent ad eleemosynas sibi faciendas. Nam ea si via incederent, etiam fame morituras. Sed observarent ea omnia quæ, ex instituto debent, & fore, ut etiamsi mundus eas minime cognosceret, utpote vel clausas muro in quovis angulo, Deus tamen eas manifestaret in plateis, & de necessariis iis provideret.

Inculcavit suis diligenter, ut si quando reprehenderentur, culparenturve, ne se defenderent, neve excusarent, nisi id vel Charitas, vel iusta alia causa requireret. Nam Deum pro ipsis responsurum. Eas porro ex suis magni faciebat, iisque delectabatur præ cæteris, quas ea via ingredi animadvertit.

Ad id porro dicebat multum iuvare, si consideremus ea nos ratione semper multum lucrari, & nihil unquam perdere. Quodque si bene attendamus nunquam omnino iniuria culpari possimus, cùm pleni semper culpis simus; licet forte non iisdem, quæ nobis imputantur, quodque satis honoris habeamus, quod ipsæ illæ nobis propriæ culpæ non tangantur; et quod verus humilis desiderare debeat, nihili fieri, & persecutiones pati etiam innocenter. Nam si Dominum N. imitari desiderat, ubi unquam id melius fecerit quam ista in re?

Non probabat tamen eam humilitatis speciem, quæ dona Dei nobis communicata, non satis, quanta essent, cognosceret, æstimaretue. Merito enim cognosci debere, qualia & quanta sint, sic tamen, ut simul agnoscamus, gratiam in iis nobis factam à Deo, non ex meritis nostris data. Alioqui si non agnoscamus gratiam Dei, semper ignavam perman-

suram animam, nec unquam ad grandia se se opera propter Deum aggredienda applicaturam.

## CAPVT V.
## DE ANIMI MAGNITVDINE.
*De ea monita & exempla B. P. N. Ignatii.*
*Ex lib.* 5. *P. Petri Ribad. C.* 9.
*Magnantimitas B.P. inrerum temporalium defectu.*

ROmæ anno 1543. P. Petrns Codacius, magni vir animi, Christique paupertate dives, ac de universa Societate optime meritus ( qui primus illis difficillimisque temporibus, ad sublevandam Societatis nostræ tum nascentis inopiam, singulari Dei beneficio nobis donatus est ) cùm in conducta domo viveremus, extruere aliam, in qua nunc habitamus, est aggressus, magna potiùs divinæ providentiæ spe, quam præsenti pecunia fretus. Ad ædificationem coementa, calcem, reliquamque materiam comparavit. Sed cùm solvere creditoribus non posset, illosque diem ex die iuberet expectare, missi tandem domum à magistratu apparitores sunt, qui Codacium pignoribus ablatis coërcerent, & in domesticam supellectilem involarent. Ea erat tenuis sane, ac perangusta, quæque nostram paupertatem satis per se indicaret.

Minister domus cùm satellitum turbam irrumpentem aspiceret, misit repente, qui curriculo Ignatium moneret de nostræ domus exspoliatione. Cui apud viros nobiles amicissimosque sedenti, qui missus erat, cùm rem ordine in aurem insusurrasset, nihil omnino commotus: *Bene*, inquit Ignatius, *habet*, *sat est*, sermonemque suum, quem fuerat exorsus, pertexuit; quo sermone omni post horam confecto, placido vultu Ignatius ad amicos: An nescitis, inquit, quem paulo ante nuncium acceperim? quem? illi: cùm rem subridens aperuisset, & (quasi ni-

ſi nihil ad ſe pertineret ) æquiſſimo eſſet animo, perturbantur illi, rem indignam dicunt, ſeque in omnes partes verſant, ut tam gravi malo remedium inveniant. Sed eadem tranquillitate Ignatius, eodemque vultu, nihil eſt, inquit, opus. Nam ſi lectos auferent, terra nobis cubile erit: pauperes enim ſumus, & vitam pauperibus dignam agemus. Quod ſi ego præſens fuiſſem, nihil amplius ab illis certe poſtulaviſſem, quam ut ſcripta mihi quædã relinquerent,cætera ſuo arbitratu auferrent:id ſi negaſſent, næ ego haud magnopere contendiſſem.

Quid plura? Hieronymus Stalla, homo nobilis, & vicinus, & amicus noſter, ſuam authoritatem interponit: res noſtras eodem loco futuras, ſuam fidem obligat: Satellites nihil omnino de rebus noſtris attingunt. Poſtridie amicus Societatis quidam ſacræ Theologiæ Doctor, cui Hieronymus Arzius nomen fuit, huius quidem rei omnino ignarus, ſed divino afflatus inſtinctu, Ignatium accerſit, ducentos aureos coronatos in manum Codacio dat, illis æs alienum diſſoluit, & hoc tam illuſtri exemplo diſcit, quam ſit extremis etiam rebus ac deſperatis ſperandum in Domino.

Atque in hac firmiſſima in Deum ſpe, pecuniæque deſpicientia, Ignatii altitudo animi multum excelluit. Erat enim voluntate, reque pauperrimus: animo, Deique fiducia opulentiſſimus. Quapropter nullum, qui ad inſtitutum noſtrum aptus, vocatuſque à Deo videretur, à Societate unquam excluſit, propter noſtrarum rerum tenuitatem. Illudque frequenter uſurpabat: Nos quidem Deo ſerviamus; ille certiſſime reget nos, & nihil nobis deerit. *Pſal.* 22. Jactemus cogitatum noſtrum in Dominum, & ille nos enutriet, *Pſal.* 36. Speremus in Domino, & faciamus bonitatem, & paſcemur in divitiis eius.

*Psal.* 34. Et cùm quidam non ex externis modo, sed etiam ex domesticis vehementer mirarentur, qua fretus spe, tam multos Ignatius nullis certis redditibus fultus Romæ haberet, quibus alendis magnæ facultates vix sufficerent, idque familiariter ex ipso quærerent; An nescitis ( inquit ) quantas vires spes in Deum habeat? vel ignoratis parum illi esse loci, ubi omnia abunde suppetant? quæ explorata si essent, & manu tenerentur, ubi nostra esset in Deum spes? spes enim quæ videtur, non est spes. Nam quod quis videt, quid sperat? (*Rom.* 8.)

Atque ita sane evenit sæpissime, ut nostra paupertas ex spe contra spem sustentaretur; eiusque rei multa sunt, eaque clarissima exempla, quæ si persequi omnia velim, longus nimis sim, pauca tantum subiiciam, ex quibus similia intelligantur.

Anno salutis nostræ 1555. 16. Septembris, Ioannes Polancus pecuniam ad sumptus Collegii Romani necessarios, neque mutuam, neque foeneratitiam, neque ulla alia ratione diligentissime conquisitam invenerat. Rem ad Ignatium placidissime detulit. Ille vero in cubiculum se abdidit, orationi se dedit, Deum precatus est, ut præsenti subveniret inopiæ. Post orationem Iacobum Laynem, Chrystophorum Madridium, ipsum denique Polancum ad se vocat, ipsis quid à Polanco acceperit, exponit, seque rem totam Deo commendasse ait, & se quidem, neque Prophetam esse, neque filium Prophetarum: sed tamen pro certo habere, Deum rebus providentissime consulturum. Et ad Polancum conversus, Tu ( inquit ) Polance in sex proximos menses Collegii res curato, & illi sumptus necessarios suppeditato, ego te istarum rerum cura postea liberabo. Permirum fuit, eo ipso die, qui tamen vergebat in occasum, duobus ex locis, ab homi-

hominibus nostræ inopiæ atque difficultatis ignaris sponte pecunia missa est, qua ex illis tunc angustiis exire licuit.

Profectus sum ego Octob. mense proximo in Germaniam inferiorem, & mense Martio insequentis anni 1556. cùm sex, mensium spatium ab Ignatio definitum aut effluxisse iam, aut appetere videretur, Romam ad Martinum Olavium scripsi, me ut de rei exitu faceret certiorem. Ille vero rescripsit, pridie eius diei, quam à me literas accepisset, magnam pecuniæ summam eleemosynæ nomine Romam nostris allatam, æs alienum pene dissolutum, Polancum anxia illa rerum necessariarum cura liberatum, solutiore animo esse, res omnes fluere, & supra opinionem omnium, quam unquam antea, copiosius abundare. Itaque verba Ignatii re ipsa & foelicissimo successu adeo esse comprobata, ut ipse maiora miracula non requireret ad habendam fidem Ignatio: sed cœleste tantum lumen, quo illustratus mentis oculis videret, quæ corporeis oculis cernebat.

*Magnanimitas B. P. Ignatii in quacunque difficultate.*

IN adversis sustinendis, & magnis difficultatibus explicandis, ita erat excelso animo, & erecto, ut morbo sæpe oppressus, si quis nodus existeret, ad quem expediendum virtute illius esset, ac prudentia opus; statim quodammodo convalesceret, & animo corpus regente, sanus, fortisque videretur. Ex quo illud iam nostris tritum erat, quoties ex morbo decumberet, optandum esse, ut aliquid eiusmodi existeret, ad quod explicandum Ignatius è lecto surgere, & morbum depellere cogeretur.

Adiit aliquando Ignatius ad salutandum principem virum nostri studiosum, à quo minus officiose, quam par erat, exceptus est. Causam Ignatius arbitra-

bitratus eſt, quod minus eius opera, ad res Societatis, atque patrocinio uteretur. Erat enim, aut videri volebat Societatis noſtræ percupidus, moleſteque forſitan ferebat, quod alios ad noſtram defenſionem, ſe prætermiſſo, potius adhiberemus. Tunc Ignatius mihi: dicam (inquit) illi, & aperte dicam, me ante 30. annos à Deo didiciſſe, ut in iis efficiendis, quæ Dei ſunt, omnia auxilia conquiram; ſed ita, ut non externis adiumentis ſpem meam, ſed in ipſo Deo bonorum omnium effectore, conſtitutam putem. Quod ſi inter hæc ſubſidia efficiendique inſtrumenta, ſe unum eſſe vult, libenter eo utemur: ſed ita demum, ſi intelligat nos ab uno Deo pendere, Deo, non hominibus niti.

Erat autem ut in rebus arduis ſuſcipiendis ſtrenuus, ita in ſuſceptis retinendis conſtantiſſimus, animique firmitate ſingulari: cuius conſtantiæ cauſæ multæ erant. Circumſpiciebat enim omnia attentiſſime, animoque colluſtrabat, antequam quicquam aggrederetur. Orabat multum, flebat, gratiam flagitabat à Domino, cuius ſæpenumero divina luce perfuſus, voluntatem intelligebat, neque ſe ab ea divelli ullo modo patiebatur. Præterea adhibebat eos in conſilium, quorum curæ commiſſa erant, eorumque exquirebat iudicium, quibus illa potiſſimum eſſent cognita, atque explorata; quæ in deliberatione verſabantur. Atque hunc in modum prudenter ſuſceptum negotium, perſeveranter urgebat.

*De eadem virtute Magnanimitatis, monita & exempla B. P. Franciſci Xaverii.*

*Ex lib. 6. vitæ eius per Horat. Turſelin. C. 9.*

NEc vero hæc Franciſci humilitas eius abiiciebat mentem, quo minus auderet alta ſpectare, ingentiaque conari; ſed nixus Deo, nihil arduum, nihil

hil nimis amplum ducens, immensa quadam magnitudine animi maxima quæque moliebatur. Vbicunque enim divinus honor ageretur, nulli cedebat difficultati, periculove. Ita nihil moliebatur, quod non efficeret; nihil inchoabat, quod non absolveret.

Est hoc servorum Dei proprium, ut apud se ipsos humiles & abiecti; in divinis negotiis mire fortes sint, atque constantes. Hæc altitudo animi, difficultatumque & periculorum contemptio, passim eminet in eius vita; & quidem sæpe communis fortitudinis tantopere usitatum excedit modum, ut temeritas censeri posset, nisi divinis magis quam humanis consiliis auxiliisque niteretur. In Iaponiam ultimam Orientis regionem, piratico vectus lembo ire sustinuit, securus periculorum quæ ab amicissimis peritissimisque hominibus, & plurima denunciabantur, & maxima. Qua de re ad Præpositum Provincialem Lusitaniæ scripsit ipse his verbis: Obstupescunt studiosi mei omnes, & amici, quod tam longinquum ac periculosum suscipere iter non verear. Multa mihi tempestatum, Syrtium, piratarum pericula proponunt. Cæterum haud magis ego illos invicem obstupesco, quod tam exiguam habeant Dei fiduciam, cuius illa omnia in ditione sunt, ac potestate. Equidem cùm Dei nutu atque imperio omnia gubernari certo sciam; nihil omnino metuo, præter ipsum Deum; ne scilicet is de mea, in suo obsequio religionisque studio, negligentia inertiaque meritas exigat poenas. Quocirca reliquos terrores, discrimina, ærumnas, cruces, nihil admodum pertimesco. Vnum quippe timeo rerum omnium effectorem ac moderatorem Deum, quod res cæteræ, quamvis noxiæ, non nisi quatenus ille sinit, nocere hominibus queant.

Mirum quantum ille spei in divina reponeret ope,

ope. Itaque Dei unius præsidio per tot maris terræque discrimina, per tot gentes sermone moribusque dissonas, ad ultima Orientis penetravit, Oceanoque toties remenso, Christianis mysteriis feras ac barbaras instiuit gentes, mitigavitque. Nec verò unquam illum Dei fefellit fiducia, sed hostium, tempestatum, cæterarumque cladium periculis semper exemit.

Atque, ut mittam, cætera, quæ suis locis exposuimus, in Iaponicorum fretorum traiectu, non semel, cùm peteretur barbarorum sagittis, tela omnia, Deo propulsante, innoxia ceciderunt.

In mari Molucico ter naufragium fecit; ac semel tabulæ incubans biduum triduumve fluctibus impune iactatus evasit.

Armatum in se Saracenorum furorem effugit, plures dies in proxima latitans sylva.

Venena quoque, non solum tela hostium, elusit, & mari piratarum, terra latronum sæpissime vitavit occursus.

Quanquam ille Dei amore ardens, ærumnarum periculorumque non contemptor modo, sed etiam amator fuit. Itaque patiendi avidus, in ipsis incommodis ac periculis Deum enixe precabatur, ne his ipsum eriperet malis, nisi ad maiora mala divinæ gloriæ causa reservaret. Igitur divino numine eggregiæ illius virtuti indulgente, ærumnis pariter ac meritis cumulatus est, haud minore Christi approbatione, quam lætitia sua.

In difficillima porro Sinarum expeditione sui similis fuit. Cùm enim in Sinarum fines ( ut ante diximus ) insinuare se sine capitis aut servitutis periculo peregrinus nemo posset, pari poena advenæ introeunti, & advenam invehenti constituta: tamen Deo viæ consiliique autore satis confisus, Sinæ

catoris fidei, quæ non minus anceps, ac periculosa erat, quam ipse Sinarum introitus, suum credere caput decreverat. Super ea re ipse in Epistola ad Franciscum Peten Malacam ita scripsit:

Duo mihi in hoc negotio ab amicis pericula denunciantur: unum, ne mercator ille accepta mercede prodat fidem, meque in desertam aliquam Insulam, aut etiam in altum præcipitet, ne transmissionis pactum ullis patefiat indiciis. Alterum, si ille steterit promissis, ne præfectus urbis in Advenam, qui contra Regis edicta sine fide publica eo se insinuaverit, edat exempla, meque aut cruciatibus affectum necet, aut in perpetuam redigat servitutem. His ego periculis alia haud paulo maiora pericula oppono; quæ cæteros latent. Primum enim periculum est, ne de divina bonitate ac providentia diffidamus: siquidem Dei unius causa huc venimus, ut sacrosanctam eius legem, eiusdemque Filium Iesum Christum, humani generis Salvatorem, his gentibus prædicemus: cuius rei ipse mihi conscius est, qui hanc mentem mihi iniecit, Deus. Proinde divinæ nunc providentiæ atque potestatis spem, fiduciamque abiicere, propter discrimina, quæ eius causam agenti impendere dicantur, ne id haud paulo maius periculum est existimandum, quam quicquid periculi mihi creare Dei atque hominum hostes possunt. Præsertim vero cùm neque dæmones ipsi, neque eorum satellites ac ministri, quicquam nos lædere queant, nisi Dei permissu ac voluntate. Quid, quod si Deus nostros conatus probat ac iuvat, non modo eiusdem nutu omnibus eripiemur periculis, sed etiam Christum Dominum audiemus admonentem: *Qui perdiderit animam suam in hoc mundo propter me, inveniet eam.* Quocirca cùm hæc animi pericula longe maiora corporis

ris periculis iudicemus; satius ac tutius esse ducimus, per vitæ discrimina perrumpere, quam in discrimen adducere animi salutem. Omnino deliberatum est, mihi in Sinas, Deo favente, invitis eius hostibus penetrare. *Nam si Deus pro nobis, quis contra nos?* Magnum omnino adimus periculum; si nihil aliud, perpetuæ servitutis. Verumtamen hæc me cogitatio consolatur, satius esse Dei causa servitutem servire, quam crucis fugâ perfrui libertate. Quibus sane in verbis interritus ad omnia pericula animus satis eminet.

## CAPVT VI.

## DE PRVDENTIA RERVM Gerendarum, & Vigilantia.

*Monita & exempla Prudentiæ B. P. N. Ignatii. Ex lib. 5. Petri Ribad de vita eius Cap. 11. & 12.*

CVm pietatis opera, quæ ad proximorum utilitatem pertinent, complecti omnia non posset, magno delectu, publica, privatis: iis quæ ad tempus fiunt, perpetua, certa, semper incertis prætulit, & secura, periculosis: neque tam spectabat, quantæ res ipsæ essent, quam quantum spei ad eas conficiendas ostenderetur.

In huiusmodi autem operibus beneficentiæ ac pietatis, libenti animo operam suam, studiumque ponebat, dum in ordinem redacta, legibusque essent, ac ratione constituta: postea vigilia sua aliis tradita, sensim subtrahebat se, & ad alia instituenda transferebat. Negabatque nostris, hisce finibus longius progrediendum; neque committendum, ut se istius modi operum ordinaria administratione implicarent, quod à sodalitatibus fere iis, collegiisque gubernentur, quibus satisfacere (quod multorum sint capitum) sit perdifficile.

Pulcherrimum arbitrabatur esse munus, nostræ

que Societatis maxime proprium, versandi cùm hominib9.familiariter,&agendi. Sed illud quid plus habet utilitatis, si recte fiat: eo etiam plus periculi, si inepte. Nam ut moratus sermo, & modesti prudentisque hominis assiduus usus, alios ad Christum maxime allectat, & invitat: ita præcipitis, atque inconsiderati, à sancto plerumque proposito avertit:& offensio contrahitur, ex quo quærebatur utilitas. Multas proinde cautiones censebat adhibendas,ut illud munus officii utiliter exerceretur: quas quidem exemplo magis tradebat, quam verbo. Eas enumerare omnes longum nimis esset: nonnullas referre, commodum nostris, utileque futurum puto.

Qui aliis igitur utilis esse cupit, in primis, aiebat, sibi vacare debere; & ardere ipsum caritate; si alios velit incendere; superare inanem metum; ambitionem,tanquam pestem fugere; voluptatis illecebras, omniaque carnis blandimenta aspernari; & quicquid vitiosum est, à se repellere; ut omnibus turbidorum motuum radicibus evulsis, divinos flatus, & in se aptius accipiat, & in alios utilius effundat.

Cùm omnia vitia declinanda esse, tum ea cuique potissimum, ad quæ proclivior cuiusque natura sit. Ab iis enim maximas impendere ruinas; nisi diligenter sibi quisque caveat.

Illis præcipue, quibus corporis constitutio biliosa esset, ac ferventior, magnopere cavendum censebat, si cùm aliis iracundis item hominibus, & natura biliosis versarentur: facile enim dissidia nasci; proinde, qui talis est, ante se comparet, ac sæpissime meditetur, qua ratione huic periculo resistat.

Neque tamen in præfervida, vehementique natura refrænanda, eiusmodi provisione animi utendum

dum censebat solum: sed in reliquis item vitiis debellandis. Multum enim cohibet, & quasi vinculis quibusdam exultantem naturam constringit meditatio, & comparatio animi, & assidua accurataque eorum, quæ cogitaveris, dixeris, egeris, commemoratio. Quod si socium habeas, qui cùm communicari hoc officii recte possit, ultro, & citro, & ab illo moneri libere, & illum monere placide velis.

Qui ita in se fuerit constitutus, & intelligentia necessaria instructus, & agendi modo, ad alios tum iuvandos, tanquam in pulverem, aiebat, & solem posse descendere. Sed cogitandum tamen; se non cùm perfectis hominibus, planeque sapientibus vivere, sed in medio nationis pravæ atque perversæ: animumque ita suum debere instituere, ut neque scelerum ulla, & flagitiorum immanitate perturbetur, neque ulla hominum, vel fatuitate, vel fraude, ipse non retineat, vel cùm prudentia columbæ simplicitatem, vel serpentis cùm simplicitate prudentiam.

Dicebat: quibus artibus diabolus ad perniciem hominum uteretur, iisdem nobis utendum ad salutem. Nam ut ille cuiusque naturam explorans, & animi propensionem pertentans, ad eam se attemperat: & ambitiosis splendida, utilia cupidis, voluptuosis iucunda, piis, quæ speciem habent pietatis proponit: & non irrumpit subito, sed sensim irrepit, & in animæ se familiaritatem insinuat, penitusque tandem immergit: sic spiritualis, ac peritus artifex, uniuscuiusque naturæ convenienter se debet gerere: & in principio multa dissimulare, in multis connivere, deinceps, parta benevolentia, ipsos, quibuscum agit, ipsorum armis expugnare. Ipse vero in mores hominum quibuscum versabatur, naturamque intrabat penitus, sagacitate qua-

dam

dam non tam humana, quam divina. Nam vel ex uno congressu, aut uno sermone, ita intimos illorum sensus perspectos habebat, atque exploratos, ut modium salis cùm eis comedisse, illosque intus & in cute nosse videretur.

Omnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ spirituales aut sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat: sed earum maxime, quæ ætate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consvetudine, plerumque aut fumus sequitur, aut flamma. *Eccles.* 42.

Factis liberaliorem, quam verbis esse oportere: ut quod in diem crastinum promiseris, id si fieri potest, hodierno præstes.

In omni sermone, maximeque in pacificandis hominum animis ac reconciliandis, in controversis rebus definiendis, tractandisque divinis rebus, eam moderationem cautionemque adhibendam, ut nihil imprudenter excidat: sed verbum quodcunque nostrum cogitemus ad multorum aures perventurum.

Concionatoribus, & iis qui de loco superiore populum docent, scribendum diligenter, & multo ante meditandum, quam dicerent: ni temere asserendum: à novis dubiisque rebus abstinendum, & modeste hominum vitia castiganda potius, quam plausibilia, & quæ aures delectant, persequenda. Ipse vero conciones suas in detestatione vitiorum consumpsit, & in virtutum prædicatione: idque semper propositum habuit, ut prævaricatores ad cor redirent, & summum Dei, infinitumque in se amorem agnoscerent.

Dicebat præterea in rebus gerendis illud in primis tenendum, ut te rebus, non res tibi submitas: hoc est, ut rei gerendæ, non tuæ commoditatis rati-

onem ducas, negotiorumque utilitati diligenter ſervias, & tempori.

Denique tam congruenter omnibus, ut omnes lucrifaciat, ſapientem hominum piſcatorem, Chriſtique miniſtrum ſe attemperare debere, ut omnia omnibus fiat, & non ſibi, ſed fratribus vivat in Chriſto.

Si quid tamen efficere in hominum ſalutem cupiat, vel ſi quem ab exitio ſtudeat ad ſalutem revocare: ubi diligenter ſuo perfunctus ſit munere, quoquo modo res cedat, æquiſſime ſibi ferendum ſtatuat. Neque ſi ille, ad quem iuvandum incubuerit, reſpuat medicinam, demittat idcirco animum: Angelorum tutelarium exemplo ( nam & hac utebatur Ignatius ſimilitudine ) qui, quos à Deo ſuæ fidei commiſſos acceperunt, monent quoad poſſunt, defendunt, regunt, urgent, ad bonum iuvant: ſed ſi voluntatis libertate abutantur illi, & in obſequentes, atque obſtinati ſint, propterea tamen nullo anguntur moerore, nulla afficiuntur moleſtia: curavimus, inquiunt, Babylonem, & non eſt ſanata: *Hierem.* 15.

Hæc, & iis ſimilia erant Ignatii documenta quibus ſuos informabat, ut ad ſpirituales nundinas, animarumque copioſam mercaturam mitteret, ſed factis, quam verbis illuſtrius. Neque enim ( quod de Nazianzeno Gregorio ſcriptum legimus *Ruff. hiſt. Eccleſ. libr.* 11. *cap.* 9. ) diſcipulis aliquid imperabat, quod non prius ipſe feciſſet.

Et cùm ſingularis in eo prudentia fuerit, idem tamen ſentiebat, in divinis rebus, qui nimis prudentes eſſe volunt, haud ſæpe magna præſtare. Nunquam enim ſe ad ea, quæ pulcherrima ſunt, admovebit is, qui eorum difficultates, & ancipites eventus ſcrupuloſe cogitat, aut anxie nimis reformidat.

midat. Vnde & ſapiens, *Prov.* 23. Prudentiæ tuæ, inquit, pone modum. Neque enim decet, ſine modo eam virtutem eſſe, quæ reliquarum virtutum modus, & menſura eſt.

*Vigilantia in rebus agendis B. P. N. Ignatii. Ex lib. 5. vitæ c. 12.*

MIrifica in illo ſollicitudo ad res conficiendas, atque vigilantia fuit. Non enim ſolum efficiendi adiumenta excogitabat ſapientiſſime, ſed magna etiam efficacitate utebatur inventis, rem ceptam perſeveranter urgens: aliosque, quibus utebatur administris, rebus agendis indormire haud quaquam ſinens, ſed impigros reddens, atque attentos.

Cùm ad Principem virum aliquando adire vellet, eiuſque conveniendi copia non fieret, quatuordecim horas ieiunus expectavit, ne bene gerendæ rei occaſio efflueret. Conſtatque per triginta quatuor, & eo amplius annos, nunquam illum, quod in Dei gloriam facere ſtatuiſſet, propter ullas temporis coelique iniurias, ex præſtituta vel die, vel hora, in alium diem, aliamve horam reieciſſe.

*Documenta quædam B. P. Ignatii quibuſdam ſuis à ſe diſcedentibus, eaque petentibus data.*

Hæc documenta ſuis Ignatius edit alumnis,
Vt methodo parva commoda magna parent.
Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potius, quam ſuperare iuvet.
Obſequium ſtudeas præſtare per omnia coecum.
Iudiciumque libens ſubiice cuique tuum.
Ne vitia inſpicias aliena, & viſa recondas,
Sed propria incuſes, atque patere velis.
Quicquid agas, dicas, mediteris, proſpice primum,
Proximo an expediat, complaceatque Deo.
Sit tua ſpiritui libertas ſemper, & illam,
Nec perſona potens, cauſa nec ulla gravet.

Ne facili iungas tibi consvetudine cunctos,
Spiritus & ratio quemlibet ante probent.
Exerce assiduo pia vota,& facta labore:
Sis populo ut demens, sis sapiensque Deo.
Fac matutino, vespertinoque revolvas,
Hæc studio: &, lectum dum petis,adde preces.

*De prudentia exempla B. P. Francisci Xaver: vide Cap. sequenti.*

## CAPVT VII.
## DE ZELO ANIMARVM
## & ardenti studio homines ad Deum convertendi.

*Monita quædam & exempla ea de re B. P. N. Ignatii ex lib. 5. vitæ eius. C. 2.*

VBique ( B. Ignatius ) suæ charitatis argumenta, & coelestis incendii certa vestigia relinquebat: cùm eius omnia consilia, studia, labores in Dei gloriam, & hominum salutem referrentur, & in eo uno consumerentur, ut vitia radicitus e Christiana Republica revellerentur, virtutes insererentur, conservarentur, augerentur. Sed hoc iis exemplis fiet magis perspicuum, quæ hic apponam.

Lutetiæ, cùm quidam pellicis amore nefario teneretur, neque ab illo Ignatius hominem posset ulla omnino ratione divellere, aliquando rescivit, illum extra oppidum iturum, eo fortasse, ubi turpes eius delitiæ erant. Ignatius igitur in lacum frigidissimum viæ, qua transiturus erat, adiacentem se se coniicit: corporeque gelidis aquis immerso, capite tantum extans, ad illum iam appropinquantem, Perge, inquit, miser, perge ad tuas foetidissimas voluptates: impendentem capiti tuo ruinam non vides? instantem pestem non perhorrescis? Hîc ego pro te tamdiu me macerabo, donec iustissimum Dei furorem in te paratum avertam. Exterritus homo, & hoc tam insigni caritatis exemplo per-

perculsus, resistit, pedem refert, familiaritatem illam scelere copulatam statim discindit.

Dicebat se, si quid ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse, nudis pedibus, cornibusque onustum per plateas incedere: nullum denique recusavit habitum, aut ridiculum, aut probrosum vestimenti genus, quod esse utile hominibus posset: quod re ipsa comprobavit, si quando se se occasio obtulit.

Ætate iam affecta nominatim rogatus, ut moribundum hominem iuvaret, tametsi corpore erat morbis fracto, penequè consumpto, essentque permulti, qui labore illum levare possent: tamen operam suam ei, qui peteret, negandam non existimavit. Ergo tota nocte homini adfuit, in extrema illa pugna, & ancipiti contentione dimicanti.

*B. P. Ignatius in Vrbe Roma, varia Pietatis opera instituenda ut curarit.*

*Ex Pet. Rib. lib. 3. vit. Ign. C. 9.*

SEd non modo domesticarum rerum, & universæ Societatis sollicitudinem gerebat Ignatius, verum etiam curæ, quam poterat partem, in externorum utilitates derivabat. Quamobrem multa, quæ consuetudine inoleverant vitia, abolenda, multa in urbe instituenda curavit, quæ cùm hominum essent salute coniuncta.

Illud imprimis effecit, ut Decretalis Innocentii III. ( *Cap. Cum Infirmitas de pœn. & remiss.* ) hominum vitæ maxime necessaria, & salutaris, instauraretur: qua nimirum cavetur, ne medici corpori curando manum prius admoveant, quam ægrotantis anima confessione curata sit: mitigata tamen illius decreti severitate, eaque moderatione adhibita, ut uno atque altero die medicus ægris adesse possit: tertio vero nullo modo, nisi prius confessi

sint. Quod quidem decretum Sanctissimus Pius Quintus, sui Pontificatus initio, severioribus etiam legibus in perpetuum sanxit.

Præterea cùm in urbe tanta Iudæorum esset turba, nullus tamen locus erat, quo se reciperent ii, si qui forte, quod super cor eorum adhuc positum est, Dei misericordia sublato velamine, ad (2.*Cor.* 3.) Christi lucem se se converterent. Nulli doctores certi, qui illos ad Ecclesiæ gremium venientes erudirent: nulli redditus ad sublevandum eorum inopiam, constituti. Ergo, ne tantus periret fructus, eos ex nostris angustiis, domi nostræ aliquot annos sustentare, erudire, & in certo genere vitæ collocare, non dubitavit Ignatius: multique ex Iudæis vel charitate nostrorum allecti, vel exemplo suorum commoti, ad Christum conversi sunt. In quorum numero, etiam fuerunt Iudæorum primarii, qui ad Christianam fidem amplificandam, momenti plurimum attulerunt. Vehementer enim revincebant Iudæos (*Act.* 18.) ostendentes per scripturas, esse Christum Iesum.

Verum ne hæc utilitas exigui temporis esset, in eam rem diligentiam suã navavit Ignatius, ut locus in urbe constitueretur, qui Catechumenis recipiendis esset, sustentandisque accommodatus: quod magnis laboribus tandem perfecit. Et quo mollior illis ad Christum via esset, à Paulo III. Pont. Max, impetravit, ne quid suarum rerum amitterent, neve detrimento Christi fides iis esset, qui Christum Salvatorem agnoscerent: imo vero Iudæorum liberis, ad Christum contra parentum voluntatem venientibus, bona ipsorum omnia integra omnino essent. Et quæ ab illis usuris fuissent parta, quorum iusti Domini ignorarentur, atque idcirco per manus Ecclesiæ essent in pios usus convertenda; Iudæis ipsis ad Sanctissimam Religionem conversis,

in suscepti baptismatis gratiā tribuerentur. Ad quæ illud etiam deinceps à Iulio III. & Pau. IV. præclare additum est, ut singulæ Italiæ Iudæorum Synagogæ, certam pecuniæ summam, ad eos alendos, qui ex Iudaica perfidia evadunt, huic Cathumenorum domui quotannis impendant. Multaque alia ad illos vel invitandos, vel in Christi fide retinendos, sapientissime constituta sunt. Ex quo magnus aditus apertus est ad illius gentis salutem, multique se ex reliquiis, & foece illa Israël ad Christum adiunxerunt.

Ad hæc, magna Romæ muliercularum earum visebatur multitudo, quæ ex prostituta pudicitia quæstum faciebant: ( maior enim per id tempus, morum in urbe erat licentia, quæ Sanctissimorum Pontificum vigilantiâ, severis postea legibus compressa est ) & urbs ipsa meretritiis sordibus obsolescebat: erantque istiusmodi muliercularum nonnullæ, quæ divino instinctu, cuperent aliquando se ex impura illa flagitiorum voragine, in portum salutis recipere. Ad quas alendas, D. Magdalenæ (conversarum vulgo appellant ), Coenobium est institutum. Sed ea tamen lege venientes admittuntur, si perpetuæ se religioni consecrent, & illius limen eo animo ingrediantur, ut ex illo pedem nusquam efferre constituant: quominus late patent eius Coenobii fructus. Nam permultæ ex iis nuptæ sunt, quæ hoc perfugio excluduntur, quibus tamen locus aliquis dandus est, quo se recipiant, dum maritis reconcilientur, ut à vitæ honestate, quam petunt, absit periculum. Porro aliæ emergere quidem ex foecibus illis vellent: sed non continuo se diuturnæ poenitentiæ dedere; neque, si ut pessima fugiant paratæ sunt, sectari idcirco optima concupiscunt: quibus receptum ad tempus dari, Coenobii illius leges non sinunt.

Ignatius igitur, ut omnium saluti consuleret: & ne qua esset, quæ victus quærendi difficultatem, suæ turpitudini prætexeret, locum per oportunum instituendum curavit, quod omnium esset commune perfugium. Cùm igitur hoc suum laudabile, & præstantis operis consilium principibus multis viris, ac foeminis communicasset, quorum auctoritate, ac benignitate conficeretur: operam suam illi quidem sunt facultatesque polliciti, si quis inveniretur, qui eius rei perficiendæ Princeps, & autor esse vellet. Volebat enim quisque gloriosi operis comitem se potius aliorum præbere, quam ducem. Sed cùm hac recusatione, diem ex die duci videret Ignatius, & pium opus impediri, ut omnem diabolo eximendi tempus occasionem præcideret, hanc rationem excogitavit: Ex area quadam nostra, quæ Romæ ante templum nostrum est, Petrus Codacius domus nostræ Procurator, eo ipso tempore effodiendos curaverat ingentes lapides ex antiquæ Vrbis ruinis. Tum Ignatius Codacio ait: vendito lapides, Petre, summamque ex eis centum aureorum mihi conficito. Fecit ille, in magna nostrorum inopia, quod fuerat iussus. Hanc pecuniam Ignatius primus omnium, in opus eximium contulit. Si nemo est ( inquit ) qui anteire velit, me ducem sequatur: subsecuti sunt reliqui: & ita in æde divæ Marthæ opus eximium inchoatum est, & perfectum: Sod litasque instituta, cui à Gratia beatæ Mariæ, nomen est inditum.

In hoc autem divæ Marthæ Coenobium, mulierculas à turpi quæstu abductas ipsemet sæpenumero, ne perirent, vel in matronæ alicuius honestæ domum, instituendas ad virtutis studium, id ætatis vir, & Generalis Præpositus deducebat. Quo in genere, Leonoræ Osoriæ ( ea Ioannis Vegæ Cæsarei

rei apud Pontificem legati erat uxor )pietas, atque benignitas inprimis enituit.

Cùm autem Ignatio obiiceretur in curandis huiusmodi mulierculis male operam poni, quippe quæ in vitiis iam occalluissent, facileque reverterentur ad vomitum: Minime sane, inquit Ignatius: Sed si omnibus meæ vitæ curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem, peccato vacuam præterire istarum aliqua velit: omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo tam exiguo tempore Deus, ac Dominus noster non offendatur: etiam si sciam illam statim in ingenium redituram.

Orphanorum etiam solitudini, ut consuleretur, multum laboravit. Itaque eius etiam opera, duæ habitationes in urbe sunt constitutæ: in quibus pueri, & puellæ parentum orbati præsidio, ac vitæ commodis destituti, à periculis eripiuntur ætatis, & ab inopiæ molestiis, & separatim moribus, doctrina, artibus instituuntur.

Illud etiam excogitavit, in lubrico versanti Virginum pudicitiæ, qua ratione succurreret: ne videlicet puellaris castitas, aut matrum turpitudine, incuriave deflorescerct, aut paupertate. Quamobrem præclarum, omnique laude dignum Coenobium constructum est Sanctæ Catharinæ, ut vulgo vocant, de funariis: in quod, tanquam in asylum, arcemque transferuntur adolescentulæ, quæ in periculo pudicitiæ versantur.

Et hæc quidem Ignatius Romæ, & alia id genus nonnulla, ad proximorum salutem effecit. In iis autem operibus constituendis, hanc servabat rationem. Consilium suum, cùm certis hominibus, gravibus, prudentibus, & ad omem charitatem propensis, communicabat: è quibus Iacobus Crescentius, nobilis Romanus, intimus Ignatii amicus, &

ad om-

ad omnem pietatem semper propensus. Franciscus item Vanutius, Pontificis summi Eleemosynarius, Laurentius Castellus, aliique nonnulii præstabant: quibus consiliariis Ignatius, adiutoribusque usus est. Rebus inter ipsos agitatis, compositisque, opus ipsum primariis viris, locupletibus, benignis proponebatur, quorum opibus, atque auctoritate niteretur: inprimisque aliquis S.R.E. Cardinalis deligebatur, qui ad patrocinium eius operis suscipiendū videretur aptissimus. Constituta deinde sodalitate, sancitis legibus, totius gubernationis ordine, rationeque præscripta: cùm iam suam operam minus esse necessariam intelligeret, vigiliam suam aliis tradebat Ignatius, seque sensim ad alia æque utilia inchoanda convertebat. Neque enim otiosa esse illius charitas poterat, sed semper novum aliquid meditabatur hominibus salutare.

*B. P. Franciscus Xaverius, nullis laboribus frangebatur, ut Christo animas lucrifaceret.*
*Ex lib. 2. vitæ eius. C. 6.*

ENim vero pretium est operæ, quæ deinceps exposituri sumus de immenso infinitoque Xaverii labore, maximis ærumnis, omniumque rerum inopia, in Comorinensi promontorio, cognoscere eos, qui vel modicis laboribus & incommodis perfuncti placent indulgentque sibi: perinde, quasi Christi nomine malorum ultima perpessi. Nimirum vehementer nos nostri pudeat, pigeatque, si nostros labores cùm Francisco conferamus, in Comorinensi Christi vinea laborante.

Habitabatur longissimus ille tractus piscatorum partim vicis, partim Oppidis, ad XXX. Horum XX. erant Christianorum, in quibus præter XX. neophytorum millia Christianis præceptis imbuenda, complures supererant baptizandi vel infantes, vel adul-

adulti: luctandum sæpe non magis, cùm ardore solis, quam cùm arena; fervido littore non tantum fallente, sed etiam exurente vestigia. At Franciscus ad omnia interritus, tam duram provinciam, maiore etiam animi robore sustinuit quam suscepit.

Namque unus multorum Sacerdotum animos ac vires gerens, contempto Solis ardore, continenter circum illius oræ maritimæ vicos, & oppida pedibus sæpe nudis, ( utique post detritas usu ocreas ) fervida arena cursare infantes ac pueros, cæterosque quotidie ad Christi fidem accedentes baptismo abluere: Idolorum sacrificia miris artibus impedire: sponsos ac sponsas rite in matrimonio collocare: omnes pro cuiusque intelligentia, catechismo erudire: dissidentes ad pacem revocare instituit, quamvis æstuans & sudore pene perpetuo fluens.

Nec vero suum ipse corpus in tantis laboribus indulgenter habuit. Solenne illi fuit cubare humi, gentis more oryza victitare, eaque exigua, & scilicet male condita; ut pote quam sibi ipse in summis occupationibus coqueret. Ad oryzam admodum raro piscem, aut lac, plerumque acidum à neophytis Ethnicisve ultro allatum, adhibebat. Multis etiam ac gravibus molestiis, quas peregrino homini locorum insolentia, rerumque omnium inopia necessario afferebant, defungebatur.

Et cætera quidem incommoda haud ferebat ægre, sed patrii ipsorum sermonis inscitia vehementer curam eius intenderat. Namque incolæ interrogati, de rebus ad Christi religionem legemque pertinentibus, id modo respondebant, se esse Christianos, & quod Lusitaniæ linguæ omnino rudes essent, Christianorum instituta ac præcepta cognoscere nequivisse. Deduxerat secum Franciscus alumnos Goani Collegii duos, iam adultos, & Malavarici ser-

fermonis, quo illa gens utitur, Lufitanique non ignaros: fed puerorum & idiotarum inftitutionem per interpretem, & tardam, & minus efficacem expertus, maluit eos magiftros habere, quam interpretes, adeo incenfa erat cupido non celeritatis folum in docendo, fed etiam fedulitatis.

Itaque ab iis, quos diximus, Chriftianæ difciplinæ capita in Malavaricam lingvam celeriter vertenda curavit. Inde homo id ætatis in Chrifti gratiam velut repuerafcens, illa quã primum edifcere: mox tintinnabulo puerorum greges ac virorum cogens, vicos obire: unum in locum coactis, illa, quæ dixi, capita inculcare. Magiftri ardor, difcendi alacritatem difcipulis attulit. Omnia quæ tradebantur, rudes pueri unius menfis fpatio memoriæ belliffime commendarunt; ut nec Francifcum induftriæ fuæ, nec illos affiduitatis poeniteret. Tanta porro eos ceperat difcendi cupido, ut ab illo alias ex aliis precationes addifcendas fubinde flagitarent, adeo obftinate, ut pene odiofe interpellarent etiam divini penfum officii perfolventem. Neque finem ullum faciebant inftandi, donec illorum poftulatis fatisfacturum fe promitteret.

Xaverius ergo, ubi initia ex fententia fuccedere animadvertit, paucorum emolumento minime contentus, rationem iniit iuvandi quam plurimos. Vt ea inftitutio latius pateret, pueris præcipit, uti fuos quifque parentes, cognatos, domefticos, vicinofque omnes paulatim docerent eadem illa, quæ ipfi in fchola didiciffent. Ita pueri è difcipulis repente doctores facti, rem Chriftianam haud fane mediocriter adiuverunt.

Nec vero Xaverius, hifce adiutoribus utens, quicquam de labore remifit fuo. Diebus Dominicis in magno puerorum, mulierum, ac virorum coetu,

orfus

ortus ab Symbolo Apostolorum, breviter duodecim fidei capita ac præcepta Decalogi, alia alio explicabat tempore. Audiebatur attente ac diligenter, obstupescentibus non modo Christianis, sed etiam Ethnicis, qui frequentes conveniebant, demirante. Christianam legem adeo consentaneam & congruentem esse rationi.

Cæterum Xaverius haud ignarus in divinis rebus recte tradendis plus divinam vim valere, quam humanam industriam, ad singula Symboli ac Decalogi capita ipse apposito carmine præibat, quo carmine opem separatim à Christo, & à B. Maria peterent, ad illa ipsa sive credenda, sive exequenda: illudque subinde pronunciabat, si illa quæ tū peterent de fide ac lege Christiana servanda à Deo impetrassent, deinceps multo plura ac maiora divinitus accepturos, quam ipsi taciti auderent optare.

Eadem etiam opera & neophytos instituebat, & Catheeumenos: ad quos utique, quia magis periclitabantur, plus etiam curæ atque operæ derivabat. Tantus vero numerus erat Christiana sacra capessentium (vicos enim totos singulis diebus non semel expiavit) ut inter baptizandum, manibus brachiisque defatigatis, sæpe langveret. Sæpe etiam talium rerum inculcatio docentem frangebat adeo, ut vox pariter viresque deficerent. Non tamen illius virtus laxamentum laboris, sed novam materiam quærebat bene merendi. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animum vinci posse diceres. Plures quotidie infantes undique conquisitos rite sacra lustrabat aqua.

Præcipue vero teneram ætatem ad religionem informare studebat, haud ignarus plurimum momenti esse in puerorum institutione, utpote quos provideret, á primæ ætatis conformatione, longe melio-

meliores parentibus evasuros. Habebat eius rei argumenta & multa & illustria. Neophytos pueros cernebat Christianæ doctrinæ perdiscendæ cupidos, non avidius arripere ipsos explicata, quam aliis tradere: ab Idolorum cultu, omnique superstitionum genere adeo adhorrere, ut parentes ipsos in hoc genere peccantes nec ipsi reprehendere vererentur, & ad Franciscum protinus deferrent.

Nec ille accensis puerorum studiis deerat, sed ad facinus vindicandum & dux eis erat, & comes. Si quando tale aliquid illorum indicio enunciatum esset, propere contracta puerorum manu contendebat ad eam domum, quæ tantum admiserat nefas: extemplo, velut signo dato, invadebat Lararium. Tum pueri, facto impetu, pro se quisque Deo simulachra comminuere, conspputare, conculcare pedibus, omnibus contumeliis onerare; Diaboli cultum in ludibrium vertente Xaverio.

*Alia item exempla B. P. Francisci Xaverii laborum gravissimorum, pro animabus Christo lucrandis. Ex lib. 4. vitæ eius. C. 6.*

MEacus urbs in media ferme insula sita est, velut Iaponis umbilicus. Distat ab Amangucio, quod in primo Insulæ aditu est positum, recta quidem regione passuum millia non amplius CL. Sed anfractus maximi æstuariorum ac montium intercedunt. Eo iter intendit Xaverius anno post Christum natum M. D. L. mense Octobri, quo mense in Iapone ingruit frigus. Erat tum iter illud non modo saxis asperum, sed etiam perpetuis obsitum nivibus, quas acri gelu vis hyemis adstrinxerat. Quocirca passim in sylvis concretæ ex nive, glacieque quasi trabes ex arboribus pendebant, pestem atque exitium viatoribus minitantes. Accedebant bellorum, quibus tota regio ardebat, haud levia pericula:

cula: crebra etiam latrocinia, quibus itinera erant infesta. Franciscus tamen omnium rerum, præterquam divinæ providentiæ, salutisque animorum immemor, iter adeo longinquum, ac periculosum alienissimo anni tempore suscepit.

Cæterum, sive ut expeditum inter barbaros iter, sive ut certum aliquem talis viæ ducem haberet, equiti indigenæ, Meacum petenti, famulum semet adiunxit, servitutem quoque pro Christo sibi decoram ratus. Domini ergo equitantis sarcinulam præter suum Missæ instrumentum, cursitans gestabat humeris. Herus quippe cursus magis quam itineris modo concitabat equum per obnoxia latronibus loca. Et Franciscus pedibus ferme ibat nudis, quod rivi amnesque vado transeundi se passim offerrent. Itaque sæpenumero pedibus ex nivis & algoris iniuria intumescentibus, graviter laborabat: crebro, etiam cursu ac sarcinarum gestatione fatigatus, glaciei aut asperitate viæ fallente vestigia, corruebat.

Quæ ille omnia non æquo solum, sed etiam intento in Deum, & à sensibus alienato, superabat animo. Quippe tanta erat vis coelestis contemplationis, ut victis dulcedine sensibus, subinde in vepres indueret se; ad lapides offensaret pedes, laceraretque sine ullo prorsus sensu doloris Nec vero noctis conditio melior, quam diei. Sæpe de nocte imbribus madefactus, frigore confectus ac fame, ad diversorium veniebat, ubi humana ærumnarum sub sidia solatiaque suppeterent nulla. Argumento est, quod toto illo itinere oryza, eaque emendicata, vitam toleravit, non minore alimentorum inopia, quam corporis vexatione procedens.

Tantas hasce itineris ærumnas insolentia exasperabat gentis. Iapones, ut elato sunt celsoque animo, peregrinum hominem, Iaponicæ elegantiæ ac

moris ignarum, eundemque sui contemptorem, exagitabant, velut stolidum fatuumque. Quocirca in oppidis ac pagis, qua transibat, in navigiis quibus vehebatur, in viis passim ac diversoriis, omnium erat ludibrium. At ille hilariter, non modo patienter cuncta perferebat, cùm Apostolo stultus propter Christum, & omnium peripsema esse gestiens. ( 1. *Cor*. 4. ) Mensibus in itinere duobus exactis, demum innumerabilibus terra marique perfunctus malis. Meacum Dei benignitate salvus & incolumis pervênit.

Meacum ut venit, intentus in occasionem Regis adeundi, petendique ab eo, ut faceret Evangelii in suo Regno pronunciandi potestatem, ad Regiam dies aliquot frustra expectavit. Iaponicæ quippe consvetudinis urbanitatisque inscitia, vulgaris & obsoleta vestis, Christianæ vitæ simplicitas eum cohorti Regiæ eludendum præbebant. Itaque adeo obstructos omnes ad Regem invenit aditus, ut nunquam omnino eum adire licuerit. Ergo cùm interim comperisset, cæteros Dynastas, Meacensis Regis maiestate obsolescente, nequaquam illi dicto audientes esse; mutato consilio, curaque impetrandi Regii diplomatis omissa, tentare Meacenses coepit, quo tandem animo Christianam acciperent legem. Repetit civitatem omnem sollicitam expectatione, suspensam metu bellorum ingruentium. Itaque, aversis auribus animisque omnium tempus terebat.

Vltro etiam in compitis ad circumfusam multitudinem verba faciens ( quod idem illi in aliis quoque oppidis acciderat) a pueris ac foece plebis passim obsoletis calceis aut etiam lapidibus petebatur, exigebaturque, adeo nihil salutare non modo ad animos, sed ne ad aures quidem admittibat obsti-

obstinata superstitio. At ille ibat gaudens, quod dignus habitus esset pro nomine Iesu contumeliam pati.

*Alia item exempla zeli singularis erga proximos Deo lucrandos B. P. Francisci Xaverii. Ex lib. 6. vitæ eiusdem Cap. 10.*

IMmensa hæc Dei caritas haud disparem in Francisci animo caritatem hominum accenderat, quæ nec cessare unquam illum, nec defatigari patiebatur. Hæc illum ubique ægris, vinctis, miseris quasi servum addixit, contagiosisque morbis inter ipsa funera obiecit intrepidum. Hæc ad barbaras, efferatasque gentes, vel cùm aperto capitis discrimine instituendas impulit; apud eas, quamdiu opus fuit, retinuit omnium rerum inopia laborantem. Hæc denique contemptis ex æstuantis Oceani fluctibus, piratarum latrociniis, incommodis infinitæ navigationis, ad ultimas usque gentes perduxit, ut Iapones quoque Evangelii penitus ignaros aggregaret Ecclesiæ.

Et tamen cùm tot iam terras, tot maria emensus, omnibus prope maritimis regionibus Orientis Evangelio lustratis, ad ultimum mundi terminum pervenisset; eadem hominum caritas eum perpulit, ut Sinarum claustra severissimis legibus, & custodiis firmata tentaret, vel cùm aperto capitis periculo: adeo inexhausta animorum aviditas nihil invium, nihil metuendum videri sinebat. Quin etiam tot gentibus ac populis ad Christi fidem adiunctis, ferebat ægerrime prohiberi se Sinarum aditu, utpote qui totius Orientis salutem mente complexus, in primordio suorum operũ stare se crederet.

Nec dubium quin si ei contigisset, ut Sinarum expeditioni superstes, Romam, quo ab Ignatio accersebatur, perveniret; Occidenti quoque, depositisque

tisque Ecclesiæ partibus, fuerit pariter saluti futurus. Quippe sive Præpositus Generalis, sive Præpositi adiutor, contactas hæresi nationes per socios curandi non prius finem fecisset, quam illum, aut curanda gens, aut vita ipsa deficeret.

Incredibile dictu est, quantopere ille fuerit in mortalium salutem intentus. Malacæ quidem & alibi confessionibus audiendis, reconciliandis dissidentibus, ægris sublevandis, cæterisque pietatis officiis assiduam dabat operam; adeo cibi ac potionis oblitus, ut sæpe biduum triduumve traduceret ieiunus: sentires eum talibus ministeriis divinoque obsequio pasci. Nimirum adeo insitus erat illi hic iuvandorum hominum propagandæque religionis amor, ut fere innatus videretur. Huc ille toto impetu ferri, in hoc totus esse, hoc omnibns expetere votis, in hoc maxime acquiescere, ut Christo aggregaret quam plurimos.

Nec minor quærendi novos greges, quam tuendi partos, cura erat. Quippe ita eos præceptis, atque institutis instruere erat solitus, ut externi pastoris operâ non magnopere indigerent. Ludovicus quidem Froes, è Societate Iesu, vir iuxta prudens ac pius, ita narrabat, se cùm primum Iaponem Insulam obiret, forte ad arcem devenisse, in insulæ angulo sitam, ibi tres incolas sibi occurrisse, rogitantes, quid factum esset Francisco Xaverio. Qua inopinata interrogatione, attonitum se primo hæsisse deinde sciscitando comperisse, apud eos aliquandiu diversatum esse Xaverium; & plerisque incolarum ad Christi fidem perductis, sacram inibi excitasse ædem: porro Neophytos adeo diligenter ab illo edoctos, ut sine ullo doctore Christiana disciplina cursum teneret suum.

Quippe discessurum Xaverium illis in posterum con-

consuluisse, & Christi vitam, summamque Ecclesiasticæ historiæ ipsorum sermone conscriptam, Romanum item Calendarium, cùm ratione festorum mobilium; implorationem coelestium, quam Litanias vocamus; Septem Psalmos, formamque baptismi eis tradidisse, monitis, ut festis diebus universi pariter convenirent, in conventu de Christi vita sacraque historia aliquid audirent, festos dies cognoscerent; superumque ope implorata, Septem Psalmos recitarent. Coeterum ducis scriba ( nisi necessitas aliud svaderet ) baptismo lustraret infantes. Et neophytos, Francisci præceptorum memores, adeo Christianis rebus instructos extitisse, ut nihil admodum cederent Europæis. Itaque affirmabat Froes, nihil se habuisse, quod adderet: sed illud didicisse, Xaverii exemplo ita ubique serendam colendamque religionem, ut per se niti suis ipsa viribus posset.

Quanquam Franciscus, quoad eius fieri poterat, neophytos per socios excolere non desistebat.

Nec vero Xaverii caritas ita civitates gentesque totas adiuvabat, ut singulos negligeret homines, quávis pertinaces obstinatosque. Ternate decedens, ex maximo Ternatinorum numero duntaxat reliquerat duos, quibus detrahere nequiverat pellices. Amboinum igitur reversus ( misericordia indignationis locum occupante ) literas ad Ternatinum amicum dedit rogans, ut duos illos suis verbis, quã bellissime salutatos commonefaceret, si quando in animum tandem induxissent è flagitiorum coeno emergere, confestim se illuc advolaturum, interim nunquam cessaturum eorum salutem à Deo communi Parente deprecari.

Malacæ vero cùm identidem verba faceret ad populum, audiebatur interdum ab Iudæo, erudito

illo quidem, sed ( quod illius gentis vitium proprium est ) pervicaci, nec minus Xaverii irrisore, quam veritatis. Is vitiis simul & erroribus implicatus obstinate obstabat Evangelio: eiusque auctoritas cæteros Iudæos à Christi fide deterrebat. Hunc igitur Franciscus omni obsequio demulcens, & comiter apud eum coenitans, adeo flexit, ut in contrarium mutatus, è pertinaci Iudæo probus ac pius fieret Christianus.

Hæc porro proximorum caritas, haud fortior, quam solertior fuit. Canonorium arx est Lusitanorum, portu celebris, inter Goam, & Cocinum interiecta. Hunc portum petens ex itinere Xaverius, quendam in ipsa navi ad confessionem peccatorum perducere frustra conatus, incœpto paulisper destitit, ut securum ex improviso adoriretur. Namque ille cùm urgeretur acrius, ut erat obstinato ad negandum animo, confirmarat iureiurando, se nunquam omnino id esse facturum. Franciscus ergo, ubi in terram descensum est, statuit in exitiali morbo ultima experiri auxilia. Itaque aliud se iam agere simulans, pervicacem hominem comiter, per speciem animi relaxandi, in saltum ( ut regionis natura fert ) frequentibus palmis consitum ducit. Vt in locum ab arbitris remotum ventum est, subito deposita veste, tergoque nudato, procumbit in genua, mox stupente illo, & quid tandem rerum tanto impetu acturus esset exspectante, flagrum depromit aculeis ferreis sane asperum, atque in eius conspectu tergum suum strenue diverberans, exclamat se eius causa id quicquid esset supplicii subire, ut coelestem ab eo avertat iram. Inter hæc palmetum resonabat ictibus plagarum: spectator ille stupens, & attonito similis Francisci cruore respergebatur. Ergo admiratione in misericordiam versa,

statim

ſtatim ad pedes Xaverii provolutus rogat, alienam culpam ſuo tergo luere deſiſtat: ſe paratum eſſe ſua aliquando expiare peccata. Itaque Xaverius victoria lætus, extemplo induit veſtem, eiuſque confeſſione audita, perditum hominem in viam ac ſpem ſalutis reducit.

In ægra vero ac prope depoſita Malacenſi civitate curanda haud paulo plus & prudentiæ adhibuit, & induſtriæ. Etenim cùm animaduerteret Malacenſium animos uſque eo flagitiorum ſenio ac tabe confectos, ut remedia funditus repudiarent; medicus animorum eximius novam ac ſalutarem iniit medendi rationem. Mira illos diſſimulatione adortus, inferebat ſe militum laſcivientium circulis; ludentibus de induſtria ſuperveniebat, ſe illorum luſibus & conſvetudine delectari ſimulans. Si quis eius interventu verecundiaque deſiſteret à luſu; comiter eum ad vitæ hilaritatem revocabat: ſe quoque talis oblectationis ſtudio teneri; milites utique monachorum ritu vivere non debere, ſi nulla intercederet iniuria divini numinis; ſatius eſſe ludere ac iocari, quam detrahere de aliis, aut quidpiam patrare flagitii. Inde conciliatis comitate animis, per omne obſequium, in quam maxime familiarem uſum inſinuare ſe, ut arcanos illorum eliceret ſenſus, morbiſque demum per occaſionem mederetur.

Vltro etiam aliis pellicu[illegible] amore implicatis ad prandium aut cœnam con[illegible]e: ſuper menſam familiari ſermone illato, pro[illegible]e appoſita fercula; de famula, quæ illa tam ſcite condiiſſet, percontari; rogitare hoſpitem, ut eam accerſeret; collaudatamque de ſolertia in cibis condiendis dimittere; ſat habens in præſentia, viam ſibi ad deſtinata feciſſe. Si cui gravis conviva futurus erat, ex improviſo inſtabat, ut ſibi eius tecta inſpicere liceret. Intro-

ductus mira comitate devinciebat hospitem; dissimulatoque consilio, velut feram vestigans, nullum omittebat angulum, quem non perlustraret oculis. Si in hospitis incidisset pellicem, quænam illa mulier, & cuius esset, sciscitabatur; seque omnia quæ videret, probare simulabat, occasionem rei bene gerendæ captans.

Adeo autem omnia omnibus fiebat, ut inter milites miles, inter mercatores, mercaror esse videretur. Itaque non modo Lusitani, verum eorum etiam pellices ipsæ, propter singularem eius comitatem, illum hospitem, illum convivam expetebant, quid tandem moliretur ignaræ. At Xaverius ubi se totum in illorum insinuârat familiaritatem, tum vero dissimulanter affectis animis mederi aggrediebatur.

## RATIONES ET EXEMPLA

*quibus adduci debeamus, ut negotium salutis animarum alacriter suscipiamus.*

*Ex Bibliotheca selecta P. Antonii Possevini lib. 4. C. 1. &c.*

*Cur initia bonarum rerum parva.*

1. INitia bonarum omnium rerum, sicuti & semina rerum naturalium solent esse minima. Ex ipsarum enim eiusmodi effectis, & magnitudine, liquidius denique agnoscitur, altitudo divitiarum & sapientia benedicti Dei, qui nec multos nobiles, neque multos potentes, sed infirma mundi elegit, ( 1. *Cor.* 1. ) ut ita magis abyssus illius magnitudinis clarificaretur.

*Temporis necessitas in rebus arduis, & cur?*

2. RErum quarumlibet arduarum ( uti naturalium quoque progressui ) temporis spatium necessarium est: Ita enim rebus paulatim crescentibus ipsius D. Maiestatis lux, atque cognitio svaviter mentibus nostris illabitur. Quamquidem unico intuitu

tuitu perfectæ iam rei, complecti animo non possemus, sicut succedentibus sensim incrementis novi luci radii aciem oculorum nostrorum commodius illustrant. Præterquam quod ea, quæ ex illius omnipotentis charitatis officina prodeunt, si illico absoluta prodirent, non ipsi Deo, sed alienæ fortassis causæ adscriberemus, quasi manus nostra esset excelsa, & non Deus faceret hæc omnia. Nec vero quoniam triticum in terra diu latet, aut super terram aliquot menses sine spica duntaxat herbescit, idcirco de maturitate desperamus, alioquin nec parentes plantarent earum arborum semina, quæ non sibi ipsis, sed posteris fructum solent afferre.

*Materiam omnem esse præparandam.*

3. Accedit, quod ut agens non agit, nisi in passum bene dispositum, ita materia præparanda prius est, quam introducatur forma. Neque enim peritus medicus esse censetur, qui ante fortiora pharmaca, syrupos, & leviora medicamenta non adhiberet.

4. Rerum ad convertendas animas, ac denique ad Ecclesiam, vel fundandam, vel (ubi religio concidit) instaurandam, spectantium firmitas non solum diuturni temporis spatium, verum etiam labores, sudores, miras vexationes, & sangvinis ipsius effusionem fere semper requisivit. Nec ita se magis Divina vis exerit, dum (quasi ex illisis lapidibus ignis) claritas veritatis erumpit; ut varii adversarii atque certamina varias virtutem amantibus coronas pariunt.

5. Certissimum est, ac passim in divinis scripturis patet, Dei voluntatem esse ut homines salvi fiant, Deumque nolle aliud quam nostram sanctificationem. Itaque quidquid nobis præter peccatum accidit, ad quod humana voluntas cogi nulla ratione po-

ne potest, id nullam habet rationem mali: proinde labores, persecutiones, verbera, revera malum non sunt: alioquin hæc omnia filius Dei non elegisset. Quamobrem et nos eadem in Divino negotio procurando alacriter sustinere debemus, certissimi Deum manum suppositurum esse, ne vltra id tentemur, quod ferre possimus, ( 1. *Cor.* 10. ) quin cùm tentatione proventum quoque daturum.

*Peculiaris cura Dei erga bonos.*

6. SAcræ litteræ docent, ut reliquorum, ita proborum & innocentium hominum peculiarem à Deo curam haberi: ( *Zach.* 2. ) *Qui vos tetigerit* ( inquit. ) *tanget. pupillam oculi mei:* &c: ( *Ps.* 91. ) *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei commorabitur.* Hinc fit, ut apud Deum anima unius eum timentis magis æstimetur, quam mille filii impii. Itaque qui nihil in tota vita sua ageret aliud, quam ut hominem unum accurate vias Domini doceret, is sane tanquam Angelus Dei operam suam utilissime poneret. Cùm autem aliquis amicus Dei efficitur, nihil non obtinere potest à Deo, qui voluntatem timentium se facit: Qui enim apud Principem aliquem pretiosissimus est, multo plura unico verbo & momento ab eodem, quam reliqui plurimi, ne multis quidem supplicibus libellis, ac diuturno studio assequuntur. Notissimum autem est illud exemplum ancillæ Iudeæ, cuius unius opera uti voluit Deus ut à lepra Naaman Syrus liberaretur, ac Deus verus inter ipsam perfidiam agnosceretur, & coleretur. ( 4. *Reg.* 5. *Luc.* 4. )

*Desideria serviendi Deo ad exitum perducuntur.*

7. FIrmissime quilibet sibi persvadeat, bona & sincera Deo inserviendi desideria, nunquam sine Divino numine nobis immitti. Ea vero si sedula charitate foveantur, ad exitum tandem à Deo per-

perduci, cuius opera cùm perfecta sint, is etiam cùm dat velle, largietur haud dubie & perficere:

*Exempla veteris Testamenti.*

8. EXempla veteris testamenti hæc omnia comprobant, illudque ingens fidei & patientiæ Noë, qui centum totos annos arcæ ædificandæ, ac tantum octo animabus humanis adservandis impendit. ( 1. *Pet.* 5. 2. *Pet.* 2. ) Vnde postea factum est, ut ex invicta patientia paucissimæ illæ animæ totum terrarũ orbẽ restaurarent. Quare non parum sciat se profecisse, qui paucissimos cùm Deo coniungit, eosque in tuto collocat. Trita vero sunt reliqua, sed tamen expendenda, quæ Moysi qui greges pascebat: ( *Exod.* 13. ) quæ Abrahamo, in cuius semine benedictæ sunt omnes gentes: ( *Gen.* 17. ) & quæ aliis inter summas quasque difficultates contigêre.

*Exemplum Christi Ipsius.*

9. CHristus autem IESVS æterna Patris sapientia, totius boni, & veritatis fons, se ipsum evidentissimum constituit exemplar, ex quo rationem expectandi, patiendi, & lucrandi animas, petere debemus. Spinas certe, flagella, clavos, vulnera, & ipsam Crucem ostendit: quibus ipsius Regnum fundatum est, ut & nos aliqua ratione ex tanto exemplo excitemur, & unde præsidium precemur assidue.

10. Cæterum cùm hoc opus non currentis sit, sed volentis, ac miserentis Dei, ( *Rom.* 9. ) expectanda ita Patris hora est, & temporis plenitudo, ut cùm in eius manu omnia sunt posita, nos autem ipsos in ipsius manu ponamus: Divinæ eius voluntati oratione primum, denique reliquis rationibus sincerissime cooperantes.

*Exempla Apostolorum &c.*

11. APostoli, & reliqui antiquissimi viri Sancti,

hanc

hanc ipsam Domini semitam in Evangelio annunciando triverunt. Ac cùm S. Iacobus Apostolus octo solum animas in Gallæcia Christo Domino adiunxisset, utilissimum tamen laborem impendit. Per illos enim denique Gallæcia, magnaque pars Hispaniæ conversa est,& divinitus factum est, ut cùm viventem Apostolum audire noluissent, ad eius demortui cadaver postea undique accurreretur, cuius fidem, & orationem per tot sæcula implorarunt, atque etiamnum implorant. Ita B. Apollinaris duodecim annos in Ravennæ suburbiis demoratus, terque ad eam civitatem rediens, licet denique martyrium subiit; operi tamen inchoato constantissimam operam navavit. Quare quod vivens efficere non potuerat, decedens ex hac vita consecutus est. Sic Ravennates per tot sæcula insignem venerantur Doctorem & Patronum, quem non uno supplicio excruciarunt. Alii vero qui variis & pluribus cruciatibus plures annos fuerunt attriti, sic tamen perseverarunt in orando, ut denique feritate deposita civitates patientiam eorum admiratæ, fidem Christi receperint. Quæ quidem omnia possent nostram socordiam, & veternum excutere, si ii essemus, quales esse debemus, aut adeo haberi volumus. Cùm vero in primitiva Ecclesia fundanda Christus Dominus voluerit, ut trecentos ferme annos quicunque Pont. Max. fuere, hi pro eius fide martyrium, aut varias persecutiones subirent; sane intelligitur non esse ignavi, aut commoda, vel studia quærentis propria, salutis animarum procurationem. Illud autem crebro memoria repetendum est, qui sibi colligendis, & abnegandis enixe vacarunt, his Deum fuisse usum in magnis fidei negotiis. Perspicax enim Divinæ Maiestatis oculus, aptiora instrumenta cognoscit, & deligit, per quæ

eos

eos in momento temporis, sæpe efficacius agit quam diuturno tempore per plerosque homines, qui vel sibi, vel mundo melius aliis sapere videntur. Quod cùm in multis, tum in S. Antonio præcipuum fuit, qui Alexandriam veniens, brevissimo temporis spatio miram Arianis intulit cladem, quantam fortasse perdocti, & literati multi ( licet Catholici ) longissimo vitæ spatio non intulerunt.

*Non esse cessandum à labore, spe longioris vitæ.*

12. QVi sibi blandientes existimant, si sibi ipsis à labore temperarint, fore, ut & diutius vivant, & ideo animarum conversioni diutius operam daturi sint, ii non intelligunt, si Apostoli ipsi, quibus pene solis ædificium Ecclesiæ nitebatur, id cogitassent; neque sanguinem, nec vitam profudissent;quod tamen efficacissimum fuit antidotum perfidiæ tollendæ, ac fidei stabiliendæ, addo item; maiori operariorum numero ad gloriam Dei propagandam excitando.

13. Quin etiam multo longiorem vitam vixere Dei servi, qui tanquam violenti ceperunt ipsius Regnum, quam ii, qui ætate non virtute vitam longissimam egerunt. Plura enim ii una ipsa die vigilantia, & sincerissima diligentia effecêre, quam qui otio, socordia, somno, diiudicandisque aliis, dum habent multum, quod de se cogitent, in propriis phantasmatibus marcescunt. Id autem liquidius cognoscetur, si Beatæ Catharinæ Senensis, & eiusmodi aliorum vitæ curricula æqua lance pendantur, atque adeo cùm aliorum istorum vitio conferantur. Sancta enim illa virgo, cùm die nocteque sesquihoram somno daret, resque serias ad Dei honorem, & proximorum salutem ardentissima charitate incessanter procuraret, brevi certe spatio consummavit tempora multa. Itaque trigesimo

ter-

tertio anno vitam hanc finiens, diutissime vixit, ac vivit adhuc, cùm eius scripta & facta universo Christiano orbi splendidissimum lumen offundant, ne quid dicam de innumerabilibus bonis, quæ in Sanctorum cætu à sponso suo Christo Ecclesiæ procuravit & curat.

Porro si peregrinationes virorum Religiosorum cogitemus, quantopere nempe divinam gloriam, gentium remotissimarum salutem, paucissimis annis in Indiis orientalibus, & occidentalibus promoverunt: intelligemus & plurimos etiam probos alioquin homines qui diutissime vixerunt, ne minimam quidem fructus partem, præ illis Ecclesiæ Dei attulisse.

*CVR NON PERCIPIATVR ab omnibus is fructus, quem utique percepissent, si opus Domini serio agere voluissent, ac quonam modo impedimenta submoveri possint.*

1. QVod per sapientiæ Divinæ vias nolunt incedere, quæ omnino vult, ut in multa patientia, paupertate, nuditate, quotiescunque occasio id ferat, coelestia feramus. Cùm enim incommodis ob Dei obsequium tolerandis, aut suorum iudiciorum abnegationi nolunt assuescere, minus amantur à Deo, minus ad eius negotia adhibentur, qui magis semet ipsos, quam Deum, ac magis ea, quæ sunt privatæ voluntatis, & amoris proprii, quam animarum salutem diligunt. Nam pro animabus proximorum animas nostras ( ita Deo volente ) ponere debemus. Hinc itaque fit, ut ad ædificium Christi extruendum debitis mediis non utentes, vix quidquam solidi unquam ædificent.

2. Huius vero potissima causa est, quod nunquam alte gustarunt quam suavis sit cibus, qui de mensa Crucis Christi Domini, hoc est in multa tribulati-

ne sumptus, in corde coquitur, ubi scilicet ex charitate animæ, quasi esuriuntur & manducantur.

3. Aut quoniam proprii nominis honorem (quasi soli ii sint magni concionatores, qui frequentes habent auditores, aut multa verba effundunt) tanquā scopum ac præmium suorum laborum stultissime sibi præfixerunt.

4. Aut in studiis curiosis, & inutilibus pro eorum curiositate potius quam ratione tempus, quæ preciosissima res est, insumunt. Id interim quod præ manibus habent, & ad quod missi sunt, fallaci torpore omittentes.

5. Aut forsan quoniam declinantes alias confusiones, indirecte, nec sincere, vel quæsiverunt, vel saltem amarunt ipsarum missionum occasiones, in quibus dum propriæ voluntatis radix virescit, Divina virtus arescit, & Christi voluntati ponitur obex.

6. Aut se se negotiis sæcularibus falso boni prætextu implicantes, & obicem spiritualium negotiorum progressui admovent: vel denique non cogitant, quam circumspecte cavendum sit, ne coelum cùm terra misceant, qui cùm se coelestibus rebus prorsus addixerint, proni & præcipites ruunt in terrena negotia.

7. Aut superiorum, & meliorum consilia sic spernunt, ut de suo capite novam insinuandæ fidei & pietatis rationem invehere, aut invectam sequi, vel hæreticis quoque principibus præstito aliquo iuramento temere, vel callido potius astu quam prudenti simplicitate docere, quæ fidei sunt audent. In operibus autem ( ut Basilius inquit ) contra præscriptum superiorum factis, maius peccatum est, quam bonitas eorundem operum sit, quæ tamen nulla esse potest, dum insinuari fides tentatur alia, quam

quam decet, ratione. Sed & æquum eſt ( ait Bernardus ) ut qui Deo non obedit, huic inferior pars, id eſt caro, non obtemperet. Ac nullo alio vitio præcipitem diabolus Monachum pertrahit ad mortem, quam cùm eum neglectis conſiliis ſeniorum ſuo iudicio perſvaſerit, definitionique confidere: quemadmodum dixit Moyſes apud Caſſianum. ( *Collat.* 2. *C.* 11. )

8 Aut quod ea in corporis parte in qua poſiti ſunt, manere nolunt: vel præpoſtere tractant, quæ eſſent ordinate tradenda; vel denique ea docere alios volunt, quæ ipſi nondum percepere; nec vero eos, qui ea norunt conſulere magna cùm animi demiſſione volunt.

9. Aut verentur, quod ſi quos ad Chriſtum Dominum, & eius Eccleſiam adiunxerint, hi demum Sacerdotes Catholicos non ſunt habituri, qui eos excolant. Potens autem eſt Deus ſuſcitare ex lapidibus filios Abrahæ. Quare nec deſtitêre Patres antiqui aliquibus convertendis operam ſuam impendere, licet nulla tum ſpes affulgeret præſentium operariorum; qui vero converſi ſunt, ipſi per ſe Divina tantum gratia nixi, à gentilium erroribus diu abſtinuerunt, ac non paucos poſt annos à Dei bonitate ad illos miſſi ſunt alii Sacerdotes, qui eos iterum Sacramentis muniverunt.

10. Aut quod omiſſa ſpirituali cura ſalutis ſuorum domeſticorum, aliis vacant, cùm qui eam deſerit, gentili ſit deterior, ( 1. *Tim.* 5. ) Certos autem pro incertis relinquere, nec ordinatæ charitatis neque ſinceri iudicii, ac proinde nec Divinæ voluntatis eſt argumentum.

11. Aut ſuæ quieti & commodis privatis eorum vitam prætexunt, qui ſe ſe contemplationi dedidere. Ita enim quoniam in eos qui proximorum ſaluti va-

ti vacant, turbationes plerumque cadunt, studium interioris pacis obtendunt, semetipsos potius, quã alios fallentes. Interea vero meditari nolunt, eos, qui revera se totos vitæ contemplationi addixerunt, omnia mundana reliquisse; sub aliorum obedientia humiliter, ac diu vixisse; incommoda pene incredibilia volenti animo subiisse; omnem quietem, ut athletas insuperabiles, à se amovisse. Quo vero tempore hæresis, & aliæ persecutiones Ecclesiam Dei oppugnarunt, non defuisse eos, qui vita contemplativa relicta, cucurrerunt ad certanda pro fide Christi bona certamina, sicuti de Aphraate, & Isaaco memoria proditum est. Interim autem dum orationi vacabant, maximam vitæ partem, nullo pene cibo traducentes etiam in vinea Domini ( oblata occasione ) strenue laborarunt. Quod ipsi quoque Sanctæ Magdalenæ ( meliorem licet partem elegerit ) scimus contigisse.

12. Aut quod se se frustra tempus terere existimant, si inter mercatores versantur, quoniam hi ab illicitis com merciis abstinere nolentes, viam sibi salutis præcludunt. Nam & inter tales aliqui reperiuntur, qui pietatis studio incensi exemplo aliis relinqui possint, multa vero alia peccata queunt impediri, quibus sublatis radix usurarum avaritia, ope Divina potest evelli. Ac ut illa evelli non posset, minor certe poena futura est iis, qui reliqua peccata dimiserunt præterquam quod iustificatur Divina iustitia, quando misericordiæ viis ii noluerunt insistere.

15. Aut quoniam Divina gratia qua erant ornati, cùm aliquo mitterentur, hanc aliquo peccato commisso amiserunt, quod nisi celeri contritione & Sacramentali confessione ( cùm primum Sacerdotem legitimum adire possunt ) eluant, cæciores in di-

es fi.

es fiunt & in alia peccata graviora prolabuntur.

14. Aut denique quoniam aliis prospere negotium Divinum agentibus, non solum haud congaudent, verum etiam invident, quæ fraternæ gratiæ invidentia, cùm adversus Spiritum Sanctum horribile peccatum sit, sane fontem Divinæ gratiæ in illis citissime exsiccat.

*Hæc impedimenta sequentibus rationibus submovenda sunt Divina aspirante gratia.*

1. PEccatorum propriorum & pronitatum ad malum sedula, & assidua consideratione: atque amoris proprii diligentissima extirpatione. Vtrumque autem certe assequimur, si nos nihil ex nobis esse, nos item ( uti aiebat S. Catharina Senensis ) nunquam Deum rogasse, ut nos crearet, meminerimus.

2. Ac vero si ex innumeris tentationibus, quibus à Deo sapientissime permittimur oppugnari, intelligamus, nos, si quid ex nobis possemus, illas libenter, ac sæpe velle amoliri. Quod quando efficere nequimus, sane quid ipsi simus, facile cognoscere possumus.

3. Divinæ bonitatis accuratissima perpensione: quam in bonæ voluntatis largitione cognoscimus, atque item quod sæpissime nobis subtrahit occasiones, ne ruamus in deteriora peccata: quod beneficium infinitam meditandi, & ex animo gratias Deo agendi materiam præstat.

4. Contritionis assequendæ vigilantissimo studio, & non dilata confessione sincerissima peccatorum, cùm obfirmato proposito ea relinquendi, & fructus poenitentiæ dignos faciendi; quam ad rem multum facit, id quod in vita Beatæ Catharinæ filiæ S. Brigitæ, de confessione integre facienda scriptum est.

5. Obedientiæ amor, & obsequium erga eandem obe-

obedientiam re ipsa promptissimum impensum.

6. Sedulum proprii muneris studium, eiusque non intermissa vacatio, adhibita diligentia, ut idioma eorum, inter quos versamur, ad discamus; quod nisi facimus, cùm certe facillime pueris Catechisũ docendis fieri possit, exiguæ id charitatis & quasi curtæ suppellectilis spiritualis signum est evidens.

7. Tum vero si memorata præstiterimus, in lumine videbimus lumen, quod veri amici quasi columnam ignis sibi præeuntem conspexerunt, & secuti sunt ad lucem Christi, inter infamiã & bonã famam, & inter ipsos adeo equuleos, atque horrenda cruciamenta inferendam.

*Si omnino negotium salutis animarum nequeat perduci ad effectum, quænam utiliter cogitanda sint.*

1. IN primis verissime nos esse indignissimos, quos Deus purissimis suis manibus tractet, ad aliorum animas convertendas, tum quoniam sæpissime erga nostram ipsorum salutem frigidissimi fuimus, tum quod diligenrissime æternum aliorum, & nostrum interitum peccando procuravimus.

2. Deinde nos, si non ( tanquam Iosue ) possumus triginta tres Reges debellare, posse saltem exploratores immittere, qui populo Dei referant, quanta viderint in terra promissionis, vel munus ipsorum exploratorum á nobis posse præstari, ut alios fortiores excitemus, ad prælia Domini præliandum. Quemadmodum Eremita ille sive peregrinus fecit, qui ex Oriente veniens autor fuit, ut Pontifex Maximus in Gallia sacrum bellum ad Hierosolymam recuperandam indiceret.

3. Quod si ne exploratores quidem esse possimus, saltem ipsas sarcinas custodiamus, Deique operariis humilem operam præstemus, cùm scriptum sit æquam futuram portionem eorum, qui ad sarcinas

remanent, & eorum qui ad prelium proficifcuntur. ( 1. *Reg.* 30. )

4. Ita quoque nisi ob scelera nostra, olim patrata idonei ædificando Dei templo simus, quoniam scilicet ( quod Davidi Regi à Deo obiectum est ) etiam ipsi nos sangvinum viri fuimus, saltem aut occasionem præbeamus, aut materiam paremus aliis, ut suo tempore per alios id fiat. Qua in re dignum illud est, quod perpendatur, quod Paulus Orosius lib. de arbitrii libertate scriptum reliquit: Ait enim: Ædificari voluit Deus templum nomini suo, & hoc ut non nisi innocens & bene immaculatus extrueret. Duo ad hoc Reges cunctis viribus eliguntur, utrique ad adiutorium Divina custodia promittitur: Ad David siquidem dicit Deus: *Veritas mea & misericordia mea cum eo De* Salomone vero testatur: *Ipsum elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.* Ex his duobus templum Domini unus præparat, alter ædificat: præparat senex, perficit puer. Dignum est enim ut Sanctum Domini templum Sanctus ædificet. Præparat ( ut dixi ) senex, sed quasi postquam peccare cessavit: perficit puer, sed tamen pene, cùm adhuc peccare non cæperit. Ille ante peccavit, hic postea. Ille multo peccato ædificare non meruit, iste multum peccando, quod ædificaverat, dereliquis, & inter hæc mirabiliter sibi ordinatio sancta dispofuit, ut inter duas ætates, quod perpetuum in homine esse non poterat, pro captu temporis inveniret. Hæc ille.

5. Porro sicut ordinate, & instanter operari debemus, quæcunque Divino auxilio manus nostra potest efficere; ita applicandæ omnes potentiæ sunt ei rei, quæ tanti momenti est, quanti est salus animarum. Qua de re, procurandum serio esset, ut quæ alibi scripta sunt, de applicatione potentiarum,

rum, ea altissime perciperemus. Propterea adhibenda est humilis, continua, & fidelis oratio, qua petamus à Deo, ut nostris iniquitatibus parcens, non desistat tamen prosua ineffabili misericordia meliores in vineam suam operarios mittere, totque innocentium & puerorum necessitates potius, quam nostra peccata respiciat. Hæc autem oratio singulis diebus habita, magnum habebit momentum ad iustissimam iram Dei flectendam. Denique eorum Sanctorum auxilium apud Christum Dominum implorandum est, qui in iis regionibus, in quibus versamur, fidei fundamenta Deo aspirante iecerunt. Quorum Sanctorum vitas meditari multum referret: cùm quibus initiis Respublica & cultus Divinus institutus est, ad eadem initia referenda sit eiusdem instauratio, & ex iisdem eadem ratio facillime intelligatur.

*Quinam libri, quæve loca scripturarum, & Patrum per aliquot dies legere vel meditari utilissime poterunt, qui negotio salutis Animarum præcipue in missionibus operam sunt daturi.*

1. PRæter instituti proprii constitutiones, regulas, & instructiones, aliquid Divinæ scripturæ quotidie legatur eum ad finem in primis, ut nos immaculati efficiamur.

2. Ex vitis Sanctorum Patrum illæ potissimum attente legantur, in quibus opera, & charitas ardentior continetur, qua proximorum salus procurata est. Horum autem qui diriora & longiora tormenta perpessi sunt; qualia Clemens Ancyranus pertulit, qui vicies octies Martyr fuit, cùm viginti & octo annorum spacio, mira cruciamenta perpessus sit.

3. Revelationes Sanctæ Brigittæ, ac præsertim harum tertius liber admirabilis,& solidæ ac coelestis doctrinæ plenus.

4. Omnia ſcripta S. Catharinæ Senenſis, præcipue vero Epiſtolæ, Divinitus certe dictatæ, ac Dialogi etiam Latine Ingolſtadii noviſſime editi, qui tamen Italice prius erant excuſi.

5. Gerſon de imitatione Chriſti: hoc eſt qui eius nomine ſcripſit, Thomas de Kempis.

6. Quæ vero ad hæreſes refellendas, vel item ad pietatem inſinuandam ratio in Sacra ſcriptura, & Patribus perlegendis adhiberi debeat, ea ex iis petantur, qui de his varia hoc ſoeculo ſcripſere. Interea vero hæc, quæ æterna Patris ſapientia pronunciavit, ſcribantur in corde.

7. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, ( *Joan.* 15. ) niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.

8. At ſi vis ( inquit Oroſius *lib. de liber. arbitr.* ) apertius accipere teſtimonium, quia cùm utique poſſit Deus, tamen pro ipſa ordinatione non faciat, dicit ad Petrum: An putas me non poſſe modo rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus, quam duodecim legiones Angelorum? Sed quomodo complebuntur ſcripturæ? Quia ſic oportet fieri. Vides ergo quia operator temporis, temperat virtutes, & ratio diſpoſitionis, miſcet potentiæ patientiam. Deinde ait Dominus: reconde gladium in theca: fieri enim non poteſt: nec eſt quicquam quod non faci-

faciat, nisi forte quod nolit, non oporteast, non proponat.

9. Mater Dei loquitur ( inquit B. Brigitta *lib.* 4. *C.* 13 ) Qui conducit operarium ad laborandum, dicendo ei, porta arenam de littore, & inquire in quolibet onere, si forte ibi invenire poteris, granum auri, non minor erit merces eius, si nihil inveniret, quam si reperiret multum. Sic est etiam cùm illo, qui verbo, & opere, ex Divina charitate laborat ad profectum animarum: non enim erit minor merces illi, si nullos converterit, quam si multos, sicut magister dixit exemplum: ille ( inquit ) bellator, qui ad præceptum Domini sui egrediens ad bellum, & habens velle fortiter dimicandi, rediret saucius, nullum habens captivum, non minorem mercedem obtineret, amisso bello, propter voluntatem bonam, quam si victoriam fuisset consequutus. Sic est etiam cùm amicis Dei. Nam pro quolibet verbo & opere, quod faciunt propter Deum, & ut animæ emendentur, nec non & pro qualibet hora tribulationis, quam patiuntur propter Deum, coronabuntur, sive multi convertantur, sive nullus.

10. Solebat dicere nonnunquam Beatus Pater Ignatius noster, se in difficilioribus quibusque negotiis, ita rem totis viribus Deo commendare consvevisse, ac si nulla humana industria, nulla alicuius cooperatio ad illa conficienda, præter Deum ipsum, esset necessaria, aut adhibenda. Cùm vero id faceret, tum ita cooperari se solitum ad eadem ad exitum perducenda, ac si nihil Deus in illa conferret. Nempe cùm sciret Deum in primis esse cognoscendum auctorem omnis boni, ac sine quo nihil effici possit: intelligebat item, quando Divina eius sapientia cooperationem exigit suarum crea-

turarum, istam cooperationem toto pectore esse ad rem adhibendam. Sic arduarum quarumcumque rerum ad Dei gloriam spectantium aiebat semper exitum se esse consequutum.

11. Videat denique sitiens animarum salutem, quæ de Origenre illo doctissimo scribit Nicephorus: Ille enim Origenes cùm plures, atque ipsū suū genitorem martyres præmisisset in cœlum, summosque labores in convertendis animabus pertulisset, ita, ut è domo in domos per foramina, ad fidem piorum fovendam inter summa pericula penetraret, tandem quia humilitatem, ac se ipsum non costodivit, in multos errores miserrime cecidit. Itaque qui stat, videat ne cadat. Et qui mittitur, caveat ne exeat extra se.

12. Si vero laboris, aut solicitudinis & periculorum eum tædet, cogitet, num revera credat purgatorium esse, atque an multa centena annorum, horridarum pœnarum, cùm momento laborum huius vitæ libenter vellet commutare.

13. Singulis porro diebus non cesset illud Apostolicum orare: *Domine adauge nobis fidem.* (*Luc.* 17.)

## CAPVT VIII.

## INDVLGENTIÆ RELIGIOSORVM Ordinum, per SS. D. N. Paulum Papam V. reformatæ.

*PAVLVS PAPA V.*

*Ad perpetuam Rei memoriam.*

ROmanus Pontifex in Beati Petri Sede constitutus, cui inter alia cœlestis Indulgentiarū thesauri dispensandi cura incumbit, solicite prospicere debet, ac solerter, ut huiusmodi Indulgentiarū dispensatio, & usus ad Dei gloriam, & animarum salutem præcipue dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur.

Pro-

Proinde cùm fe. re. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster magna cùm diligentia, & sollicitudine procuravit abusus, & corruptelas, tùm in communicando, & dispensando Indulgentiarum thesauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea sua quadam Constitutione formam aggregandi, instituendi, & recte administrandi societates, & Confraternitates præscripserit, licet morte præventus hanc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa Indulgentias à plerisque Romanis Pontificibus prædecessoribus, Religionibus, & Ordinibus Monasticis, & Mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit. Nos, qui nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate ad summi Apostolatus officium vocati sumus, susceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholicæ Ecclesiæ regimen suscepimus, Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, ad hoc opus à dicto Clemente Prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis Prædecessoris eramus, iniunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent.

Cùm itaque præfati Cardinales privilegia, concessiones, & gratias prædictis Religionibus, & Ordinibus concessas diligenter inspexerint, & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores & Officiales pluries audiverint, ac circa easdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confusiones ad esse compererint, & ex iudicio eorundem etiam Regularium, vel aliquorum ex illis, nobis proposuerint valde expedire, pro eorum maio-

ri ſecuritate, & beneficio, ut Indulgentias ipſis Religionibus,&Ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cupientes perſonis Regularibus quibuſcunque quorummvis Ordinum, tam Monaſticorum, quam Mendicantium Spirituale ſolatium, & iuvamen afferre, infraſcriptas Indulgentias, & gratias, quas perſonis Regularibus intra clauſtra, aut extra, cùm licentia tamen ſuorum Superiorum legitima de cauſa illis conceſſa, degentibus tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

*Indulgentia plenaria in ipſo Religionis ingreſſu.*

1. OMnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonice, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum regularem à legitimis Superioribus cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi vere poenitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam.

*Plenaria in Profeſſione.*

2. AC cuilibet Novitio, qui poenitens,& confeſſus, ac ſacra Communione refectus, poſt completum probationis annum profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

*Plenaria in Feſto Ordinis principali.*

3. NEc non cuilibet Religioſo intra clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in Feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exal-

exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam.

*Plenaria in articulo mortis.*

4. IN cuiuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitens, & confessus, ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit, etiam plenariam.

*Plenaria in primitiis Sacerdotum.*

5. QVi vero ad Presbyteratus ordinem canonice promotus, & confessus primam Missam celebrabit; nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.

*Plenaria qui decem diebus Exercitiis Spiritualibus vacaverint.*

6. IIs vero, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualiũ animos ad devotionem & spiritum inducentiũ lectionibus operam suã dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, divinorum beneficiorum, quatuor Novissimorum, Passionis Domini Nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem, & noctem, orationibus mentalibus se se exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem miseri-

cordi-

corditer in Domino concedimus.

*Stationes Vrbis.*

7. PRæterea iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint, & ut præfertur (n. 3.) oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.

*Quinque annorum quotidie.*

8. OMnibus item Religiosis intra claustra, ut supra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die quinque Annos, & totidem quadragenas; iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores quinquies eandem orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

*Sexaginta anni & totidem quadragenæ.*

9. NEc non etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus, spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessis, & sacra communione ultima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.

*Tres anni &c.*

10. QVi vero contrito corde, & poenitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis Culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadragenas.

*Plenaria pro iis, qui inter hæreticos &c.*

11.

11. QVotiescunque autem de licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in Ditiones, & Terras Infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus se se parare valeant, pro duabus vicibus videlicet quandiu itineri se accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus & elargimur.

*Plenaria in Visitationibus, si oratio quadraginta horarum instituatur &c.*

12. ET insuper cùm Superior in Visitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono Visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus, saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac SanctæMatrisEcclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ regularis augmento pias ad Deū preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi, & sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, concedimus.

*Eædem Indulgentiæ etiam Monachabus conceduntur.*

VOlumus autem, ut omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis regularibus cuiusvis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis duntaxat,

taxat, ut præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cuiusvis regulæ approbatæ, & intra claustra cùm tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinariis Locorum, quam etiam regularibus cuiuscunque Ordinis, regulæ, & instituti subiectis suffragentur. Præsentibus, perpetuis, futuris tẽporibus duraturis.

*Omnes aliæ Indulgentiæ ordinum Religiosorum abrogatæ.*

CÆterum omnes, & singulas Indulgentias quibuscunque Ordinibus, & Institutis regularibus huiusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum, & literarum Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedẽ hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, authoritate, & tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum literarum præscriptum reducimus, & moderamur. Non obstan. quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eorundem Ordinum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consvetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupata eisdem Ordinibus & Institutis, eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis a-

lia

lia expreſſio habenda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus literis haberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die XXIII. Maii. M.DCVI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

*M. Veſtrius Barbianus.*








# DIRECTORIVM EXERCITIORVM SPIRITVALIVM.

## *B. P. N. Ignatii.*

DIrectorium exercitiorum spiritualium ante aliquot annos typis excusum eo consilio ad provincias missum fuit, ut antequam suprema manus operi imponeretur, usus atque experientia docerent, an aliquid addi, aut detrahi, vel etiam commodius dici posse videretur: atque in hunc finem omnes monuimus, ut si alicui tale quidpiam occurreret per suos superiores ad R.P.N. Generalem Romam mitteret; cùm autem quædam à nonnullis observata, ac Romam transmissa fuissent, iis omnibus in quinta Congregatione Generali à Deputatis Patribus ad Directorium recognoscendum diligenter, atque exacte discussis, iterumque à R. P. N. Patribusque Assistentibus accurate perpensis, ad hunc tandem modum Directorium accommodari posse visum est: speramusque laborem hunc non solum probatum iri, sed etiam iis, qui spiritualia exercitia tradituri sunt, valde utilem fore. Reliquum est, ut hac occasione nostri ( ut plenius ad Provinciales communibus literis scriptum est ) in posterum ad exercitia spiritualia frequentanda studiosius incumbant, & aliis etiam maiori cùm utilitate tradere studeant.

Datum Romæ Calendis Octobris. 1599.

*Mandato R. P. N. Generalis,*
*Iacobus Dominicus.*
*Secretarius.*

# PROOEMIVM.

# DE DIGNITATE ET VTILITATE EXERCITIORVM, & DE NECESSITATE DIRECTORII.

1. INTER alia instrumenta, quæ Deus pro sua bonitate, ac clementia, Societati nostræ, tum ad propriam, tum ad proximorum salutem, perfectionemque procurandam largiri dignatus est, non postremum locum habent spiritualia exercitia Const. p. 4. c. 8. §. 5. p. 7. c. 4. §. 8.

2. Hæc enim sunt spiritualia quædam documenta, quæ ut in huius libri præfatione dicitur, non tam ex libris, quam ex unctione Spiritus Sancti, & ex interna experientia, & usu, noster in Christo Pater Ignatius composuit. Hæc sunt lumina, quæ ei Dominus in ipso primo conversionis fervore inspiravit, ac deinde in omni progressu eius virtutis, & sanctitatis semper confirmavit.

3. Quemadmodum igitur Dominus Deus ideam totam Societatis nostræ tum exteriorem, tum etiam quæ ad interiorem virtutum formam pertineret, ei tanquam capiti, & fundatori communicavit, ita etiam, cum oratio, & communicatio cum Deo sit tanti momenti, ut magna ex parte religiosa observantia, spiritualis profectus ex ea pendeat, plurimum referebat habere hanc methodum, & directionem ad orationem faciendam ab eodem Capite nostro, quam nos quoque omnes sequeremur, & præ oculis semper habere conaremur.

4. Atque hæc causa est, cur ipse P. N. Ignatius in omni sermone, ut accepimus, & vero praxi ipsa tantopere nostris commendare soleret usum horum exercitiorum, ac in Constitutionibus quoque tam crebro eorum mentionem faciat, & præfertim parte 4. c. 8. § 5. ubi dicitur, omnes operam dare debere, ut in hoc armorum spiri-

*spiritualium genere tractando, quod tantopere conferre cernitur ad Dei obsequium, dexteritatem habeant. Extat etiam eius epistola ad Sacerdotem quendam Mionam nomine, qui Parisiis fuerat eius Confessarius, in quo satis manifeste ostendit, quid ille sentiret de his exercitiis. Monet enim eum atque etiam instanter rogat, ut ea facia dilegneter, & si fecerit promittit ei magnam utilitatem spiritualem, tum in se ipso, tum ad alios quam plurimos iuvandos, idque verbis valde gravibus, & significantibus.*

5. *Idem vero testimonium dederunt alii, & plurimi, & quidem insignes viri, & doctrina, & virtute, & rerum humanarum experientia, ac præcipue etiam spiritualium peritia, qui cum hæc exercitia re ipsa experti essent, ita ea probarunt, ut illorum usu maiorem quam sperare ausi essent, suarum animarum fructum se consecutos esse tum verbo, tum scripto libenter prædicarent.*

6. *Sed præ omnibus est auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ diligenti examine doctorum virorum præmisso, hæc exercitia approbavit anno M.D.XLVIII. ut pietate, & sanctitate plena, (hæc enim sunt eius verba) & ad ædificationem spiritualemque fidelium profectum valde utilia.*

7. *Postremo est etiam ipsa experientia ingentis, ac prope incredibilis utilitatis, quæ ex his exercitiis faciendis subsequi solet, Primum enim plurimi ex nostris, præsertim primis temporibus, hoc modo spiritum vocationis acceperunt, ut vere dici possit, Societatem nostram hoc maxime medio, & initio coaluisse, & postea incrementum accepisse. Deinde plurimi etiam alii relicto mundo alios religiosos ordines ingressi sunt, multi iam ingressi, egregie reformati sunt, nec singuli tantum, sed sæpe integra Cœnobia. Complures etiam in seculo ipso cum ita vitiis addicti essent, ut nullo modo neque cohortationibus, neque concionibus avelli possent, hoc uno se*

*se converterunt, & ad meliorem vitam constanter ducendam revocarunt. Denique negari non potest, quin valde magnus fructus in omni hominum genere, & statu, & conditione effectus sit, & ubi eorum usus magis viget, ibi etiam multo maior morum reformatio cernitur.*

8. *Nec debet aliquis mirari quod tanti effectus consequantur & quidem non admodum longo tempore; addo etiam, non adeo magno labore. Nam cum Dei voluntas sit sanctificatio nostra, ut ait Apostolus, & ideo bonitas illa immensa semper parata sit sua dona effundere super creaturam suam: sine dubio, si ipsamet non poneret impedimentum, sed potius se ipsam disponeret, facile, ac brevi magnas à Deo gratias consequeretur. Hoc igitur faciunt hæc Exercitia, & sane valde efficaciter, ut animam disponant ad hæc dona accipienda. Primum enim removent eam ab omni aliarum rerum, ac negotiorum occupatione, & quasi ad solitudinem quandam ducunt, ut & Deus ad eius cor loquatur, & ipsa faciat quod dicitur in Psal. Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Deinde vero posito statim ante oculos ultimo hominis fine, nempe æterna beatitudine, ostendunt primum, qnantum hactenus aberraverit, & ita peccatornm dolorem, & odium ingenerant, deinde virtutum pulchritudinem aperiunt, & Christi Domini exemplo, ad eius imitationem accendunt. Denique etiam modum tradunt totius vitæ ex Dei regula ac voluntate reformandæ, sive status ipse mutandus sit, sive non mutandus, verum in melius corrigendus.*

9. *Cum ergo horum exercitiorum tantæ sint utilitates, tantique fructus, facile apparet, quam eorum usus nostris omnibus commendatus esse debeat, si præsertim illud addamus, quod cum humilitate cognoscere possumus, & certe etiam debemus, hoc totum quodcunque est, nempe peculiarem hanc instructionem, ac modum meditandi, & peculiaria hæc ducumenta tam utilia, tamque solida, esse*

*se præ-*

*se præclarum quoddam donum, ac munus à Deo datum Societati nostræ. Quare cum id Deus nobis donarit, & ideo donarit, ut uteremur: non est dubium quin hoc ipsum excitare omnes debeat, ut avidius utamur, nec talem thesaurum absconditum, & quasi defossum inutiliter teneamus.*

10. *Verum quam utilis est hic exercitiorum usus, quem dicimus, tam etiam est necessarium aliquam methodum habere in iis tradendis: tum quia non omnes eandem peritiam, aut dexteritatem habere possunt, tum quia non omnia hoc exercitiorum spiritualium libro comprehendi potuerant, & ideo sunt in eo aliqua paulo obscuriora, quod ad praxim attinet, tum denique etiam, ut servetur à nostris omnibus uniformitas, & non suo quisque ingenio, & placito exercitia interpretetur, ex qua novi, ac varii subinde modi introducerentur.*

11. *Has igitur ob causas Congregatio prima generalis inter alia, quæ necessaria iudicavit ad proximos iuvandos, & nostros operarios dirigendos, hoc etiam constituit tit. 6. decret. 28. ut conficeretur Directorium tradendorum exercitiorum; eiusque rei curam Generali Præposito commendavit.*

12. *In quo cum aliqui Patres diligenter laborassent, vel pro sua devotione, vel superiorum iussu, visum est P. N. Claudio Aquavivæ, tum hunc eorum laborem, tum etiam quæ nonnulli alii adumbraverant, quibusdam antiquioribus Patribus in Societate mittere, ut ea viderent, & judicium de iis ferrent, & præterea, si quid occurreret, quod addi posset, id scriptis mandarent. Ex quorum omnium sententiis, ac iudiciis ea, quæ ad nostrum propositum accommodatiora visa sunt, in hoc Directorium selecta, & suis locis digesta sunt, ad Dei Domini gloriam, & Societatis nostræ, proximorumque spiritualem profectum.*

*Quomodo inducendi sint homines ad exercitia. Cap. I.*

1 DICITVR in nostris Constitutionibus (*Par.* 4. *c.* 8. *lit. E.*) cùm exercitiorum ratio redditur, non solum id agi debere, ut aliis satisfiat, sed etiam ut in aliis desiderium excitetur, ut eisdem iuvari velint. Ex quo apparet oportere hoc esse nostris propositum, ut quotquot possunt ad agenda exercitia suaviter inducant, quoniam cùm charitas, & zelus animarum nos movere debeat, ad desiderandam, & procurandam earum salutem, & perfectionem, eadem etiam impellere debet ad eam rem, quæ adeo apta, & adeo efficax est, ad illud utrumque in eis operandum.

2. Est tamen opus prudentia, ut id discrete, & modeste fiat, tẽpore nẽpe, & loco convenienti, sine molestia, aut offensione, & nominatim cavendo, ne suspicio præbeatur, quod ad religiosum statum trahere velimus. Hunc autem modum prudentem, & cautum invitandi ad exercitia suggeret sua cuique prudentia, & Spiritus sancti unctio, quæ ut in aliis, ita in hoc diriget, & iuvabit suos operarios.

3. Pater noster Ignatius ita sentiebat, & monebat, optimum modum esse in confessione non importune, atque ex abrupto, sed aliqua commoda occasione vel è re nata, vel dextre accersita: aut etiam extra confessionem, cùm cernitur aliquis non adeo contentus statu suo, sivé propter aliquem scrupulum intrinsecum, sive propter molestiam extrinsecam, ut si non bene ei succedant negotia, vel si non bene à suis tractetur, vel ob aliam similem causam. Interdum etiam optima est commoditas ex ipsis vitiis, aut lapsibus alicuius, cùm præsertim aliquo Dei lumine afflatus ea cognoscit, & dolet, & cupit emendationem. Tunc enim sæpe opportunum est proponere ei hoc quasi remedium eius infirmitatis.

4. Quæcunque vero occasio accipiatur, indicandi sunt magni fructus, qui ex his exercitiis consequi solent, pax & quies animæ, lumen interius, & cognitio ad bonam gubernationem totius vitæ quocunque in statu.

5. Iuvat etiam proponere aliqua exempla aliquorum, qui ea fecerint cùm fructu, ita ut postea valde contenti fuerint, ipsaque morum mutatione testati sint, quantùm in eis profecerint, & ad hoc etiam confert indicare consolationes spirituales, & gustus, quos habuerunt, nimirum ne labore deterreantur. Verùm in his exemplis commemorandis abstinendum esset ab iis, qui religionem ingressi sunt, ( vel certe hoc postremum tacendum ) & ii potius narrandi, qui in melius mutati in sæculo manserunt, quoniam facile fieri potest, ut quem hortari volumus, idem sibi timeat, & ideo refugiat exercitia.

6. Imo vero hæc ipsa opinio eripienda esset hominibus, ut putent solis religiosis, aut iis, qui religiosi fieri volunt, convenire exercitia. Nam cùm omnes egeant gratia Dei, non solum religiosi, sed etiam sæculares propter pericula in quibus assidue vivunt, ideo ipsi quoque debent ea adiumenta quærere, ex quibus ad hanc gratiam hauriendam quam maxime disponantur.

7. Notandum est tamen, si loquamur de integris, & plenis exercitiis, eam fuisse P. Ignatii sententiam, ut non omnibus passim darentur, sed selectis tantum, & qui habiles ad maiora viderentur. Quod ita esse aperte videmus ex quadam instructione, quæ conscripta dicitur ipso dictante, quæ sic habet: Non mihi videtur expedire quenquam hortari ad facienda exercitia, nisi has conditiones, vel saltem præcipuas habeat. Primo ut eiusmodi sit, qui spe-

rari possit valde utilis, futurus domui Dei, si ad eius obsequium vocatus fuerit. Secundo si nondum habeat eiusmodi talenta iam acquisita artium, ac scientiarum, quæ hoc præseferunt, saltem ut eius ætatis, atque ingenii sit, ut ad ea aliquando pervenire posse videatur. Tertio ut liberum sit ei de se ipso statuere, etiam quoad statum perfectionis amplectendum, si Deo placeret eum vocare. Quarto ut ad spiritualia affectus videatur, habitumque corporis honestum, ac decentem habeat. Quinto ut non ita alicui rei sit addictus, ut ab ea difficulter videatur posse dimoveri, & ad eam æqualitatem perducique requiritur ad hoc negotium animæ cum Deo recte tractandum. Ac quanto magis quisque dubius est de vitæ suæ rationibus, & cupidus sciendi quid facere debeat de sua persona, & denique quanto aptior ad Ecclesiam iuvandam, tanto etiam magis simpliciter loquendo, idoneus erit ad exercitia facienda. Qui vero has conditiones non haberent, vel qui matrimonio iuncti fuerint, aut alioquin inhabiles, non debent iis tradi exercitia omnia, maxime si alii aptiores ea peterent, vel nostri aliis occupationibus distinerentur. Possent tamen dari eis aliquæ meditationes primæ hebdomadæ, idque si fieri possit, in ipsis eorum domibus, hortando eos; ut in aliqua remotiori domus parte se colligant, unde non nisi ad missam, & Vesperas egrediantur, aut quando ad meditationes accipiendas veniunt, hisque addi poterunt, si ita videatur aliqua exercitia, ut triplex modus orandi, & similia. Hæc Pater Ignatius, quæ eadem licet paulo brevius habentur etiam in Const. p. 7. c. 4. lit. F.

*Quomodo dispositus esse debeat, qui ad exercitia facienda accedit. Cap. II.*

1. QVi ad exercitia agenda aggreditur primo eniti

niti debet, ut intelligat quanta sit res, quam aggreditur, nempe quæ non solum ad animam pertineat, sed ita pertineat, ut si modo ea diligenter præstet, quæ debet. iacturus sit fundamenta spiritualis sui profectus, quæ deinde tota eius vita usui futura sint. Ex quo intelligat quantam ( *Annot*. 5. *ex* 20.) alacritatem, & diligentiam, & fortitudinem etiam ad tantum opus, tantumque negotium afferre debeat. Itaque statuat ipse secum viriliter agere, & omnia impedimenta divinæ gratiæ reiicere, & omnes animi sui vires intendere, ut huic gratiæ cooperetur, & se ad eam recipiendam quam poterit optime disponat.

2. ( *Annot*. 20. ) Hanc ob causam ab omnibus aliis negociis domesticis prius se expediat, vel certe ea aliis interim committat, ac toto tempore omne sibi amicorum, ac familiarium imo etiam nunciorum, aut literarum commercium interdicat. Hæc enim mentem implere solent variis cogitationibus, quæ deinde magnopere distrahunt, & conceptum, si quis est, fervorem restingvunt. Imo vero omnem etiam aliam cogitationem de quavis alia re excludere curet, perinde ac si nullum aliud negocium in hoc mundo haberet.

3. Habeat deinde magnam spem in Domini bonitate, & liberalitate, qui cùm etiam errantes requirat, & fugientes sequatur, multo magis qui ad se bono animo accedunt recipiet, & complectetur. Quare confidat in illa infinita clementia, quæ cùm pium illud desiderium dederit, dabit etiam gratiam, ac vires exequendi bene, ac fructuose, siquidem eius voluntas est sanctificatio nostra.

4. Inter cætera vero ita etiam animo constitutus esse debet, ut libenter & avide exercitia hæc aggrediatur, non tam, ut spirituali dulcedine frua-

tur, quam ut Dei voluntatem de se intelligat, suumque affectum à terrenis omnibus avellat, & eum in suo Creatore collocet. Illud vero maxime necessarium, ut præter hoc desiderium proficiendi in spiritu sit etiam bene resignatus in beneplacito Dei in iis in quibus adhuc liber est, itaque animo paratus sit, ut quicquid à Deo cognoverit faciendum esse omnino exequi decreverit.

5. Quare non debet quisquam deliberationem aliquam secum afferre, à qua dimoveri nolit. Deinde non debet etiam modum ac terminum ipse ponere Dei donis, ita ut usque ad quosdam limites se illuminari, ac iuvari velit, non autem amplius. Nam præterquam quod valde indecens est, ut creatura hoc modo agat cùm suo Creatore, valde etiam sibi ipsi nocet, primum quia se ipsum privat illis maioribus donis, quæ Deus fortasse daturus erat; deinde quia illa ipsa illiberalitas, & restrictio, & ingratitudo in Deum meretur, ut ne ea quidem accipiat, quæ vellet accipere. Quare debet potius animi sinum dilatare, ut quam maxime possit se se cùm Deo coniungere, & quam maxime ab eo ditari, & locuplerari thesauris istis cælestibus desideret. Atque hæc quidem observanda sunt ei erga Deum.

6. Erga eum vero qui daturus est exercitia, ita se gerere debet, ut eum accipiat, ut magistrum, & ducem huius itineris dubii, & periculosi; & ideo etiam si alioqui prudens sit, vel doctus, & in rebus agendis exercitatus, tamen pro hoc tempore non confidet suæ prudentiæ, vel doctrinæ, sed totum se se committat huic suo duci, ac quemadmodum ait Apostolus, 1. *Cor.* 3. Stultus fiat, ut sit sapiens, illudque Beati Petri monitum exequatur 1. *Pet.* 2. sicut modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite,

te, ut in eo crescatis in salutem. Itaque instructorem suum ita intueatur, tanquam Dei instrumentum ad hoc sibi missum, ut eum dirigat, & perducat per eam viam, quæ ad vitam ducit. Quam ob causam cùm omni reverentia, & alacritate, & confidentia excipere debebit, quæ ei proponet.

7. Præterea nihil eum celet, nihil dissimulet, sed sincere totum cor suum ei patefaciat, & candide referat quomodo singulæ meditationes successerint, quæ in eis, vel extra eas reliquo tempore consolationes, desolationes, lumina, vel bona desideria senserint. Denique obediat ei in omnibus perfecte, neque alias meditationes, aut alium ordinem teneat quam ille præscripserit, idemque in poenitentiis, & corporis castigationibus; & in summa hoc sibi persvadeat, quo diligentius, & exactius illius ductum sequetur, eo aptiorem fore ad Dei gratiam largius accipiendam, quia illa humilitas, & illa simplicitas valde Deo placet, & cùm talibus est eius sermocinatio. Hæc igitur necessaria quidem sunt, ut plenior fructus eliciatur.

8. Sed tamen si is, qui tradet exercitia timeret, ne si omnia proponat exercitia facturo, fortasse eum deterrerent, ac retraherent, melius esset, vel aliqua tantum horum proponere ab initio, vel non admodum exaggerare, sed si postea cùm gustu spirituali eum affici viderit, magisque capacem ad hæc portanda, tunc eum paulatim excitare ad exercitia peragenda cùm omni perfectione.

*De quibus monendus sit exercitia ingrediens, & de tempore meditandi Cap. III.*

1. SVnt etiam alia, de quibus monendus est qui facit exercitia, sed quia hæc continentur in annotationibus; vel regulis scriptis in libro exercitiorum, non est, quod hic repetantur. Hoc tamen

de

de iis addendum, debere eum omnem diligentiam ponere eis obſervandis, quoniam quo diligentior in hoc fuerit, eo citius, & uberius inveniet fructum ſpiritualem, qui quæritur.

2. Illud etiam in particulari attingi poteſt, non debere eum legere niſi ſcripta, quæ ei traduntur, nec libros habere in cubiculo, ut occaſio legendi præcidatur, præter Breviarium, ſi Sacerdos ſit, aut Officium Beatæ Virginis, ſi tamen inſtructori videbitur, poſſet in prima hebdomada legere librum Gerſonis de imitatione Chriſti, in ſecunda aliquid ex Evangeliis, & Sanctorum vita, ut dicitur in annotationibus poſt primam meditationem ſæcundæ hebdomadæ. Sed has vitas Sanctorum oporteret eſſe ſelectas, & valde accomodatas ei, qui facit exercitia, ut ſi eſſet uxoratus, oporteret ei tradere vitam alicuius qui ſancte vixiſſet in ſeculo, ſimiliter in religioſis, & in aliis ſimilibus. Quare is labor, & diligentia eſſe deberet inſtructoris in idoneis ſeligendis.

3. Porro in Evangeliis non debet legere niſi illud myſterium, quod eadem hora, vel die eſt meditaturus, ut habetur in primo notab. poſt quintam contempl. 2. hebdomadæ.

4. Tamen ſi poſt factam meditationem tædio affici videretur, ac potius tempus perdere, poſſet etiam ut dictum eſt, addi aliquis alius liber, ut prima hebdomada, Dionyſius Cartuſianus de quatuor noviſſimis, Confeſſiones ſancti Auguſtini, aut ſimiles; hoc advertendo, ut non ſolum boni, & utiles ſint, verum etiam apti, & opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in exercitiis quæritur, ut contritionem, vel timorem, vel Dei amorem. Quin etiam monendus eſt, & docendus ut ipſam lectionem dirigat ad meditationem, nimirum

non

non legendo cursim aviditate sciendi, & videndi nova, sed immorando, & perpendendo accurate ea quæ legit, & intrando in eosdem affectus.

5. Quod de legendo dicitur, idem de scribendo dicendum. Nihil enim aliud scribi debet præter ea quæ pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua quæ Dominus communicaverit in meditatione, vel etiam extra meditationem, quæ tamen brevissime notanda sunt, non diffuse per modum sermonis. Hæc autem puncta possunt esse duplicis generis, vel practica quæ pertinent ad agendum, ut sunt desideria quædam, aut firmæ deliberationes faciendi aliquid, vel quæ pertinent ad cognoscendum, ut sunt quædam veritates, aut lumina circa aliquam materiam, ut alicuius virtutis v. g. humilitatis, contemptus mundi, patientiæ &c. vel etiam in aliqua materia meditationis, ut Incarnationis, vel Passionis Domini, & similia eiusmodi præsertim, quæ sint quasi axiomata quædam, & viam aperiant ad bene percipiendas, & meditandas illas materias.

6. Sed illud cavendum, ne vel legendi, vel scribendi dulcedine ita se quispiam distineri sinat, ut tempus eripiatur meditationi, aut etiam præparationi ad meditationem. Semper enim aliquanto ante meditationem debet omnia relinquere, & omnino suam cogitationem convertere ad puncta illius exercitii, quod iam instat. Addo etiam, cavendum hoc quoque ne nimis legendo, aut scribendo defatigetur animus, & quasi vires eius exhauriantur. Oportet enim saluam semper relinqui meditationem, & cætera omnia huic uni servire.

7. Qui exercitia exacte facere volunt, viresque idoneas habent, iis ( *Ex. 2. hebd. notab. 2. & 3.*

*post*

*post exerc.1. diei. pag.95.& ex 3. hebd. post. 2. contempl. notat.* 2. quinque horæ meditandi quotidie præscribi solent, prima circa mediam noctem, quod tempus propter quietem, ac profundum silentium valde aptum est meditationi; secunda sub auroram, tertia paulo ante prandium, quarta post meridiem, quinta sub vesperam, & post uniuscuiusque horæ meditationem quadrans etiam ad examen præcedentis meditationis.

8. Cùm aliis, qui debilioris sunt valetudinis, vel tam exactum modum servare non possunt, dispensari poterit de hora mediæ noctis, ita tamen ut quinque horæ maneant, aut etiam pauciores, si instructor ita expedire iudicaverit. Vt vero plures sint quam quinque, raro continget, ut expediat. Nam cùm nimis continuantur hæc exercitia mentis, ita retundi solet, ut obtusior etiam reddatur intellectus, & voluntas minus efficax.

*De loco exercitiis idoneo, & de quibusdam particularibus. Cap. IIII.*

1. LOcus ad facienda exercitia non est dubium, quin debeat esse remotus ab hominum concursu, & aspectu etiam maxime familiarium. Ita enim monet Pater N. Ignatius annot. ultima, ubi etiam tres eius rei commemorat utilitates. Quare si exercitia suscepturus alibi, tam commode, & tam fructuose non potest, & superiori ita videatur, poterit excipi domi nostræ, sed in aliquo cubiculo, quod sit quam maxime separatum ab aliis cubiculis, & officinis domesticis, ut quam minime videat, vel audiat quæ à nostris fiunt.

2. Quod vero ad expensas attinet, cùm ille in domum nostram venerit, consulatur Superior: ad cuius prudentiam pertinebit, ita omnia moderari, ut neque domus nimium gravetur, neque contra

occasione domus non gravandæ minuatur numerus eorum, qui exercitia facere possunt. Videntur autem communiter nec recusandæ, si offerantur præsertim a ditioribus, nec si non offerantur requirendæ. Absit vero semper, quicquid in eo genere sordidum aut indecorum videri possit.

3. In hoc loco præter instructorem debet etiam esse, qui ei inserviat, & necessaria ad victum deferat. Hunc autem oportet esse fidelem, discretum, taciturnum, quique sua modestia, & humilitatis, ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquetur, nisi de iis, quæ ad victum, aut cubiculum, & ministerium suum pertineant, idque paucissimis, omnia semper ad instructorem reiiciendo, quem etiam de singulis certiorem faciet, nec rem ullam ei deferet, etiam postulatus, nisi illo consulto.

4. Componet lectum, & cubiculum verret opportuno tempore, quod fere erit tempore missæ, Cætera etiam quæ opus erit, munda, & apta afferet, præseferendo semper magnam charitatem, & diligentiam: atque inter alia meminerit etiam pro ipso orare quotidie.

5. Aliquando etiam profuit huic ministerio eum deputare, qui notus, aut familiaris esset exercitanti, idque iuvat non solum ad consolationem quandam ipsius, sed etiam ad profectum spiritualem; quoniam aliqui interdum confidentius se aperiunt amicis huiusmodi, quam ipsi Instructori, si eum nunquam antea norant. Sed hoc totum pendere debet ex iudicio eius, qui tradit exercitia, ut videat quatenus hic progredi debeat, quid loqui, & quomodo. Debet enim uti eo tanquam instrumento suo, iuxta id, quod intelliget convenire ad maiorem utilitatem exercitantis.

6. Quod ad victum attinet, quærendum est ab eo

eo quid sibi parari velit, idque ei afferendum, quod ille petierit.

7. Præter hunc, qui ei ministrat, ut plurimum non debet ab aliis visitari. Nam de sæcularibus quidem nulla est dubitatio, nisi aliqua necessitas urgeret. Ex nostris autem aliquis mitti posset, cùm vel qui facit exercitia, id peteret ab instructore, vel instructor etiam illo non petente ita iudicaret ad eius consolationem vel profectum.

8. Quicunque autem eat, cavere debet, ut nullus nisi utilis sermo habeatur, ac de rebus spiritualibus, nulla tamen significatione, quod eũ ad hunc, vel illum vitæ statum impellere velit, præsertim vero ad Societatem. Nam præterquam quod vocatio debet esse libera & à Deo venire, ipsi etiam qui in hac deliberatione versantur, si id intelligant, aut suspicentur, eo magis retrahi solent, & contra, ut experientia sæpe ostendit, eo magis incitari, cùm in nostris nullam talem cupiditatem animadvertunt.

*Qualis esse, quid facere debeat qui exercitia tradit.*
*Caput. V.*

1. QVod ad illum attinet, qui exercitia traditurus est, illud primum à P. N. Ignatio 4. par. ca. 8. §. 5. præcipitur, ut prius ea in se ipso sit expertus, ut rationem eorum reddere possit, & dexteritatem in iis tradendis habere. Quod ut facilius assequatur ( ut ibidem dicitur in declaratione ) prius quibusdam tradere deberet, in quibus minor esset iactura, si quid erretur, ut verbi gratia, Iunioribus, aut iis, qui non ingressuri sunt electionem de vitæ statu. Deinde etiam proderit conferre suum modum procedendi cùm aliquo magis exercitato, bene adnotando, quid magis vel minus convenire deprehenderit. Itaque hoc primum & præcipu-

cipuum esse debet, ut sit bene versatus in rebus spiritualibus & nominatim in his exercitiis.

2. Præterea sit prudens, & discretus, parcus, & moderatus, consideratus in sermone, (*Annot. 7. ex 20.*) Sit etiam suavis potius quam austerus, maxime cùm iis, qui tentationes, vel etiam desolationes, aut ariditates, & tædia patiuntur, quos consolari, animare, & erigere debet opportunis consiliis, & precibus tum suis, tum aliorum. Expedit etiam ut gratus ei sit, qui facit exercitia, quoniam hoc modo magis ei confidet, seque magis aperiet.

3. Porrò in agendo cùm ipso meminerit auctoritatem quandam semper retinere, servata quadam maturitate, & gravitate, eoque etiam magis, quo is, qui in exercitiis versatur, maior ipse fuerit. Hoc enim valde expedit ad eius spiritualem profectum ut locum, & personam Magistri, ut vere est, tueatur. Et si hæc auctoritas temperata esse debet humilitate religiosa, quæ eluceat in omnibus eius dictis, & factis; ita, ut ne vestigium quidem ullius vanitatis conspiciatur, sed in hoc Christum imitari debet, qui cùm forma esset omnis modestiæ, tamen, sicut scriptum est, loquebatur tanquam potestatem habens. Itaque cùm omni libertate officium suum exequi debebit, tum docendo, tum monendo, tum dirigendo, ubi quippiam curvum, aut distortum esse viderit.

4. Caveat cùm bonum aliquem effectum viderit in iis, qui se exercent, quicquam suæ industriæ, aut peritiæ tribuere; cùm hi omnes effectus gratiæ sint à solo Deo, & consilia extrinsecus adhibita, præterquam quod si bona sunt, ab eodem Deo sunt, tantam vim habeant, & tantum operentur, quantum concurrit, & cooperatur Deus. Ex altera tamen parte multum confidat in Domino, & ab eo speret

cer-

certum auxilium tum ſibi, tum ei qui facit exercitia.

5. Illud autem valde obſervandum, ut nihil de ſuo apponat, ſed cùm eiuſmodi conſilia debeant ex divina inſpiratione ſuſcipi, caveat ne indiſcreto zelo conetur aliquid ei ſvadere, ſed ſinat Deum, de ſua creatura diſponere iuxta placitum bonitatis ſuæ. ( *Annot.* 15. *ex.* 20. ) Quod ut melius, & facilius in opere præſtet, ſervet ſe in animo plane indifferentem, & in nihil aliud eius voluntas feratur, niſi ut Sanctiſſimum Dei beneplacitum in anima illa plene, & perfecte compleatur, & ipſe tantum in eo laboret, ut qui ſe exercet, id inveſtigare ſciat, & ſciat ſe à demonis deceptionibus expedire, quibus homines retardare ſolet.

6. Curet etiam perſpectum habere eum qui facit exercitia non tantum quo ad ſtatum, & conditionem, ſi nobilis ſit, vel plebeius, doctus vel indoctus &c. Sed etiam quoad peculiares quaſdam partes, ut ſi ſimplex, vel prudens ſit, ſi provectus in rebus ſpiritualibus, an adhuc rudis, ac novus, ſi intelligens, & capax, an vero hebetior, & tardior. Nam cùm diverſis diverſo modo agendum eſt, ut rudioribus ſunt res explicatius proponendæ, aliis autem brevius &c.

7. Illud autem inprimis neceſſarium, ut qui exercitia traditurus eſt, totum librum exercitiorum perlegerit, eumque præ manibus habeat, & præſertim annotationes & regulas. Neque ſufficit curſim ea videre, ſed omnia accurate, imo ſingulas pene voces expendere oportet, quoniam quædam ſunt in iis breviſſime dicta, quæ magnum pondus habent, & ignorata, aut prætermiſſa damnum afferunt. Itaque cùm antea accurate ea vidiſſe oportebit, tum vero in dandis exercitiis relegenda erunt

runt accuratius, præsertim quæ pertinent ad illud tempus, in quo tum versatur ille, qui suscipit.

8. Iuvabit etiam ut singula exercitia, antequam ea tradat, aliquantulum ipse meditetur, si fieri poterit, ut melius imprimat alteri.

*De visitando eo qui exercetur. Cap. VI.*

1. COeptis exercitiis sit diligens, in visitando suis temporibus eo, qui exercetur. Videtur autem expedire, ut quotidie semel eum adeat, neque tamen sæpius; nisi aliqua occureret necessitas, ut aliquando accidit prima hebdomada propter rei novitatem, aut secunda propter difficultatem electionis.

2. Imo cùm aliquibus hominibus gravibus, & bene instructis in spiritu, & devotione, posset etiam aliquando esse utilius, ut aliquis dies omitteretur. De tempore autem eum visitandi, videat ipse quod sit commodius & aptius. Ex natura quidem sua videtur matutinum, quia tunc animus est magis dispositus ad res percipiendas & penetrandas. Quanquam sub vesperam solet esse maior necessitas, quia tunc interdum magis crescunt tentationes, & desolationes, quia animus est minus aptus ad contemplandum, & ideo interdum incidit in morositatem quandam, & magis est expositus tentationibus.

3. Videat etiam instructor, an aliquando ex peculiari causa expediat, ut statim à prandio, vel à cæna ipse, vel aliquis alius maturus, & discretus ab eo designandus, cùm eo qui est in exercitiis maneat ad honestam recreationem.

*De exigenda ratione meditationis. Cap. VII.*

1. IGitur quodcunque tempus elegerit ad eum invisendum, cùm ad ipsum venerit, interrogabit quomodo se habuerit ab ea hora, qua illum po-

ſtremo vidit, & præſertim in meditatione, nimirum quem modum tenuit in meditando, quos mentis diſcurſus, quas voluntatis motiones habuerit, quas conſolationes ſenſerit, & in quibus punctis.

2. Si bene procedit, & conſolationibus abundat, non valde laudare oportet, ne ſibi complaceat, ſed primum doceat, quomodo ſolidum fructum ex illis conſolationibus elicere debeat. Nam ſi nihil aliud fiat, abeunte illo ſuavi ſenſu, qui fere non diu durare ſolet, nullus fructus remaneret. Quare inſtruendus eſt, ut eas conſolationes dirigat ad morum emendationem, vitæque totius inſtitutionem, quia ut ſpriptum eſt, non auditores legis, ſed factores iuſtificantur. Atque hic etiam monendus eſt, ( *Annot.* 10. ) ut breviter in ſcripto ponat notabiliores conſolationes, & lumina, deſideria quoque & firmas deliberationes faciendi aliquid, quoniam proderunt multum alio tempore; cùm ea non habebit.

3. Deinde vero præparet illum ad tempus deſolationis, & ariditatis, quæ ſolent frequenter contingere, ne deinde cùm contigerit, imparatus ſit. Atque hoc tempore cùm res bene ſuccedit, non oportet diu cùm ipſo remanere, ſed ſinendum, ut creator cùm creatura ſua; & hæc viciſſim cùm illo tranſigat, niſi neceſſarium videretur ad eum vel dirigendum, vel etiam recreandum, ſi nimis abſorptus eſſet cogitationibus illis.

4. Contra vero ſi exercitans aridus ſit, & deſolatus, aut diſtractus in meditando, percunctari debet, quomodo ſe geſſerit in meditatione, & nominatim quomodo obſervarit additiones, & ſi in aliqua remiſſum invenerit, moneat & inſtruat.

5. Aperiat etiam ei viam ad meditationem, attingendo, & quaſi indicando aliquos conceptus, quos deinde ipſe cogitatione proſequatur.

6. Hor-

6. Hortetur ad patientiam, & longanimitatem, ne se obrui sinat tædio, ac propter molestiam, & laborem avertatur ab oratione, (*Annot.* 13. *ex* 20.) quia si fortiter cùm spe, ac fiducia perseveret pulsare ad ostium misericordiæ divinæ, non poterit non aperire iuxta illud, ( *Habac.* 2. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniet, & non tardabit. Annot.* 7. *ex* 20. *reg.* 8. *ad motus animi discernendos.*

7. Moneat etiam optimum remedium consequendi à Deo devotionem esse, ut humilietur sub potenti manu Dei, & se subiiciat, ac resignet eius divinæ voluntati. Sæpe enim illa displicentia, & amaritudo non tàm venit ex fervore, quam ex tacita quadam superbia, qua homo confidit in sua diligentia, vel quia in eo etiam vellet excellere, aut ex amore proprio, quia amat consolationem. Quare hoc omnino observandum est, ut cùm fecerit, quod in se est, cætera permittat divinæ voluntati, & charitati: & confidat, quod illa ipsa ariditas ideo permittitur à Deo, quia sibi sic expedit. Et hic ipse affectus humilitatis, & subiectionis erga Deum sæpe magis efficax est, ut concedat gratiam bene orandi.

8. Inprimis autem caveat Instructor, ne unquam det ei occasionem suspicandi, quod minus bonam opinionem de se habeat, etiamsi non ita se bene gesserit: sed ostendat illi semper se bene sperare, & sua spe etiam illi animum, ac spem addat.

*De proponenda meditatione. Cap. VIII.*

1. IN proponendis punctis meditationum, ( *Annot.* 2. *ex* 10.) non oportebit ea valde exaggerare aut etiam ita enucleare, ut qui meditatur, ipse nihil novi per se invenire possit, aut certe ægre. Experientia enim docet magis omnes delectari, & moveri etiam iis, quæ per se inveniunt, & ideo satis erit quasi digito indicare venam, quam dein-

de sibi quisque effodiat. Si tamen essent aliqui parum capaces, iis possent paulo magis declarari.

2. Ipsæ autem meditationes dari solent in scriptis, ne fatigetur memoria exercitantis: quod solet impedire devotionem, cum vires omnes sint integræ reservandæ intellectui, & voluntati.

3. Denique inter alia quæ Instructor attendere debet, est etiam illud, ne qui exercetur, caput lædat nimia attentione orandi. Est enim magnum huius periculum, tum tempore desolationis, quo anima magis conniti solet, quasi adverso flumine; tum etiam consolationis, cùm se totam dat propitiis ventis. Quare non sufficit monere de moderatione servanda; nam cum ii qui exercitia faciunt, ut plurimum sint rudes, & novi in meditando, non ita possunt cognoscere, quid sibi nociturum est: sed oportet interrogare quem modum servent in elevanda mente in Deum, & in ea retinenda in Deo, & nominatim in compositione loci, ac si appareat eos sibi vim facere, docendi sunt de modo, ac ratione cogitandi suaviter de divinis, primo quia alioquin durari non potest, & impeditur meditatio, deinde etiam quia solidus fructus consistit incognitione illarum veritatum, & voluntatis motione; quæ procedunt ex lumine intimo: non autem in hac attentione violenta, aut in coactitiis illis lachrymis, quas merito irridet Cassianus. Postremo quia hoc negotium orationis etiam si nostram quoque cooperationem exigat, maiori tamen ex parte pendet à Deo, & est donum Dei. Quare ad hoc potius se anima disponere debet per humilitatem, & puritatem, quam confidere in sua præparatione & industria.

4. Reliqua quæ in universum monendus esset Instructor, fere continentur in libro Exercitiorum, partim in meditationibus ipsis, partim in annotatinibus

nibus partim etiam in regulis discernendi spiritus, quæ sunt valde utiles, & quasi lucem præferunt in omni hoc itinere spirituali, tum prima hebdomada, tum omnibus sequentibus. Et ideo iterum repetendum, quod supra attigimus, debere hunc librum admodum familiarem esse Instructori, eiusque memoriam renovandam eo tempore, quo exercitia traduntur, quia quoties eum leget, toties novum lumen, & intelligentiam hauriet.

5. In quo etiam admonendus est, etiamsi ex una parte omnem eius ordinem, ac methodum, & particularia documenta exacte servare debeat & ( *Ex. 5. exercitio 1. hebdomadæ extremo* ) quo exactius servabit, eo magis concurret Dominus, tamen ex altera parte multa permitti eius prudentiæ, pro varietate, vel personarum, quæ faciunt exercitia, vel spirituum, quibus agitantur, ut vel ista exercitia moderari, vel etiam aliqua alia præsenti earum necessitati opportuna præscribere possit, ut aperte dicitur Annot. 17. & 18. ex primis, & alibi.

*De variis hominum generibus, quibus dari possunt exercitia. Cap. IX.*

1. QVibus exercitia dari possunt in universum in duas classes dividi posse videntur. Alii enim sunt, qui omnes illas conditiones habent, quas Cap. primo diximus requiri, ut integra exercitia peragant, & de his nihil hic in particulari dicendum est: ad eos enim pertinent omnia, quæ toto hoc Directorio dicentur, maxime si de totius vitæ statu deliberare velint. Alii igitur sunt, quibus non sunt tradenda plena exercitia, vel quia iam in statu sunt, ut matrimonio vincti, & alii, quibus ob alias causas non expedit dari electionem; vel quia propter negocia publica, aliasve occupationes tempus, aut locum non habent, ut sunt Magistratus, & quidam ali-

aliquando nobiles, aut patres familias & similes; vel quia non aliam utilitatem quærunt ex exercitiis, quam ut generalem Confessionem faciant, & ad reliquam vitam bene dirigendam instruantur; vel quia non admodum capaces sunt, ut sunt rudes, & illiterati, qui tamen iuvandi sunt iuxta eorum captum.

3. Igitur quod attinet ad religiosos ( non agimus hic de nostris, quia de his separatim agemus Capite sequenti ) si antea nullum mentalis orationis usum habuerunt, eadem est ratio, quod ad eos instruendos attinet, quæ alterius cuiusuis sæcularis, maxime si antea laxiorem, & liberiorem vitam duxissent. Tunc enim diligenter exercendi essent prima hebdomada, ut habeant cognitionem, & contritionem suorum peccatorum, tum quæ in sæculo, tum quæ in religione commisissent: quia hoc est fundamentum ad reformationem, & correctionem totius vitæ. Si vero antea etiam dediti fuissent orationi mentali, & devotioni, tunc prima hebdomada brevius percurri poterit, ut diligentius immorentur in meditatione vitæ Christi.

4. Illud vero in prima hebdomada, & deinceps præcipue curandum erit, ut in sua vocatione confirmentur, & sibi persuadeant hanc viam sibi constitutam esse ad beatitudinem consequendam, ut regulas sui ordinis plurimi faciant, & eas quam diligentissime observent, & ad suum institutum quam maxime afficiantur, ut causas intelligant, quare adhuc minus profecerint, & ad hunc finem meditationes, & examina dirigant, quod ab initio explicandum erit, & deinde semper continuandum.

5. Denique etiam ut zelum concipiant iuvandi alios sive proximos iuxta suum institutum, sive etiam fratres eiusdem instituti, & exemplo & opere.

6. Ele-

6. Electio status non est eis danda, sed tamen iuvabit tradere regulas, & instructionem eius, ut possint deinde alios iuvare, vel etiam de rebus occurrentibus deliberare, eodem modo, quo infra dicetur de hominibus Societatis.

7. Quin etiam finitis exercitiis posset eis magno tum cùm delectu & spe fructus, nec sine facultate Provincialis communicari liber, si ipsi cuperent, & eo bene usuri viderentur, & denique doceri etiam possent de modo tradendi aliis exercitia.

8. Cæterum sciant nostri vix fructuosius operam poni posse, quam cùm religiosis, quoniam non in ipsis tantum fructus ille residet, sed ordinarie manat ad alios, primum quidem ad eorum fratres, qui ipsorum exemplo iuvari possunt, deinde etiam ad sæculares quorum animas illi tractant. Et ideo licet omnibus religiosis utilia semper sunt exercitia: tamen iis maxime, à quibus, vel ratione officii, vel alterius eiusmodi causæ utilitas in alios derivari potest, ut sunt Magistri Novitiorum, Superiores, Baccalaurei, Concionatores, & alii eiusmodi. Quo fiet sæpe, ut uno reformato, alii multi reformentur: idque commodius est, quam ut nos ipsi id per nos præstemus, ne videamur velle esse aliarum religionum reformatores, quod solet esse odiosum.

9. Si sint coniugati; aut patresfamilias, dirigenda erunt exercitia ad eum finem, ut iuxta divina præcepta familiam regant, liberos, & servos instruant, præterea ut reditibus, & facultatibus iuste, ac pie, & sobrie utantur, & eleemosynas faciant pro viribus suis, neque excedant in sumptibus, aliaque similia de quibus agitur in lib. Exercitiorum, in fine secundæ hebdomadæ. Hi autem effectus, quos diximus plerunque solent in anima consequi ex meditationibus ipsis, quanquam alterius materiæ: quo-

niam cùm vere timor, vel amor Dei ingeneratus fuerit, facile etiam reliqua vita tota reformatur. ( *Annot.* 17. *ex* 20. ) Sed tamen si Instructori videretur propriam aliquam directionem de his dare, vel extra orationem, vel in ipsa oratione per aliquam meditationem, posset etiam hoc fieri, quod idem intelligimus de aliis quoque hominum generibus, de quibus statim dicemus.

10. Si sint Ecclesiastici, ita erunt instituendi, in exercitiis, ut cognoscant, quantam virtutem exigat ille status, eamque acquirere cupiant, & doleant, si non hactenus habuerint. Quare ita dirigendi sunt, ut vitia, & pravos affectus exuere decernant, & contrariis se virtutibus ornare, quæ Ecclesiastico homini necessaria sunt, ut semper meminerint, se divino cultui, & Ecclesiæ ministerio dicatos, & consecratos esse, ideoque munus suum implere satagant, ut etiam beneficiorum proventus recte dispensare, & in eos usus, quos oportet, erogare studeant, denique ut etiam zelum Dei habeant, & pro animarum salute iuxta vires & talentum, & officium, elaborent.

11. Si sint Magnates, aut Magistratum aliquem gerant, iis quoque debebunt sua præcepta, & documenta tradi, ut iustitiam administrent, ut avaritiam, & superbiam fugiant, ut pauperes sublevent, ut se Dei ministros in illo opere esse sentiant, ut semper Dei timorem, atque honorem omnibus rebus præponant, & alia, quæ Instructor sua prudentia per se videre poterit, & ad ea dirigere eum, quem instruit.

12. Quod si eiusmodi homines propter publica negocia, quæ gerunt, vel ob alias honestas causas non poterunt omnino vacare exercitiis, ( *Annot.* 19. *ex* 20. ) oportebit accipere, quod possunt, ut

scili-

ſcilicet aliquas ſaltem horas quotidie meditationi tribuant. Et tunc etiam poterunt manere in domo ſua, ita ut Inſtructor adeat ad ipſos ſuis temporibus; quod aliquando melius eſſe poſſet, quam ut ipſi domum noſtram veniant ad Inſtructorem, præſertim cùm ſunt perſonæ illuſtriores, quia ſic facilius res celatur.

13. ( *Annot.* 20. ) Illud tamen longe utilius, ſi poſſent in aliquod prædium, aut coenobium ſecedere, ut fecit P. N. Ignatius in monte Caſſinate. In ipſis autem exercitiis ita procedendum erit, ut res, ac tempus poſtulabit. Nam ſi minus temporis ſpatium quotidie impendant meditationi, eo magis proroganda erit prima hebdomada, & confeſſio generalis, & reliqua. Si vero plures horas meditando inſumant, poterunt iſta omnia celerius expediri, ut magis vel minus accedatur ad conſuetam formam exercitiorum.

14. His autem electiones non ſunt dandæ, niſi forte deliberare vellent de officio, vel dignitate aliqua ſuſcipienda, vel deponenda, aut etiam de vitæ ſtatu ii, quibus integrum eſt. Monendi autem ſunt, ut ſaltem horis illis, quibus meditationi vacant, ab omnibus aliarum rerum cogitationibus ſe expediant, quantum fieri poteſt.

15. Si ſint rudes & illiterati, non erit multum temporis cùm eis inſumendum, nec tradenda ſunt eis integra exercitia, ſed ſervandus eſt modus, qui indicatur in annot. 18. ex viginti.

16. Ad hoc autem caput pertinent etiam foeminæ, quarum aliquæ interdum expetunt exercitia, atque ideo cùm iis idem modus ſervari debet, qui cùm rudibus, niſi eſſet aliqua tam bono iudicio, & ita capax rerum ſpiritualium, tantumque ocii domi haberet, ut exacte omnia, aut maiorem partem

face-

facere possit, tunc enim nihil impediret etiam hæc fieri, sed illud observari deberet, quod prudentiæ est, ut ipsæ in Ecclesiam nostram veniant ad accipiendas meditationes, & ita caute procedatur, ne ulla suspicio, aut scandalum sequatur: quam etiam ob causam fortasse expediet, ut non dentur meditationes in scriptis, sed voce, ne homines existiment aliquas esse epistolas. Quod si scripto utendum erit, fiat omnino discrete.

*De modo tradendi nostris exercitia. Cap. X.*

1. QVod ad nostros attinet, primum quidem iis, qui societatem ingrediuntur, omnino debent dari exercitia omnia integra, & iuxta formam in libro præscriptam. ( *Exam. c.* 4. §. 10. ) Cùm enim hoc sit unum ex experimentis, quod N. P. Ignatius requirit, requiritur etiam ut fiant plane, ut iacent, excepta tamen electione, idque singulas meditationes singulis pagellis descriptas quotidie afferendo: neque enim liber ipse dari debet hac prima vice.

2. Præterea in progressu temporis cùm contigerit, ut se colligant ad facienda exercitia, debebunt hæc ipsa aliquoties, ut bis, vel ter, facere, si non integre, saltem ea, quæ sunt primæ hebdomadæ, & aliquot meditationes ex sequentibus ut de regno Christi, Incarnatione, tentatione Domini, institutione sanctissimi Sacramenti, Passione, & illa, quæ est de amore excitando, prout opportunum fuerit, & tempus concesserit.

3. Quod propterea feciendum est, quia cùm deinde exercitia aliis daturi sint, omnino oportet, ( *Const. pag.* 4. *c.* 8. §. 5. ) ut ipsi ea prius bene nota, & perspecta sibi fecerint. Quam etiam ob causam oportet, ut præter meditationes bene intelligant, ac teneant usum quarundam regularum, & anno-

annotationum v. g. annotationes viginti initio libri exercitiorum positas, examina, additiones decem, in fine primæ hebdomadæ, regulas electionum, discretionis spirituum, & alia eiusmodi; & ideo legere debebunt librum, & bene intelligere, ac de quo dubitabunt, quærere ab eo, qui eis tradit exercitia.

4. Cæterum postquam ea, ut dictum est, aliquando fecerint, & repetierint reliquo deinde tempore, dum nondum ita exercitati erunt in usu meditationum. Et si in quotidianis meditationibus potest quisque pro sua devotione, vel necessitate ea meditari, quæ Dominus suggesserit, ex Evangelio, Scripturis, vel alia ( re tamen pro securiore directione, ac utilitate maiore cùm Præfecto rerum spiritualium, aut cùm Superiore communicata ) tamen cùm agitur de tempore aliquo certo meditationibus, & secessioni tribuendo, quod nos communiter exercitiorum vocabulo appellamus, quia fere expedit ab aliqua purgatione inchoare, convenit ut aliqua exercitia purgativa non prætermittant, ut de morte, & de peccatis, præsertim reflectendo ad ea, quæ in religione admiserint.

5. Neque tamen expedit dare in scriptis exercitia ista accommodata religioso statui, ut exercitia P. N. Ignatii integra, ut sunt conserventur, nulla re addita, vel transformata, ac præterea quia etiam ipsi maiorem sine dubio gustū, & motū sentient ex iis, quæ ipsimet invenerint, quam quæ ab alio ita minute enucleata acceperint. Sed tamen Instructor potest aliquam instructionem, aut lucem dare, & tanquam in via ponere; monendo eum, qui exercetur, ut ipse sibi applicare consvescat, ut v. g. in fundamento, postquam cogitaverit finem hominis, actuet hunc finem in eo statu, in quo nunc est, ut

quo.

quoniam iam non poteſt eſſe indifferens ad divitias, & paupertatem, applicet hanc indifferentiam ad eas materias, quæ occurrunt in Societate, & ſic de aliis.

6. Notandum eſt etiam primam hebdomadam debere in noſtris, ſi ſemel exacte exercitia fecerint, ordinarie ſatis brevi tempore expediri, ita ut etiam interdum minori ſpatio quàm tridui, vel etiam aliquando bidui expediri poſſit, ſi ita videatur, ut gradus fiat ad ſecundam hebdomadam, in qua ut plurimum diutius immorandum eſt. (*Annot.* 4. *ex* 20.) Quare hoc potiſſimum ex Inſtitutoris iudicio pendere debebit, qui ſi viderit aliquem maiore purgatione indigere, poterit, & debebit eum diutius in ea retinere, ante omnia conando, ut eum inducat ad deſiderandam ſui ipſius reformationem perfectam.

7. Materia autem circa quam hæc reformatio verſari debet, hæc fere eſt, paſſiones non bene domitæ, mali habitus, perverſæ inclinationes, ut ad honorem, & æſtimationem propriam, vel propriam voluntatem, ad corporis commoditates &c. Tentationes ab extrinſeco provenientes, præſertim vehementes, & crebræ, deinde etiam miniſteria Societatis, ut concionari, audire confeſſiones, habere ſcholam; denique omnes actiones, quas aliquis componere, & ordinare velit, ut comedere, dormire, ſtudere, agere cùm externis, vel cùm noſtris, & alia.

8. Quare hoc primum curari debet in eo, qui facit exercitia, ut quam maximam ſui ipſius acquirat cognitionem, percurrendo tempus ante actum, & occupationes, vel officia, & in iis perpendendo tum multitudinem defectuum ſuorum, tum etiam gravitatem, ratione ſtatus, & obligationis, tum deni-

que

que etiam considerando causas, & origines, & radices eorum vitiorum.

9. Ad quam etiam reformationem valde utile est, ut in fine primæ hebdomadæ fiat confessio generalis de toto tempore religionis, non quidem semper quoties exercitia repetuntur, sed cùm aliquis peculiariter motus à Deo vellet instituere novam vitam, seque perfectiùs reformare. Hoc enim usu compertum est magnopere multis profuisse, & valde iuvisse ad cognitionem sui, & emendationem.

10. Quod si viderit Instructor eum, qui exercetur, hac ratione iuvandũ ad eum finẽ consequendũ, qui intenditur, poterit etiam aliquas meditationes statui cuiusque vel necessitati præsenti accomodatas addere, ut de beneficio vocationis, de tribus votis, de causis cur vota renovantur, & de ipsa formula votorum nostrorum, de divinis beneficiis, de periculo tepiditatis, & huiusmodi. Interdum etiã ex Sumario constitutionũ præsertim præcipuis regulis, quibus religiosa fere perfectio continetur, ut 11. & 17. & similes, & in universum eæ sint materiæ, quæ ad timorem, & amorem Dei, ad sui ipsius odium, virtutis studium, rerum visibilium contemptum, æternarum desiderium, atque charitatis ardorem augendum pertinent.

11. Ad faciliorem etiam introductionem eorum, quibus vel non est facultas, vel non vacat perse invenire, poterit via aperiri ad mysteria vitæ, & passionis Domini, si nonnullæ veritates Theologicæ proponantur. v. g. cùm de Incarnatione agitur, si causæ eius, & fructus explicentur; aut cùm de Passione, si causæ acerbitatis eius: si etiam insinuentur modi eam meditandi, v. g. ad compatiendum, ad imitandum, ad admirationem, & sic de aliis.

12. Postremo, qui sunt iam provectiores in rebus

spiri-

ſpiritualibus, & meditando magis exercitati, de quibus par. 6. c.3.§. 1. iis, ſi interdum ad ſpiritum colligendum, & fervorem hauriendum ſe recipiunt, vel ad aliquod opus aggrediendum, ut miſſionem, aut aliquid eiuſmodi, cum nec eadem ſit omnium diſpoſitio, nec una menſura, non videtur quicquam præſcribendum circa materiam, ſed poſſunt ea meditari, quæ ſibi utilia putaverint ad eum finem conſequendum, quem intendunt. Credendum eſt enim quod ex notitia quam ex exercitiis Patris N. Ignatii antea iam habebant, & ex unctione ſpiritus adiuti, inoffenſo pede, imo magna cum utilitate per hanc viam current.

13. Quod attinet ad electionem ſtatus, ea non eſt noſtris danda in exercitiis. De electione autem negocii aut actionis alicuius conſultare non eſt proprium exercitiorum; ſed poteſt fieri etiam extra exercitia omni tempore, & occaſione, & ideo in hac etiam diligenter inſtruendi ſunt noſtri, ut ſciant bene uti regulis eligendi ad indagandam Dei voluntatem, & beneplacitum, ut cum Superiores debent ſtatuere de re aliqua dubia, maxime ſi non poſſint cum ſuis conſultare, ut dicitur 16. reg. Provincialis, & denique in rebus omnibus, quas coram Deo conſtituere, ac definire oporteat, ſemper admodum iuvat illa praxis, quæ in eligendo præſcribitur, de qua infra prolixius agemus, & inde peti poterunt, quæ noſtros iuvare poſſint ad intelligendam Dei voluntatem in omni eiuſmodi re, iuxta cuiuſque rei qualitatem.

*De prima hebdomada in univerſum. Cap. XI.*

1. OMnia hæc exercitia à Patre noſtro Ignatio in quatuor hebdomadas diſtributa ſunt, (*Annot.4.ex 20.*) quæ quidem hebdomadæ non tam numero dierum, quam materiæ genere diſtinguuntur, & ideo

& ideo non necesse est; ut septem, vel octo dierum circulus in singulis consumatur, sed sufficit ut illi affectus, vel fructus inveniantur, qui in unaquaque exquiruntur.

2. Prima continet considerationem peccatorum, ut eorum foeditatem cognoscamus, vereque detestemur cùm dolore. & satisfactione convenienti. Secunda proponit vitam Christi ad excitandum in nobis desiderium, ac studium eam imitandi, quam imitationem, ut melius perficiamus, proponitur etiam modus eligendi vel vitæ statum, qui sit maxime ex voluntate Dei, vel si iam eligi non possit, dantur quædam monita, ad eum in quo quisque sit, reformandum. Tertia continet passionem Christi, qua miseratio, dolor, confusio generatur, & illud imitationis desiderium una cùm Dei amore vehementius inflammatur. Quarta demum est de Resertectione Christi, eiusque gloriosis apparitionibus, & de beneficiis divinis; & similibus, quæ pertinent ad Dei amorem in nobis excitandum.

3. Igitur in hac prima hebdomada proponuntur media, quæ ad animam purgandam per contritionem, & confessionem pertinent, & ad veram poenitentiam innobis gignendam iuvare possunt. Quare huc omnia dirigere debet, qui facit exercitia, ut peccati malitiam, suamque abiectionem, & vilitatem agnoscat, eamque ex animo intime sentiat. Quam ob causam expediret, ut hoc tempore, si sacerdos sit, ex hoc spiritu humilitatis abstineat à quotidiana celebratione, nisi devotio, aut profectus spiritualis, aut aliqua obligatio ad id impellat, ut postea generali confessione peracta, maiori cùm præparatione, fiducia ac reverentia ac sacrificium altaris redeat.

4. Notandum etiam hanc primam hebdomadam esse

esse fundamentum, ac basim cæterarum, & ideo nunquam prætermitti debere. Vnde etiam si quis alia exercitia huius hebdomadæ, aut etiam omnia integra fecisset, & denuo ea repetere vellet, tamen hinc incipiendum esset, quamvis brevius expediri posset.

5. Igitur postquam aliquis in eum locum venerit, ubi exercitiis vacaturus est, ea ipse die debet Instructor ad eum adire, & priusquam tradat fundamentum, debet ei explicare aliquas ex annotationibus, nempe primam, & quintam, & ex decima septima illam admonitionem de animo aperiendo, item ex vigesima id, quod dicitur de utilitate secessus in loco separato. Quod etiam opportunitatem ei dabit, ut eum moneat de iis, quæ supra cap. 2. diximus eum esse monendum, cum ea tamen dexteritate, quam ibi diximus, nempe ut non omnia simul, sed quantum prudentia dictabit.

6. Annotatio autem illa ante fundamentum, quæ incipit: in primis, expediet magis hoc tempore, ut non proponatur ita in gen. re, quando quis incipit exercitia, sed in decursu exercitiorum, si quid dubium, vel obscurum occurrat, aut ob aliquam eius qui exercetur diffidentiam, videatur opportunum, tunc ei explicari poterit.

*De Fundamento: Cap. XII.*

1. PRimus ingressus in hanc primam hebdomadam fit per considerationem ultimi finis, quæ consideratio ideo dicitur Fundamentum, quia est basis totius ædificii moralis, & spiritualis.

2. Potest autem dividi in tres partes, primo in finem, propter quem homo creatus est. Secundo in media ad consequendum hunc finem, tertio in difficultatem eligendi hoc, vel illud medium, cum ignoremus quid magis aptum sit ad huius finis conse-

secu-

ſecutionem, omnis autem error in hac parte non poſſit eſſe non criminoſus & periculoſus. Ex quo naſcetur etiam quartum, ut homo ponat ſe in illa omnimoda indifferentia, & æquilibrio.

3. Hæc autem indifferentia eſt maximi momenti, & admonendus eſt, qui ſe exercet, quanto altius hoc fundamentum iecerit, tanto firmius futurum ædificium; idque etiam indicavit Pater N. Ignatius annot. decima quinta, & decima ſexta ex viginti.

4. In danda hac meditatione maxime, quia nonnullis, cùm nondū aſſveverint orationi, videri poteſt aridior, addi poterunt aliquæ excurſiones ad meditandum, ut in eo, quod dicitur creatum eſſe hominem, poteſt ſimul cogitari à Deo eſſe creatum de nihilo, & ſimul quot, & quanta in creatione habuerit, & præterea quomodo ſemper ab illo in eſſe conſervetur.

5. Sed horum conſideratio non hic dirigenda eſt ad gratitudinem, ut fit, cùm conſiderantur beneficia Dei, verum ad ſcopum huius fundamenti, nempe, quod illa omnia à Deo data ſint, ut perveniremus ad illum ultimum finem. Vnde etiam poteſt homo in hac meditatione reflectere cogitationem ad ſe ipſum, quomodo hactenus habuerit ſe ad finem, & ad media; quantum abervaerit, quod creaturis abuſus ſit, quæ illi adiumento eſſe debuerunt, ut iam quaſi in generali iaciat fundamenta ad cognoſcendam deformitatem vitæ ſuæ, quod poſtea uberius, & magis particulariter faciet in meditatione peccatorum.

6. In medititaone huius fundamenti liber exercitiorum non præſcribit certas horas, ut fit in exercitiis ſequentibus, ſed ut facili initio inchoemus, unuſquiſque pro viribus, & pro devotione ſua ad id tempus ſibi aſſumat: vel ſi opus ſit, Inſtructor ei præſcribat.

7. Debet autem curare ut, cognitio huius veritatis, quæ in fundamento tractatur, quam maxime menti infigatur, quoniam ut fundamentum fabricæ totam ipsam sustinet: ita hæc veritas influit in omnia exercitia, & præsertim in ipsam electionem status, quæ tota fere hinc pendet, & ideo quo melius hæc meditatio successerit, eo etiam melius reliqua succedunt.

*De duplici examine. Cap. XIII.*

1. DVm durat meditatio fundamenti debet Instructor exercitantem aliquoties visitare, & semper ei aliquid novi in scriptis afferre, quia sic videtur quodammodo levari tædium, & melius etiam percipi quæ singula proponuntur.

2. Igitur in primo congressu. post datum fundamentum, datur examen particulare, in quo tradendo significandum est ei, in quovis homine unum, aut alterum vitium sive peccatum esse solere præcipuum, & quod in eo sit quasi causa, & radix aliorũ.

3. Et licet in aliquo plura essent præcipua, expedire tamen, ut unum deligatur, ad quod extirpandum toti incumbamus, ut eo superato ad aliud, & aliud deinceps peculiarem hunc conatum, & studium transferamus.

4. Huic igitur rei serviet examen particulare, cuius usus etsi post peracta exercitia esse debet toto vitæ tempore, nunc tamen inchoatur, tum ut aliqua eius peritia acquiratur, tum etiam quia hoc examine uti oportet circa exercitia, & eorum additiones.

5. Est autem multum commendandus huius examinis usus propter magnam eius utilitatem, præsertim ad consequendam animi puritatem ut docet Cassianus Colla.4. & S. Bernardus sæpe. Itaque in fine exercitiorum, cùm discedenti dantur præcepta

vitæ

vitæ bene inſtituendæ, hoc in primis inculcandum eſt. Additiones autem illæ quatuor dictandæ ne ſint, an verbo tantum explicandæ, prudentiæ Inſtructoris relinquitur.

6. Deinde eadem die, & ſequenti datur examen generale, & quotidianum. Non autem datur per modum meditationis, ſed inſtructionis cuiuſdam, & ut homo incipiat aperire oculos ad cognoſcenda peccata vitæ præteritæ.

7. Quod vero attinet ad examen generale, non eſt dubium, quin aliæ etiam multæ ſint peccatorum ſpecies, quæ hic non ponuntur: ſed vel hic ea tantum peccata attinguntur, quæ frequentius accidunt, reliqua autem peti poſſunt ab aliis auctoribus, qui ex profeſſo de hoc agunt; vel hoc examen pro iis tantum conſcriptum eſt, qui iam paulo magis ſpirituales ſunt, & ab aliis gravioribus peccatis abſtinent, in hæc autem frequentius incidere ſolent. Itaque non fuit mens P. Noſtri Ignatii tam brevi tractatione omnia peccata comprehendere, ſed tantum, ut dictum eſt, pios animos admonere de iis, quæ frequentiora ſunt.

8. Porro examen quotidianum, quod quinque puncta complectitur, dictetur, prout iacet. Ad illud autem faciendum iuvat illa lux, quam præbet examen generale per illam diſtinctionem peccatorum, quæ fiunt, cogitatione, locutione, & opere.

*De primo exercitio primæ hebdomadæ. Cap. XIV.*

1. Circa ordinem tradendi exercitia ſequendus eſt is, qui ponitur in ipſo libro exercitiorum, nempe ut prima hora fiat exercitium trium potentiarum, ſecunda autem peccatorum, tertia vero & quarta repetitiones utriuſque, ſi autem addatur etiam quinta hora, fiat de inferno. Sin fiant tantum quatuor horæ, hoc exercitium de inferno differen-

dum erit in diem sequentem; quo eodem die possunt dari etiam alia exercitia de morte, de iudicio, cùm suis repetitionibus. Tertio die proponenda erit eadem materia, sed tum aliquibus novis punctis, ut in materia peccati, proponendo effectus quos facit in animo, aut aliquid eiusmodi, sic enim tollitur tædium, & materiæ profundius penetrantur.

2. Porro primum exercitium illud est, quod appellatur trium potentiarum, non quia in aliis etiam non exerceantur hæ tres potentiæ; sed voluit P. N. Ignatius in hoc quasi aditu, & principio omnium exercitiorum, viam monstrare, quæ in meditando tenenda est, nempe, ut per memoriam adiuvaretur ratio ad discurrendum, sive raticionandum; per discursum autem excitaretur voluntas, & affectus, idque actuare voluit in materia peccati, quæ prima occurrebat ad meditandum.

3. Itaque in hoc primo exercitio sunt sigillatim explicanda exercitia sumenti omnia, quæ insequentibus exercitiis futura sunt usui, quis scilicet modus servandus, ut cùm attentione, & sine capitis læsione perseverari possit, & quomodo se animus colligere, collectumque tenere debeat, & quod licet adhibendus sit intellectus ad cogitandum, maior tamen habenda est cura affectus, & interioris gustus, quam *ut* multi conceptus quantumuis pulchri, & acuti formentur, & alia eiusmodi.

4. Hic etiam declaranda sunt præludia, quorum usus præscribitur in omnibus exercitiis, & in primis quid sit compositio loci, quæ nihil aliud est, quã fingere sibi, & quasi videre oculis imaginationis locum illum, inquo res, quam meditamur, gesta est, ut stabulum in quo Christus natus est, aut coenaculum grande stratum, in quo Apostolorum pedes lavit,

vit, aut montem, in quo passus est.

5. Hac enim loci compositione valde iuvamur ad attentionem, & motionem animæ, quæ hoc modo quasi alligatà phantasia rei illi certæ alligatur, ipsa quoque quodammodo ne evagetur, aut si quando divertat, habet ad manum, quo se facile colligat, & revocet in situm illum suum, in quo se ab initio composuit. Vnde S. Bonaventura in Prooemio de vita Christi: Tu, inquit, si fructum ex his sumere cupis, ita te præsentem exhibeas iis, quæ per D. N. Iesum Christum dicta, & facta narrantur, ac si tuis oculis ea videres, & tuis auribus audires, toto mentis affectu, diligenter, delectabiliter, & morose, omnibus aliis curis, & solicitudinibus tuis omissis.

6. Atque hoc quidem locum habet in meditatione rerum corporearum: nam in rebus incorporeis, ut est peccatum, & similia, alia quædam est instituenda compositio loci, de qua dicitur satis clare in lib. exercitiorum in exercitio trium potentiarum.

7. Denique in hac loci repræsentatione vitandum est diligenter, ne nimis in ea fabricanda immoremur, vel nimiam vim capiti faciamus, quia non consistit in ea fructus præcipuus meditationis, sed est tantum via & instrumentum ad ipsum fructum. Nec est dubium, quin aliqui maiorem in hac re habeant facilitatem, in quibus videlicet acrior est vis potentiæ imaginativæ. Alii vero quibus hoc difficilius est, non ita laborare debent, ut caput obtundant, quo ipsam meditationem impedirent.

*De aliis exercitiis primæ hebdomadæ. Cap. XV.*

1. IN secundo exercitio, in primo puncto monendus est exercitans, ne descendat ad examinanda peccata sigillatim, ut fieri solet, cùm quis se ad confessionem parat, hoc enim postea facturus est

extra meditationem: sed hoc tempore in genere tantum proponat sibi sua peccata, eorumque multitudinem, & magnitudinem, ut concipiat confusionem, & dolorem. Ad hoc autem confert percurrere loca, negotia, & personas, ut hic dicitur.

2. Tertium & quartum exercitium constat ex repetitione primi & secundi. Harum autem repetitionum usus est valde utilis, sæpe enim fit, ut cùm eiusmodi materiæ primum cogitantur, intellectus pascatur illa rerum novitate, ac curiositate quadam, postea vero cùm speculationem moderamur, magis aperitur via internis affectibus, in quibus potissimum consistit fructus. Quare in his repetitionibus vitandi sunt longi discursus, sed tantum proponere sibi oportet, & quasi percurrere, quæ prius meditati sumus, & in iis immorandum voluntate, & affectu, & hæc etiam est causa, cur plura hic colloquia sint, quam in prioribus exercitiis.

3. Quod autem dicitur in lib. exerc. in III. exercitio primæ hebdom. repetitionem hanc faciendam de iis, in quibus antea maiorem consolationem, aut desolationem senserimus, ita intelligendum est, ut præcipue repeti debeant ea, quæ lumen, aut fervorem attulerunt, sed etiam expedit illa puncta repetere, in quibus ariditatem sensimus, quia sæpe contingit, ut deinde in ipsis maiorem consolationis copiam sentiamus. Imo etiam bis repeti potest idem, si magna sentitur consolatio, aut alius bonus & spiritualis affectus, & hoc potissimum in prima hebdomada.

4. Præter quinque hæc exercitia P. N. Ignatii possunt addi alia, ut in fine quinti exercitii dicitur, ut de aliis peccati poenis, de morte, de iudicio, vel de aliis cruciatibus Inferni, & quidem hæc
rarissi-

rarissime omittenda videntur, quia multum habent momenti, ut avocetur animus ab inordinato amore rerum harum visibilium, & in his meditationibus concipit anima timorem sanctum Domini, ut pariat spiritum salutis.

5. In fine cuiuslibet exercitii semper fieri debet colloquium, ut in libro exercitiorum præscribitur, nec tamen prohibetur, quin iuxta cuiusque devotionem etiam in principio, & in medio alia colloquia, & petitiones fieri possint, imo etiam aliquando expedit. Proprius tamen locus est in fine, cùm anima ex meditatione magis elevatam se sentit. Illa enim sunt aptissima colloquia, quæ formantur ex affectu interiori, varia, ut ipse affectus varius est.

6. *Ex 1. exerc. primæ hebdomadæ.* Interdum enim homo agit cùm Deo, ut filius cùm Patre, interdum ut seruus cùm Domino, modo ut amicus cùm amico, modo etiam ut reus cùm Iudice, aliquando etiam petens aliquod donum, aliquando gratias agens de beneficiis acceptis, alias accusando se ipsum, alias communicando cùm eo familiariter.

7. In quo notandum quod dicitur in tertia annotatione ex viginti, hæc colloquia, quando fiunt cùm Deo, aut cùm sanctis requirere maiorem reverentiam, quam ipsas meditationes. & speculationes. In particulari vero colloquium secundum ad Christum, ut impetret à Patre, explicandum erit rudioribus, hoc intelligi, non ut est Deus, sed ut homo mediator, & advocatus, ut interpellet pro nobis.

8. Additiones, quæ in libro exercitiorũ ponuntur in fine primæ hebdomadæ, dandæ sunt pridie, quam incipiantur exercitia, nempe meditatio, quæ dicitur trium potentiarum, & reliquæ, quia in iis agitur de multis, quæ adiuvant meditationem. Decima tamen additio posset differri in sequentem di-

em, quia non eſt adeo neceſſarium, ut detur illo die. Deinde ſequentibus diebus dandæ ſunt reliquæ additiones, & regulæ de diſcernendis ſpiritibus, quæ conveniunt primæ hebdomadæ, & quæ convenire videbuntur exercitanti, quas tamen non erit ſemper neceſſe ſcripto dare, ſed id Inſtructoris iudicio permittitur.

9. Hæ additiones curandum eſt, ut exacte ſerventur, quia ex ipſis valde pendet fructus ſpiritualis exercitiorum, quanquam ex altera parte caveri etiam debet omnis exceſſus, & habenda eſt ratio, perſonarum, & complexionum, ut ſi qui eſſent natura melancholici, non debent nimium coarctari, imo potius dilatandus eſt eis animus, & idem de perſonis imbecillioris valetudinis, & inſvetis ad hos labores dicendum; & ideo opus eſt prudentia, & diſcretione. Experientia enim oſtendit quibuſdam profuiſſe, quod eis concederetur aliqua laxitas in his regulis ſervandis, aliis autem profuit ſeveritas, & rigor, ſemper tamen mixtus ſvavitate.

*De confeſſione generali. Cap. XVI.*

1. SIve qui ſe exercet verſetur in primis quinque exercitiis, ſive alia adiungantur, cùm iam id ſatis conſecutus videbitur, quod in hac hebdomada ut finis proponitur, nimirum cognitionem intimam peccatorum, & veram contritionem, & ad id ſerio conatus, & divinæ gratiæ cooperatus, tam per exercitia, quam per additiones iudicabitur, moneri debet, ut ſe ad generalem confeſſionem diſponat, & niſi Inſtructori nimium fatigatus videatur, poterit adhuc pergere in meditando per unam, aut alteram horam aliquid, quod ad compunctionem peccatorum faciat, vel ſi id magis expedire iudicetur, aliquid legendo ad eum finem.

2. Vt autem hoc diligentius, & accuratius faciat, in-

at, indicandũ eſt ei, quantæ ſint utilitates huius confeſſionis generalis, de quibus utilitatibus agitur in ipſo libro Exercitiorũ poſt examen generale. Quod ſi nulla alia eſſet, hoc certe ſatis eſſe deberet, quod experimur homines plerumque aut ſine examine ſufficienti, aut ſine debito dolore, nullo vel valde infirmo melioris vitæ propoſito, ad confeſſionẽ accedere, ac propterea ad conſequendam pacem conſcientiæ, & ad tollendos ſcrupulos, qui ſi non antea, ſaltem in puncto mortis animam excruciare, & in periculum ſalutis æternæ adducere ſolent, multum prodeſt, ſemel ſe ab omnibus anteactæ vitæ peccatis abluere.

3. Quam etiam ob cauſam, etſi cavendum eſt à nimia anxietate in facienda hac confeſſione, ne ſemper deinde maneant ſcrupuli, ac reliquiæ, ut quibuſdam contingit; tamen ex altera parte ſtudendum & conandum eſt, ut ita diligenter atque accurate fiat, ut poſtea ſecura eſſe poſſit anima, ſe feciſſe, quod in ſe erat. Nam ſine hoc nunquam frui poterit illa pace animi, & tranquillitate conſcientiæ, quam diximus. Ideo præter proprium ſtudium, & diligentiam ipſius, qui exercitia ſuſcipit, iuvandus eſt etiam aliqua via, & methodo, nempe directorio aliquo ad bene confitendum, cuiuſmodi iam multa extant bona, & apta, ſi opus fuerit, & pro cuiuſque indigentia.

4. Aliquando etiam, præſertim inſignioribus hominibus, proderit dare legendam Summam Navarri, ubi agit de ſtatibus, ut attente conſiderent, quæ ad ſuum ſtatum pertinent. Sic enim melius videbunt, in quibus defecerint, quæ ſi noſtri per ſe proponerent, fortaſſe non tantam iis fidem haberent, & poſſent putare eos eſſe nimios in urgendis conſcientiis.

5. Hanc generalem confeſſionem, ut plurimum

magis expedit non fieri ei, qui tradit exercitia: si tamen qui suscipit, ei confiteri mallet pro sua devotione, vel sacerdotum penuria, aut aliæ causæ ita exigerent, nihil impediret, quin etiam ipsi fieri posset.

*De fine primæ hebdomadæ. Cap. XVII.*

1. QVoniam, ut supra dictum est, exercitiorum hebdomadæ ( *Annot.* 4. *ex* 20. ) non dierum spatio definiuntur, sed ex effectu, qui in eis prætenditur, ideo huius primæ hebdomadæ tempus vel contrahi, vel prorogari poterit, prout citius, vel tardius quisque contritionem, devotionem, vel meditandi modum assecutus fuerit. Alii enim celerius, alii serius, eo perveniunt. Illud tamen notandū, eos homines, qui multū proficiunt in via spiritus, & qui iam ab aliquo tempore Sacramenta frequentant, aut qui multum cupiunt statuere de modo vitæ suæ, in quo magis Deo Domino servire possint, non esse diu detinendos in hac prima hebdomada. Imo si fieri possit, quatuor, aut quinque diebus absolvere eam debent. Contra vero faciendum in iis, qui non ita dispositi sunt. Hi enim ut peccata sua defleant, & ut peccati turpitudinem, ac foeditatem agnoscant, debent diutius in his exerceri, mutando subinde rationem victus somnique, & alia genera poenitentiæ, ut habetur in exercitiis notabili tertio post additiones primæ hebdomadæ.

2. Qui absolutis exercitiis primæ hebdomadæ, ad reliqua progressurus est, postquam generaliter confessus fuerit, & communionem sumpserit, saltem per unum diem vacare debet ab illo labore tam intenso meditandi. Interim tamen posset in mente versare parabolam illam filii prodigi, applicando eam ad se ipsum, aut aliquid eiusmodi. Porro ad communionem est ita etiam disponendus, ut ad

ut ad

ut ad eam accedat cùm reverentia, & fide, & gustu, & ob eam causam danda est ei aliqua meditatio ad hoc apta.

*De secunda hebdomada, & primo de fine qui in ea prætenditur. Cap. XVII.*

1. Finis, & scopus, qui exercitiis omnibus primæ hebdomadæ præfixus est, hic præcipue est: cognoscere, quod erravimus ab ea via, quæ nos ducere debebat ad ultimum illum finem, cuius causa creati sumus, & consequenter dolere de tali, & tanto errore, & concipere intensum desiderium redeundi in illam viam, & in ea semper perseverandi.

2. In hac autem secunda hebdomada finis est, proponere sibi Christum Dominum, ac Salvatorem nostrum, ut veram viam, iuxta illud, quod ipse dixit: Ego sum via, veritas, & vita, &. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ipse enim est exemplar à Patre hominibus propositum, cuius imitatione emendemus, & componamus mores nostros corruptos, & dirigamus pedes nostros in viam pacis. Quare cùm Christi vita sit perfectissima, & ipsa idea virtutis, & sanctitatis, sequitur, ut quo vita nostra propius ad eam imitatione accesserit, ipsa quoque perfectior sit, imo & propius accedat ad ultimum finem suum, ideoque eo etiam felicior sit.

3. Propter hanc causam hæc secunda hebdomada respondet viæ illuminativæ, quia Christus est sol iustitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & ad hoc venit, ut illuminaret sedentes in tenebris, & umbra mortis. Et quoniam peccata, & pravæ affectiones obtenebrant animam, eamque impediunt, & retrahunt à Christi imitatione, ideo hæc prius eradicanda ex corde erant primis illis exercitiis, & meditationibus.

4. Dispositio quam P. N. Ignatius requirebat in

iis, qui facturi essent exercitia huius hebdomadæ, est, ut ostendant fervorem, ac desiderium progrediendi ulterius ad deliberandum de statu vitæ. Quare qui hoc nollet, vel tepide vellet, etiam si cuperet progredi in meditationibus, melius esset eum differre ad unum, aut alterum mensem. Hoc enim negocium eiusmodi est, ut nisi cùm fervore spiritus suscipiatur, non possit habere bonum successũ, requirit enim magnũ, & forte & constantẽ animum, qui ex augmento devotionis proveniat.

5. Verùm est, quod si quis esset, à quo nihil magnum sperari posset, quia non esset admodum capax, vel impeditus esset statu matrimonii, posset pro eius captu, aliquid addi de sequentibus hebdomadis, ut dirigatur in statu, in quo est, ad bene vivendum in eo.

6. Cæteros autem melius est relinquere cùm fame, ut sciant adhuc sibi restare aliquid, quod faciant. Contingit enim sæpe, ut hac dilatione experientia ipsa apertius eis detegat suas necessitates, & infirmitates; quod facit, ut deinde ardentiores, & magis dispositi redeant.

*De primis quatuor exercitiis secundæ hebdomadæ. Cap. XIX.*

1. PRimum exercitium in hac secunda hebdomada, est de Regno Christi, quod tamen non computatur inter meditationes, quia prima est de Incarnatione Domini. Est igitur quasi fundamentum quoddam, aut prooemium totius huius tractatus, & summa ac compendium vitæ, & operum Christi Domini in eo negotio, quod ei commiserat Pater, de quo Esaias, ( *Esa.* 62. ) Opus illius coram eo; & ipse Dominus. ( *Ioan.* 17.) Opus, quod dedisti mihi, ut facerem. Et statim addit, quidnam id esset: Clarificavi te super terram, manife-

stavi

ſtavi nomen tuum hominibus. Vocat autem omnes homines in ſocietatem tanti, & tam glorioſi operis, unumquemque iuxta ſuum gradum. Ex quo iam incipit apparere diverſitas graduum in imitatione Chriſti.

2. Diſpoſitio autem, quæ requiritur in anima eius, qui facit exercitia, hæc eſt, ut quantum eſt ex ſua parte tendat in id, quod perfectius eſt, ſi Dominus dederit gratiam, & vires. Vnde aperte colligitur ex hoc iam loco animam incipere præparari, & diſponi ad electionem ſtatus, quæ poſtea ſuo loco expreſſius proponetur. Sic enim mirabili quodam artificio Spiritus ſancti hic anima excitatur ad perfectionem, ut deinde hanc eandem perfectionem eliciat, & indaget in omnibus ſequentibus meditationibus, Incarnationis, Nativitatis, & aliarum, & ita perfectionis ſemina, quæ hic ſparguntur, per illas deinde meditationes latenter creſcant, & promoveantur, donec in tempore electionis, ſuum fructum ferant. Atque hoc bene notandum eſt Inſtructori pro ſua directione, non quod de hoc monere debeat exercitantem, ſed potius ſinat res ipſas per ſe in eius anima operari, vimque ſuam exercere.

3. Neque hoc tamen impedit, quin hæc meditatio, ſicut etiam quæ deinde ſequetur de duobus vexillis, tradi poſſit etiam iis, qui non ſunt facturi electionem, quoniam etiam hi ea iuvari poſſunt: ſi quidem in genere tantum agunt de iis, quæ ad maiorem Dei gloriā ab unoquoque fieri poſſunt in Dei obſequio pro cuiuſque capacitate.

4. In hac ſecunda hebdomada notandum eſt, addi hic unum præludium. Nam cum in prima hebdomada, prim̄ præludiū ſit conſtitutio loci, hic ante conſtitutionem loci ponitur quædam repræſentatio hiſto-

historiæ, seu mysterii quod, meditandum occurrit. Hoc autem non ita intelligendum est, ut tunc immorari debeamus in meditando illo mysterio. Sic enim nihil differret præludium à meditatione, sed ita est accipiendum, ut in primo illo præludio proponatur historia generatim, & quasi tota in communi ut sciatur materia, de qua tunc cogitandum est, & anima incipiat in ea actuari, & ad eam elevari, deinde vero in ipsa meditatione incipiat in singulis eius partibus immorari, easque ponderare, & penetrare. Vt cùm quis coniicit oculos in tabulam aliquam pictam, in qua sit varietas rerum pictarum prius unico intuitu omnia confuse cernit, & scit, quid in ea tabula contineatur, postea vero figit oculos in singulis particularibus rebus, quæ ibi pictæ sunt, easque sigillatim melius, & accuratius perpendit.

5. Quod autem attinet ad puncta harum meditationum, sumenda erunt in fine libelli exercitiorum, ubi mysteria vitæ Christi ordine posita sunt, distincta fere singula tribus punctis, & si simplicioribus, qui ea non legerint, aut legere non possint in Evangeliis, explicatius tradi oportebit addita brevi declaratione, ut dicitur secunda Annotatione ex viginti. Vnde,quod in meditatione Incarnationis, & Nativitatis etiam dicitur de contemplandis personis, & earum verbis, & operibus, intelligi debet, referendo ad illam, quam diximus distributionem, quæ in fine libri ponitur, nempe cogitando hæc in singulis punctis, ut occurrunt ordine suo, non autem quod necessarium sit omnes prius personas totius mysterii,deinde omnia verba eiusdem,ac demũ opera separatim meditari; hoc enim præsertim in quibusdam meditationibus pareret confusionem.

6. Quare hoc tantum voluit P. Ignatius, regulam

dare

dare in singulis punctis, quo meditantis intentio ferri debeat, primum quidem in ipsas personas, quæ in illo puncto occurrant, tum ad verba, si prius verba, vel ad facta, si prius occurrant facta. Et ita absoluto uno puncto, transeatur ad illud, eundem ordinem in eo servando.

7. Cæterum & si hic tantum mentio fit de his tribus, non tamen prohibetur, quin possint etiam addi alia puncta, ut v. g. cogitationes, & affectus personarum interiores, tum etiam virtutes, & præterea modus, & finis mysteriorum, quæ occurrunt, causa item, & effectus, tempus, & reliquæ circumstantiæ, ut foecundior sit meditatio, & maior eius fructus.

*De quinto exercitio secundæ hebdomadæ, quod est, applicatio sensuum. Cap. XX.*

1. Exercitium quintum, quod est applicatio sensuum, est facile valde, & utile, imaginando nos videre personas, & audire verba, aut strepitum, si qui sit, vel tangere, aut osculari, sive loca, sive personas, quod tamen fieri debet cùm omni reverentia, & modestia, ac timore. Olfactum P. N. Ignatius refert ad odorandam fragrantiam animæ ex donis Dei, & gustum ad gustandum eius dulcedinem, quod utrumque significat præsentiam quandam rei, vel personarum, quas meditamur cùm gustu & amore earum tenero.

2. Quod autem hic dicitur facta meditatione Incarnationis, & Nativitatis, faciendam deinde separatim hanc applicationem sensuum, intelligendum est idem deinceps fieri debere in reliquis meditationibus vitæ Christi. Quod non ita accipiendum est, quasi hanc applicationem debeamus habere seiunctam ab omni materia meditationis, sed ut præcipuus scopus circa mysterii considerationem sit sensuum applicatio.

3. Dif-

3. Differt autem applicatio ista sensuum à meditatione, quoniam meditatio est magis intellectualis, & magis versatur in ratiocinatione, & omnino est altior. Discurrit enim per causas illorum mysteriorum, & effecta, & in eis investigat attributa Dei, ut bonitatem, sapientiam, charitatem, & reliqua. At vero applicatio non discurrit, sed tantum inhæret in illis sensibilibus, ut in aspectu, & auditu, & reliquis eiusmodi, quibus fruitur, & delectatur cùm profectu spirituali.

4. Est autem eius duplex utilitas, interdum enim cùm anima non potest profundiora speculari, dum in his immoratur, paulatim disponitur, & elevatur ad illa altiora. Interdum autem contra; anima iam impinguata, & fervens devotione ex cognitione illorum mysteriorum altiorum, descendens deinde ad hæc sensibilia, in omnibus invenit pastum, & consolationem, & fructum ex abundantia amoris, qui facit, ut minima quæque, ac vel ipsi nutus magnificant, & materiam amoris, & consolationis præbeant.

5. In mysteriis Christi tradendis debet Instructor ea desumere ex ipso libro exercitiorum, in fine, ubi, ut dictum est, descripta sunt cùm suis punctis. Quare qui magis versati sunt in meditando, iis satis erit dictare, vel dare in scriptis puncta, ut ibi habentur, admonendo, ut semper eandem formam teneant, quam prima die. Cùm aliis autem minus versatis oporrebit ad particularia magis descendere, accommodando præludia ad materiam, & introducendo eos, ut sciant sibi proponere personas cùm suis circumstantiis, tum earum verba & facta &c.

*De meditationum horis, electione spirituali, & eo, qui exercetur, visitando. Cap. XXI.*

1. Si-

1. SIqui se exercet, fatigatus videatur, imo etiam si non adeo fatigatus sit, tamen ut melius durare possit, expedit, ut detur illi aliqua relaxatio in horis meditandi, & tunc omitti poterit meditatio, quæ fit media nocte, & retineri aliæ quatuor horæ, *Ex notabili unico in die secundo 2. hebdomadæ.*

2. Potest etiam in hac hebdomada, & sequentibus post absolutas meditationes reliquo tempore legi aliquis liber, sed eiusmodi, qui pietatem potius nutriat, quam intellectum novitatibus exerceat, ut sunt aliqua ex operibus S. Bernardi, vel Gerson de imitatione Christi, vel Granata. Si vero liber hic contineret aliquem tractatum de Christi mysteriis, non expediret, ut ea legerentur, de quibus postea faciendæ sunt meditationes, sed de quibus iam factæ sunt, vel quæ eo die sunt faciendæ. ( *Ex notabili 1. secundæ hebdomadæ post meditationes primæ diei.* )

3. Quod attinet ad visitandum eum, qui exercetur, semel saltem esset visitandus in die, excepto tempore electionis, quo tempore solent incidere frequentiores desolationes & perplexitates, quæ crebriorem visitationem requirunt.

*De electione quanti momenti sit, & quis ordo in hac materia servandus Cap. XXII.*

1. IN omnibus exercitiis nullus est difficilior locus, aut qui maiorem dexteritatem, & discretionem spiritualem requirat, quam electionis, quoniam hoc tempus expositum est diversis motibus animi, & sæpe etiam erroribus; cùm homo non solum à malo vincatur, sed plerunque etiam boni, & recti imagine fallatur.

2. In hac ergo materia illud ante omnia intelligendum videtur, & ante oculos tenendum, quanti referat eligere statum vitæ. Nam si homo ut rationalis,

nalis, debet omnibus suis actionibus ponere finem congruentem rationi, Christianus autem debet omnia opera sua dirigere ad finem supernaturalem: si hæc ergo in singulis actibus fieri debent, quanto magis in capiendo statu, ex quo scilicet consequuntur fere omnia opera vitæ nostræ, ita ut, si finis ipsius status sit vitiosus, ea etiam quæ ad finem consequuntur, oporteat esse vitiosa.

3. Deinde ut in corpore animantis plura sunt membra, neque omnia membra sunt oculus aut omnia pedes, ut ait S. Paulus ( 1. Cor. 12. ) ita in hoc corpore Ecclesiæ oportet esse varios gradus, & status. Huius autem divisionis, & partitionis auctor est Spiritus sanctus, ad quem pertinet singulis suum locum tribuere. Vnde Apostolus eodem loco. divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & divisiones ministeriorum sunt, idem autem dominus & divisiones operationum, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Ex quo constat, ut famuli à suo domino, suo quisque operi, ac muneri destinantur; sic homines à Deo; ac proinde non debere hominem impedire in se ipso id, quod Deus in eo, & de eo agere vult, sed oportere ut ei fideliter serviat in quacunque re eius maiestas voluerit.

4. Accedit etiam propria utilitas, eaque magna, quoniam pertinet ad salutem æternam. Nam etsi Deus nemini negat auxilium necessarium ad salutem: tamen non est dubium, quin iis multo abundantius gratiam suam, & lumen atque opem communicet, qui non se in aliquem vitæ statum ex libito suo intruserunt, sed eum elegerunt, quem præmissa diligenti consideratione putarunt esse iuxta divinum beneplacitum.

5. Denique si nos in tanta re nostro iudicio, ac pla-

placito gubernare velimus, facile in maximos & maxime perniciosos errores incidemus: si vero Dei voluntatem executi fuerimus, ille ut Pater, & creator noster, nihil de nobis statuet, quod nobis utile, & salutare non sit, imo vero etiam aptum, & accomodatum nobis, quoniam ipse noscit figmentum nostrum.

6. Hæc igitur & alia in hanc sententiam non solum Instructori utilia erunt, ut in hoc negotio magnum studium adhibeat: sed multo magis ei, qui facit exercitia, ut videat quo animo aggredi debeat rem adeo necessariam.

7. Igitur, ut in hoc tractando aliquis ordo servetur primo dicemus quales esse debeant, qui ad electionem admituntur; secundo quales ii qui eos dirigunt; tertio quæ sint res, de quibus est electio: quarto quæ in ea regulæ servandæ; quinto quis sit ordo, & praxis electionis faciendæ.

*Quales esse debeant qui ad electionem admittuntur.*
*Cap.* XXIII.

1. Circa primum, apertum est non omnes esse admittendos ad electionem status. Qui enim iam tenent statum determinatum, ut conjugati, aut religiosi non debent de hoc agere, sed tantum iuvari debent, ut in suo quisq; statu ad perfectionẽ tendat pro mensura gratiæ, quã ei Dominus Deus concedat. Qui autẽ adhuc statũ non habent, non tamen omnibus indifferenter dari debet electio, ut habetur in septima parte Const. ca. 4. lit. F. ubi dicitur quod non nisi paucis, iisque huiusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur. Igitur qui vel incapaces essent huius perfectionis cuiusmodi sunt leves naturæ & inconstantes, quos in primis explorare oportebit, nec ullo modo admittere ad electionem, aut quos constet habere pas-

siones quasdam indomitas, aut malos habitus, qui videantur incorrigibiles, non essent admittendi: nisi tam certa signa essent peculiaris cuiusdam gratiæ, ut hæc omnia suppleret.

2. Secundo præter naturam, & mores aptos, requiritur etiam, ut ille cui datur electio, eam ipse desideret, & petat. Et hoc omnino necessarium est, & nullo modo alioquin dari debet, multo autem minus ingeri & obtrudi non cupienti. Nam præterquam quod, qui sic affectus est, omnia quæ ei dicentur, cum suspicione accipiet, & ideo iis iuvari non poterit; est etiam ea causa, quod in electione facienda multæ & magnæ incidunt difficultates, etiam cum voluntas bona, & feruens est, quare multo erunt maiores, cùm voluntas languet, & ideo nunquam eas superare poterit.

3. Tertio valde expedit, utqui ingreditur electionē, studeat esse liber ab omni affectu inordinato, & plane ad omnia indifferens, ad hoc vero unum inclinatus, ut sanctum Dei beneplacitum sequatur, quodcunque illud esse cognoverit. Quare si cerneretur eum nimis propendere ad divitias, minus autem ad paupertatem, non esset bene dispositus, nec sperandus esset bonus exitus in electione. Ille enim affectus aversus à via perfectiori, & ad imperfectiorem conversus intellectum traheret ad excogitandas rationes tali affectui consentaneas. Ac cùm ut dici solet, quicquid recipitur, recipiatur admodum recipientis, facile fieret ut existimaret illam esse Dei voluntatem, quæ est ipsius voluntas. Oportet igitur ut perveniat ad tertium gradum humilitatis, qui ponitur in libro exercitiorum, aut saltem ad secundum, cui comparando serviunt meditationes de vexillis, & de tribus classibus & aliæ, de quibus infra dicetur, & ideo esset in iis medi-

tatio-

tationibus diutius retinendus, ut paulatim disponatur, ad hoc æquilibrium animi, partim conando propria diligentia, partim id à Deo petendo ferventibus orationibus. Quod si ad hanc resignationem & indifferentiam non pervenerit, tota tractatio de modo eligendi relinquenda est, & tunc si ita expedire videbitur, procedendum in reliquis exercitiis faciendis, ut si fieri potest, per ea ad maiorem maturitatem perducatur, vel post breve tempus finis eis imponendus.

4. Quarta omnium optima est illa dispositio, ut non modo non magis propendeat ad terrena retinenda, sed, quoad fieri potest, voluntatem suam semper inflectere, conetur ad id quod perfectius est. Nam licet re ipsa non id electurus sit, quia fortasse Deus non eum vocet ad talem statum, tamen nihil ei nocebit, imo plurimum proderit tale desiderium; ac proinde in his exercitiis semper proponitur via perfectior, tanquam magis optanda, & à Deo petenda. In quo valde notanda est sententia quædam P. N. Ignatii, quæ inventa est in quodam eius scripto, ubi ita ait; debere Instructorem ita disponere eum, qui est in exercitiis, ut omnino resignatus sit, tam ad consilia sequenda, quam ad præcepta, imo vero quantum in ipso est, magis inclinatus sit ad consilia, si id maius Dei obsequium fuerit: & addit maiora utique signa requiri ad statuendum quod ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis servare præcepta, quam ut viam consiliorum ingrediatur, quia Dominus tam aperte ad consilia exhortatus est, at vero in illo statu magna ostendit esse pericula.

5. Vltima est ea dispositio, quam idem P. Ignatius eodem loco præcipit, nempe ut qui facit electionem colligat se totum intra se, & toto tempore

quo durat hæc deliberatio, claudat sensus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit videre, aut audire quod non de sursum sit. Quibus verbis duo indicantur, primum ut anima non sinat se distrahi ad alias cogitationes, sed hoc unum agat, & huic uni intenta sit, cæteris omnibus negotiis à se reiectis. Alterum est, ( *Annot.* 16. *ex* 20.) ut in hac deliberatione non admittat rationes, quæ non sint è coelo, id est nullas admittat, quæ sapiant carnem, & sangvinem, aut aliquid humanum, ac terrennum: quia omnia manare debent ex uno illo principio, quod est desiderium gloriæ Dei, & exequendi eius voluntatem. Hic enim est verus ille sumptus ad ædificandam turrim, de qua est in Evangelio, & hoc magnam animæ fiduciam affert, quod Deus non sinet eam decipi, quia cùm eum in toto corde, & in veritate quærat, nunquam se Deus ab ea avertet, cuius scilicet tanta est bonitas, & amor in suam creaturam, ut etiam occurrat sæpe non quærentibus Quod licet ita sit, & ea sit perfecta electio, ad quam solius Dei amor impellit, tamen si præcipuus quidem esset amor Dei, sed præter illum aliquid etiam accederet quod eodem inclinaret, modo non repugnans Dei legi, ac voluntati, & ex sua natura bonum, ut puta consolatio propria, & quies spiritualis, ratio valetudinis, aut aliquid eiusmodi, non propterea improbanda esset electio. Hæc tamen oporteret semper minus esse præcipua, & minus præcipue mevere, & hæc ipsa ad Dei amorem referri.

*Qualis esse debeat, qui dirigit electurum. Cap. XXIV.*

1. CIrca secundum; officium eius, qui tradit exercitia in hoc particulari negocio, est cooperari motioni divinæ, eamque non præire, sed sequi, & ad hoc disponere animam eius qui facit exercitia

tia removendo impedimenta, nempe errores, dolos, affectiones, atque inclinationes inordinatas: Non debet eum movere vel ad unam, vel ad aliam partem ut dicitur in 15. annot. ex priorib. Et si enim ex natura sua licitum est, ac meritorium etiam hortari ad perfectiora, tamen ut eiusmodi deliberationes solidius fiant, & sine ulla humana persvasione, multo melius est permittere, ut solus Deus cùm sua Creatura tractet, nec aliquis tertius intercedat: & hoc maxime in exercitiis, ubi se anima ad hoc ipsum disponit. Ratio huius est, quia electio tantæ rei, ut est status vitæ, non debet niti persvasione, aut inductione humana, sed sola Dei voluntate, alioqui metuendum esset illud, quod Dominus dixit, ( *Matt.* 15. ) Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis eradicabitur. Et cùm in eiusmodi via per se ardua, & deinde Dæmonum invidiæ exposita, sine dubio secuturæ sint multæ tentationes, ac difficultates, non potest ullum auxilium, ac sublevatio expectari ab homine qui nos induxit, nisi levemus oculos nostros in coelum, & dicere possimus Dominus solus Dux meus fuit, quoniam iuxta Apostolum sperandum est, eum qui dedit velle, daturum etiam perficere, & confirmaturum usque in finem, ( *Philip.* 2. )

2. Ex quo colligitur ( *Annot.* 15. *ex* 20. ) eum qui dirigit in hac electione dabere ipsum quoque suo modo indifferentem esse, ut fideliter peragat opus, quod ei commissum, & creditum est, idque tantum respiciat, & cupiat, ut Dei voluntas, & beneplacitum compleatur, nihil apponens de suo spiritu proprio, hoc enim est immittere falcem in messem Dei, & præterea posset aliquando præbere materiam tentationum exercitanti, quia maneret semper aperta dæmoni hæc porta, suggerendi quod

hominis instinctu ad religionem inductus esset. Persvadeat autem sibi illud tutum fore, ac sine periculo quod indagaverit iuxta regulas sanæ electionis. Tantum diligens sit in sublevando, ac dirigendo quem Dominus eius curæ ac fidei commisit.

3. Vigilet in detegendis fraudibus, & paralogismis Dæmonis, quoniã ex falsis principiis, qualia ille suggeret, sequetur non nisi falsa conclusios

4. Animaduertat etiam contingere sæpe ut quis ingrediatur in electionem cùm optima dispositione, & tamen in ipso articulo eligendi insurgat in ipso aliquis sinister affectus, qui omnia perturbet, & suffocet bonum semen, & ideo cautus sit, & industrius adhæc omnia tum providenda, tum præcavenda.

*Quæ sint res, de quibus est electio. Cap. XXV.*

1. Circa tertium, illud certum est rem omnem, ( *Ex introductione ad eligendarum rerum notitiam* ) quæ sub electionem cadat, oportere esse bonam, sive sit negocium aliquod particulare, sive status totius vitæ.

2. Electio autem status versatur circa duo; sit ne manendum in præceptis, an progrediendum ad consilia.

3. Si consilia sequenda, num in Religione, an extra eam. Quanquam enim vix iam extra religionem servari possunt: tamen potest esse talis natura, ut non sit valde idonea ad communitatem vitæ, & obedientiam, & tamen possit servare paupertatem & castitatem.

4. Tertio si in Religione, restat etiam in particulari quis ordo eligendus, quia alios vocat Dominus ad maiorem solitudinem, alios ad iuvandos proximos; & ipsa naturalis complexio vel corporis, vel etiam animæ, alia alii instituto aptior est.

5. Quar-

5. Quarto electa peculiari religione, deliberatur etiam de tempore, & de modo id exequendi.

6. In eligenda hac autem vel illa religione, cavendum est, primo ne eligatur aliqua iam corrupta, vel in qua non vigeat observantia, secundo inter illas ipsas in quibus viget observantia, præferenda est ea, cuius institutum sit perfectius, in quo diiudicando est optima doctrina sancti Thomæ 2. 2. quæst. 188. artic. 6. & habenda est maxime ratio personæ, non solum iuxta vires & propensionem, sed etiam iuxta dotes, & talenta, quæ habet propter maius Dei obsequium.

7. In tempore autem exequendi divinam vocationem est interdum peculiaris difficultas, quoniam in his, quæ repugnant sensui, solet humana infirmitas procrastinari quantum potest, & causas morarum innectere, seque ipsam decipere, quærendo rationes differendi. Quare optimum est, hanc ipsam difficultatem profligare in exercitiis, & cogitare, quod ait sanctus Ambrosius, Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Imitanda est etiam promptitudo Apostolorum relictis statim retibus, & patre: valetque illa ratio. Si aliquando cur non modo? & si non modo, fortasse nunquam. Nunc enim recens est Dei motio, & eius auxilium, postea vero facile fieri potest, & fit quotidie, ut refrigescat hic spiritus, & sic multo difficilius erit resistere pugnæ carnis, & diaboli. Et hæc de electione consiliorum.

8. Si quis vero eligat servare præcepta, restat adhuc consultandum, in quo statu, aut in qua ratione vivendi ea servet; quæ singula discutienda sunt ut eo melius, & cùm maiori luce vita instituatur.

9. Denique in aliis particularibus negociis, ut in suscipienda aliqua re, vel non suscipienda, utendum

dum est his iisdem regulis, sumendo scilicet eam partem ipsarum quæ sufficit pro qualitate rei. Modus autem, seu regula etiam in his omnibus particularibus actionibus, est omnia metiri ex Dei honore, nullo habito respectu ad proprias commoditates, maxime temporales, ut intentio semper in Deum recta sit, nec inflectatur ob aliquid terrenum.

*De tempore triplici ad electionem recte faciendam.*
*Cap. XXVI.*

1. Circa quartum, declaranda sunt tantum tria tempora electionis faciendæ, quæ habentur in libro Exercitiorum. nam his bene cognitis, nihil fere aliud desiderari posse videtur. Tempora autem dicuntur quia cùm tales anima motiones sentit, quales ibi describuntur, tunc aptum est tempus, & oportunum electioni. Ac de primo quidem tempore pauca sunt dicenda, cùm scilicet adeo clare constat de Dei voluntate, ut ne dubitari quidem de ea possit, pro cuius exemplo ponitur, vocatio Matthæi, & Pauli. Et quamvis iam non contingant eiusmodi vocationes ita miraculosæ, tamen & legimus, & videmus quasdam, quæ quodam modo ad eas videntur accedere, tanta claritate, & satisfactione spiritus, tamque certa illustratione divinæ voluntatis, ut ne in has quidem videatur cadere posse dubitatio. Sed hæc vocatio nimis extraordinaria est, nec cadit sub regulam, & ideo nec à Deo petenda aut expectanda est; & ob hanc etiam causam, cùm tamraro accidat, non multum est in huius primi temporis consideratione insistendum, & obiter duntaxat declarandum ei qui facit exercitia.

2. Secundum igitur tempus est magis ordinarium, cùm scilicet animus inspirationibus & motionibus internis agitur, iisque tam efficacibus, ut sine

ullo

ullo intellectus discursu, aut fere nullo, voluntas feratur ad Dei servitutem, & ad perfectionem:

3. Tertium tempus est, cùm intellectus ratiocinando & ponderando rationes, pro una & altera parte veritatem clarius aspicit, & veluti lumen voluntati præfert, ut voluntas id demum eligat, quod omnibus perpensis melius fuerit iudicatum.

*Comparatio secundi temporis facienda electionis cum tertio. Cap. XXVII.*

1. ITaque etiamsi hæ duæ potentiæ animæ ita coniunctæ sint, ut una sine altera in eligendo operari non possit, est tamen hæc differentia, quod in primo & secundo tempore voluntas præcedit, intellectus vero sequitur, & ab ea trahitur sine ullo suo discursu, aut cunctatione; in tertio autem præcedit intellectus ipse, tamque multas rationes voluntati proponit, ut eam extimulet, & impellat in eam partem, quam iudicat meliorem. Et quidem hoc supposito, quod motio illa sit immediate à Deo, sine dubio excellentior via est, & altior cùm voluntas divinitus illustrata præcedit ac trahit intellectum, quia etiam Aristoteles, ut refert S. Tho. ita ait illis qui moventur secundum instinctum divinum, non expedire consiliari secundum rationem humanam, quia moventur à meliori principio, quam sit humana ratio. Sed posterior via, nempe per ratiocinationem, & discursum, est securior, & tutior.

2. Pro notitia autem primi & secundi temporis, quando scilicet, ut dictum est, anima afflatu divino permovetur, declarandum est exercenti se quid sit consolatio, & quid desolatio, de qua uttraque agitur in tertia, & quarta regula discernendi spiritus.

3. Hæc autem consolatio non est habitus, sed veluti

luti spiritualis passio data supernaturaliter, cujus natura est, ut dum præsens est, facile exerceatur actus virtutis, imo cum delectatione & gustu, & cùm inflammatione affectus, contra vero facit, ut opera carnis desipiant, & insuavia videantur. Ejus partes, vel modi varii sunt, ut pax, & quies quædam interior, gaudium spirituale, lumen, & clarior cognitio rerum divinarum, lachrymæ, mentis elevatio in Deum, spes in Deo fixa, sensus rerum æternarum, conversio ad coelestia, calor sancti amoris, & si qui sunt similes alii effectus, vel affectus, qui sunt omnes à spiritu bono.

4. Desolatio contra est tristitia, perturbatio animi, spes in rebus, vel personis humanis, amor rerum inferiorum, ariditas, depressio, & evagatio mentis in res hujus mundi, quæ sunt omnia à spiritu malo.

5. Hoc igitur posito, ad cognoscendum utra ex duabus partibus, de quibus consultatur, magis placeat Deo, debet homo in se ipso notare, & animaduertere, quando sentit consolationem, ad quam partem eum inclinet consolatio, & tranquillitas animæ, & contra desolatio cùm eam sentit, ad quam partem eum magis inclinet. Et cùm his temporibus contrariis videat se moveri ad contrarios effectus, debet pro certo habere, nasci id ex principiis contrariis. Proprium enim est spiritus mali, invadere animam tempore desolationis, eamque obruere pusillanimitate, & tristitia, & torpore; contra vero proprium est boni spiritus, afferre animæ lætitiam, & tempore lætitiæ cùm ea tractare, & in eam influere. Vterque enim dat ex eo quod habet, & quo abundat ut constat ex regulis discretionis spirituum, præsertim quæ huic secundæ hebdomadæ conveniunt, quæ valde opportunæ sunt hoc tempore

pore & sine illis fere ambulabitur in tenebris.

6. Est etiam altera quædam praxis huius rei, quā ponit P. N. Ignatius illa similitudine eius qui præsentat principi suo genus aliquod cibi, ut exploret quam ei arrideat. Sic anima cū profunda humilitate & ferventi amore, ac desiderio gratificandi Deo, offerat ei diversis temporibus modo unam, modo alteram rem, observans quæ nam ex illis à Deo magis accipiatur, & admittatur, dicens semper; Domine quid me vis facere? Quod non solum ore, aut leviori mentis affectu, sed toto corde, & multis cordibus, si tot haberet, ei dicendum, & sentiendum est.

7. Porro inter alia indicia divinæ voluntatis vocantis ad statum perfectiorem illud est optimum, si anima sentit sibi promitti tantum pecuniæ spiritualis, quantum necesse sit ad ædificandam hanc turrim Evangelicæ perfectionis, idest, si sentit labores huius vitæ, qui aliis ita graves videntur, & ipsimet antea ita videri solebant, nunc leviores, & faciliores reddi; sic, ut voluntaria paupertas, vel abnegatio propriæ voluntatis, vel castitatis observantia, & reliquarum virtutum exercitatio, iam non adeo gravis ei videatur, ut de se ipso scribit S. August. in libris Confess. Secundum est indicium, si hæ cogitationes pergunt semper movere ad bonum. Satanas enim licet ab initio dissimulet, in progressu tamen non potest diu se celare, quin incipiat depromere suum venenum.

8. Denique de eiusmodi signis boni, vel mali spiritus optime, & valde dilucide agitur in regulis discretionis spirituum posterioribus lib. Exercitiorum; agit etiam Gerson in libro de probatione spirituum, & Bonaventura be processu relig. C. 18.

9. At-

9. Atque hæc hactenus, de primo & secundo tempore electionis, in quo si ita constet, de divina voluntate, ut anima plane confirmetur, & stabiliatur, nec desideret maiorem certitudinem, potest hic conquiescere, sin vero non sufficiat, poterit progredi ad tertium tempus.

*De modo priore & posteriore bonæ electionis faciendæ.*
*Cap. XXVIII.*

1. Tertium tempus in libello exercitiorum duobus modis distinguitur, qui vocantur modus prior & modus posterior bonæ electionis; prior sex punctis, posterior quatuor regulis continetur. Si ergo in priori fiat electio, veniendum est ad posteriorem, qui est ultimus modus, qui in hac materia tradi possit.

2. Pro his autem duobus modis bene eligendi sicut etiam omni tempore quo durat electio, requiritur tranquillitas animæ, quoniam tempore turbationis non est locus electionis, cùm scriptum sit Eccles. 2. Ne festines in tempore obductionis. Quare qui hanc tranquillitatem in se non sentiret, satius esset ut progrediatur in meditationibus donec tempestas deferueat, & redeat serenitas, quoniam dum turbida est aqua, nihil in ea perspici potest.

3. Supposita ergo hac tranquillitate, proponenda sunt ex una parte commoda, ex altera parte incommoda provenientia ex ea re, de qua agitur, & singula bene æstimanda, & examinanda, ut videatur quænam præponderent.

4. Tantum illud observandum, & actuandum hic, quod supra attigimus, nempe has rationes, quæ ad deliberationem adhibentur, debere omnes proficisci ex illo principio divini obsequii, nec admittendos esse in hac consultatione respectus humanos, aut terrenas cogitationes.

5. No-

5. Notandum est etiam quod hi duo modi quibus tertium tempus distinguitur non solum tunc adhibendi sunt, cùm in secundo tempore nihil conclusum est, sed etiam si facta sit electio, confertad eam magis confirmandam, & stabiliendam. Si enim anima certa esset, quod illa motio secundi temporis esset à Deo, sine dubio nihil ei esset amplius requirendum ( *secunda Cor.* 11. ) sed quia Angelus satanæ transfigurat se aliquando in Angelum lucis, ideo hæc generalis regula esse debet; valde periculosum esse, cùm homo vult se gubernare tantum per motus voluntatis, & sensus quosdam interiores, non adhibendo considerationem debitam. Et ideo probatio & examen fieri debet per lumen, quia, ut dicit Apostolus, *Ephes.* 1. omne quod manifestatur lumen est. Hoc autem lumen post lumen fidei, est etiam ipsa humana ratio adiuta tamen, & illuminata lumine fidei, quæ ipsa quoque à Deo est, & non potest unum repugnare alteri, quia necessarium est ut verum vero consonum sit.

6. Itaque hoc etiam signū est spiritus mali, quando refugit hoc examen, ( *Exreg.* 13. *ad motus animæ discernendos* ) quia amat tenebras, & nonvult venire ad lucem, ( *Ioan.* 13 ) ut non arguantur opera eius. Hanc igitur ob causam hic modus eligendi securior est, quia ratio fide illumiminata, & Ecclesiæ Catholicæ doctrina instructa suo officio fungitur, & cùm totas vires suas, & quicquid potest exponat in inquirenda Dei voluntate, fideliter facit quod in ipsa est.

7. Si vero ad has rationes adiungatur, etiam experientia quam quis habeat suæ infirmitatis, ut manifeste sentiat salutem suam in sæculo exponi magno discrimini, non est dubium, quin securius etiam res procedat.

8. Quod si præterea rationes istæ confirmentur

per

per aliqua signa secundi temporis quæ superius diximus, nempe pacis, consolationis, aut gustus, tum vero anima maiorem etiam satisfactionem, & claritatem accipit.

9. Quæret aliquis quid faciendum sit, si forte contingat, ut secundo tempore in aliquam rem inclinemur, tertio vero tempore in alteram ei contrariam, vel dissimilem. Respondemus esse diligenter rem examinandam per regulas discernendi spiritus, & per rectam rationem, & æstimandum pondus rerum moventium utroque modo. Quod si constaret clare quod ratio astipulatur electioni tertii temporis, securius est eam sequi, quia non est certum an motio illa secundi temporis sit à Deo, & tunc maxime cùm ratio aliud suadet. Contra vero si rationes, quæ tertio tempore movent, essent debiles, motiones autem secundi temporis bene examinatæ iuxta regulas, videntur esse à Deo, & recta ratio eis non repugnat, tota electio secundi temporis est præferenda, licet enim prius clare non constaret per eam de Dei voluntate, tamen rebus melius agitatis, & discussis, accedente rationis testimonio, potest fieri ut constet.

*De praxi & ordine electionis. Cap. XXIX.*

1. Restat nunc ultimum, nempe tota praxis, & ordo proponendi electionem & manuducendi eum, qui facit exercitia. In primis igitur hoc valde notandum est, quod etiam supra indicavimus, iam tum ab initio huius secundæ hebdomadæ incipere disponi animam per meditationem illam de Regno Christi, quæ mentem erigit à terrenis & fluxis, ad Salvatoris imitationem desiderandam. Quæ quidem dispositio alenda est semper deinceps in eo qui se exercet, excitando eum, & dirigendo ad id quod perfectius est per reliquas meditationes, ut

Nati-

Nativitatis, Circumcisionis, & alias, in quibus ita instruendus est, ut concipiat desiderium assimilandi se filio Dei, & præterea quam maximam possit erga eum gratitudinem, qui tanta nobis dedit, & tanta pro nobis fecit. In hac autem contemplatione de regno Christi existimandum non est verba illa *attestans coram infinita bonitate tua &c.* voti vim habere; cùm annotatione decima quarta ex viginti sit peculiaris admonitio, ne quis vacans exercitiis voto se facile obstringat.

2. Deinde quarto, vel quinto die inchoantur meditationes electionis per illud exercitium pueri Iesu, cùm remansit in templo, in quo ut dicitur (*Præludio circa electionem statuum.* in libro exercitiorum, coepit dare exemplum huius Evangelicæ perfectionis, quando patre putativo, & naturali matre relictis, voluit occupari in iis quæ æterni Patris essent.

3. Igitur ad disponendam animam electioni faciendæ, post hanc meditationem datur primo exercitium duorum vexillorum, deinde eodem die meditatio de tribus hominum classibus, quæ ad hoc tendit, ut iuxta eas qui in exercitiis est, se examinet, & cognoscat affectum suum erga res mundanas; & si in prima, vel secunda classe se deprehenderit, conetur sibi vim facere, ut se transferat in tertiam.

4. Ad maiorem autem intelligentiam harum trium classium, notandum est hoc in omnibus supponi modum illū, quo pecunia illa acquisita est, non esse illicitum ita ut obliget ad restitutionem. Nam alioquin non posset homo indifferens esse ad eā apud se retinendam, vel relinquendam; quod tamen dicitur in tertia classe. Est ergo hic modus, ut quando v. g. aliquis ex nimio studio lucri, vel ex aliquo alio affectu humano, & vitioso negociatur.

5. Secundo notandum primam, & secundam clas-

sem ita inter se differre, quod utraque habet quidem voluntatem quandam infirmam, & remissam exuendi affectum ad rem illam, sed primæ classis nulla unquam adhibet media; nec cogitat de mediis; secunda vero aliquid amplius facit, quia adhibet quidem aliqua media, sed quæ ipsi placent, non autem iuxta Dei voluntatem, ac beneplacitum, & ideo videtur sibi parata omnia alia facere, præter illud, ut privetur re illa, quam amat; tertia porro ad hoc etiam parata est, si Deo ita placeat, idque tantum inquirit, an placeat.

6. Et sic patet totam hanc meditationem eo tendere, ut ostendat animæ quam turpe, & perversum sit, si non solum exuere nolit inordinatas cupiditates, sed si velit quidem eas exuere, sed eo modo velit, quo ipsi libeat, & se non resignat in manibus Dei. Ex quo apparet illam esse voluntatem admodum debilem, quia vere vult, & non vult.

7. Vnde quia res hæc tanti momenti est, præsertim ad disponendam animam electioni iam vicinæ, posset etiam qui exercitia sumit ad maiorem claritatem, præter hanc similitudinem trium mercatorum effingere sibi alias similitudines eiusdem tenoris, ut v. g. si essent tres ægroti, qui sanari quidem omnes cupiunt, sed primus nolit adhibere medicinas ullas propter earum amaritudinem, nec abscissionem propter dolorem; secundus velit quidem adhibere, sed quas ipse probet, ac iudicet, non eas quæ aptæ sunt eius morbo, ut v. g. si nollet abstinere à vino, aut similibus, tertius denique se totum medico permittat, ut & dietam imperet, & urat, & secet ipsa etiam membra, si opus sit.

8. Porro simul cùm his duabus meditationibus, quas diximus, nempe de duobus vexillis, & de tribus classibus, vel si ita melius videatur sequenti

die,

die, post meditationem de transitu Christi à Nazareth, & de eius baptismo proponuntur electionem facturo tres gradus humilitatis, ut quemadmodum dicitur in libro Exercitiorum, toto die eos animo verset: simul tamen unum, vel duo mysteria vitæ Christi eodem die sicut in reliquis diebus meditanda sunt. Nam hi tres gradus non dantur pro certa hora alicuius meditationis, cùm non contineant nisi unum punctum præcipuum, scilicet desiderium attingendi tertium illum gradum humilitatis, quod toto die mente revolvendum est extra meditationem; imo etiam in meditatione opportuno tempore, adhibito triplici illo colloquio de vexillis, ut ibidem dicitur.

*De ipsa electione iuxta rationem secundi temporis. Cap. XXX.*

1. His peractis accedendum iam propius est ad electionem, & inprimis declarandum præludium electionum, quod fere coincidit cùm fundamento posito ante exercitia, & ideo, qui bene illud meditatus fuerit, nullam in hoc habebit difficultatem.

2. Interim Instructor exploret voluntatem exercentis se, an habeat indifferentiam, de cuius necessitate supra locuti sumus, & si magis propendere ad imperfectiorem statum animaduerterit, explicet ei illud notabile, quod est in exercitiis post tres classes, ut scilicet qui sentit affectum repugnantem paupertati reali petat, à Deo, ut ipsum potius inclinet in illam partem. Cuius ratio est, quia virga incurua flectenda est in contrariam partem, ut deinde manens in medio, fiat recta: quod præsertim locum habet in hac materia, cùm illa pars sit securior, & hoc nihil impediat vel Dei voluntatem, vel libertatem nostram. Hoc ergo suppo-

sito pergendum est in meditationibus mysteriorum Christi, quæ sunt in libro Exercitiorum, & simul vacandum electioni, ad quam dirigendam, danda sunt tria illa tempora recte eligendi voce vel scripto, ut magis videbitur Instructori.

3. Electio autem ita peragenda est, non ut electurus meditetur tria illa tempora toto tempore meditationis, sed post peractam unamquamque meditationem, vel in aliqua eius parte, ( *Ex 3. temp. bonæ elect.* ) cùm animus iam quietus est, tunc tempus proprium est agendi, & ratiocinandi circa rem propositam. Et ideo diligenter curandum est, ut meditationes, quemadmodum diximus, de Christi vita diligenter fiant suo tempore. Nam si quis omissis suis meditationibus vellet se totum dare cogitationi de electione status, non bene faceret, idque ei damnum afferret, quia per meditationes anima corroboratur, & illuminatur, & elevatur à terrennis, unde fit aptior ad Dei voluntatem, & cognoscendam, & amplectendam, & ad superanda omnia impedimenta, & contra si cessaret à meditando obscurior fieret, & infirmior.

4. Quare, ut dictum est, dandum est suum tempus meditationi divinarum rerum, quæ pro varietate mysteriorum occurrunt, & suum deinde tempus electioni, ne si anima tota occupetur in hoc negocio, hæc una cogitatio exsugat, & exhauriat quodammodo succum & florem devotionis, & ita reddatur languidior.

5. Quod si adhuc magis in particulari quærat quomodo hoc faciendum sit, dicendum, quod si in secundo tempore eligendi versetur, debet qui deliberat sine ulla sua ratiocinatione, aut discursu adhibito, dum facit meditationem, aut colloquia, & in summa dum constitutus est ante Deum, propone-

re ocu-

re oculis mentis suæ viam consiliorum, & observare an sentiat in anima sua motus aliquos consolationis, aut desolationis. Deinde proponere sibi viam mandatorum; & hoc idem circa eam observare.

6. Nec est ad hoc necessaria particularis meditatio, ut paulo ante dictum est, sed sufficit hoc facere dum versatur in meditationibus, & orationibus consvetis. Et hoc idem faciat extra tempus meditationis proponendo hoc modo dicto, & observando motus prædictos; nihil discurrendo per se, sed tantum audiendo vocem Domini, & se ad eam audiendam, & ad motum illum accipiendum disponendo quantum poterit; maxime renovando sæpe resignationem, & desiderium cognoscendi divinum beneplacitum, & hoc semper curando, ut cesset omnis propria voluntas, aut inclinatio.

7. Cum autem venerit Instructor, exigat ab eo rationem huiusmodi motionum, & si boni vel mali spiritus signa deprehendat, utatur regulis de discernendis spiritibus, sed iis præcipue, quæ secundæ hebdomadæ conveniunt, & declaret ei quantum satis esse iudicabit ad ipsum dirigendum, vel erigendum si opus fuerit. Et si bene procedere hac via videbit, alia meditatione proposita hortetur, ut eandem viam teneat circa electionem propositam, ut experiatur an durent eædem motiones, an aliæ contrariæ succedant. quod si contrariæ occurrerint; conetur discernere per prædictas regulas, quæ sint bonæ, quæ malæ.

*De electione iuxta priorem & posteriorem modum.*
*Cap. XXXI.*

1. SI hoc secundo tempore non conficitur electio, quia qui exercetur nullam notatu dignam motionem in se sentit, vel sentit in utramque partem, adhibendi sunt modi tertii temporis, prior, & po-

sterior, qui ei declarandi erunt, ut cùm priori modo aliquid constituerit, idem deinde expendat posteriori, & si idem resultet ex utroque, id bonum signum est bonæ electionis.

2. Hoc autem tertio tempore poterit dari una tantum meditatio ex iis, quæ secunda hebdomada proponuntur cùm sua repetitione, ut reliquum tempus impendatur electioni, idque videtur innui in libro Exercitiorum per exemplum contemplationis baptismi, quæ ponitur quinta die. Quanquam cum hoc non præcipiatur, credi potest, quod permittitur Instructori, ut unam vel duas in die det meditationes, ut viderit exercitanti magis profuturum, pro difficultate quam sentiat, & prout indigeat tempore ad faciendam hanc discussionem.

3. Monendus etiam erit, ut notet scripto rationes, quæ se offerunt pro utraque parte, idque seorsim. Nam rationes omnes cuiusque partis simul collectæ magis veritatem ostendunt, & maiorem vim habent ad movendum. Has vero cùm Instructore conferre debebit, ut ab eo melius dirigi possit.

4. Porro illud etiam cavendum Instructori, ne in hoc negocio per se tam difficili, & laborioso nimis obruat exercitantem, nec semper eum stimulet, & fatiget, quin potius sinendus est aliquando respirare, ne semper affligatur, aut absorbeatur tristitia, aut tædio, & desperatione abiiciat se ipsum, quod tunc maxime metuendum est, cùm præter propriam infirmitatem, & repugnantiam carnis, accedant etiam dæmonum impugnationes. Difficile est enim relevare eiusmodi cor, cùm semel conciderit.

5. Imo vero etiam si quis cerneretur minus prompte respondere divinæ voluntati, nec se vincere, ut deberet, sustinendus tamen patienter esset, & ex-

& expectandum, ut paulatim, & quasi pedetentim superet obices illi oppositos; & in hoc etiam imitandus mos divinæ bonitatis, cui cooperamur, quæ omnia suaviter disponit, & longanimiter expectat animæ moras in veniendo ad eum.

6. Denique hoc etiam advertendum, quicquid eliget secundo, vel tertio tempore, ne votum ullum emittat, ut dicitur annot. decimaquarta, & præsertim in secundo tempore. Sæpe enim in illo calore, vel consolatione fiunt vota, quæ deinde displicent, & hoc præsertim servandum cùm iis qui natura sunt ferventi, & præcipiti, vel parū stabili. Sed tamen si electio facta esset maturo consilio, ut cum magna claritate, & indiciis haud obscuris divinæ vocationis, præsertim si ætas, aut natura hominis non esset suspecta, & hic suam electionem voto firmare cuperet, ut se melius muniret contra oppugnationes carnis, & mundi, & Satanæ, non potest Instructor, nec debet eius devotionem impedire, sicut nec ad id ulla ratione impellere.

*De oratione post factam electionem.* Cap. XXXII.

1. VLtimum est in hac electione, id quod in libello exercitiorum ponitur in ultimo puncto, ut homo post conclusam electionem ad orationem se conferat. Quo tempore si senserit mentem suam confirmari in electione iam facta, sentiendo in se motiones aliquas, vel illustrationes desuper immissas, ita ut Deus approbare videatur, quod factum est, & promittere vires ad exequendum, id est optimum indicium, & haberi debet tanquam sigillum totius electionis.

2. Si vero motiones, vel affectus, vel illustrationes intellectus eiusmodi essent, quæ infirmarent electionem factam, & examinatæ iuxta regulas supra positas, viderentur à malo spiritu, vel saltem

essent dubiæ, non est mutanda electio.

3. Si autem clare apparet esse à bono spiritu, signum est discursum non fuisse bonum, & electionem denuo faciendam.

Quod si in hac oratione nihil in utramvis partem notabile accideret, nec in affectu, nec in intellectu, & voluntas eligentis in suo proposito perseverat; non est electio in dubium revocanda, sed ita putandum est voluisse Deum per discursum rationis voluntatem suam inveniri.

*Quid agendum instructori cum sentit eum qui electionem facit, hallucinari. Cap. XXXIII.*

1. CÆterum illud quoque interdum contingere solet, ut exercitia sumens hallucinetur in electione facienda, & licet Deus illum vocet ad vitam perfectiorem, ipse tamen vel propter dæmonis deceptionem, vel propter propriā infirmitatem imperfectiorem eligat, idque à Spiritu sancto esse putet, nec ab eo dimoveri possit.

2. Tunc igitur prudentiæ est, ut Instructor non multum reluctetur, quod frustra faceret, sed neque ex altera parte confirmet electionem factam, ac potius ostendat sibi non valde satisfecisse, sed sperare quod progressu temporis Diminus ei clarius indicabit voluntatem suam, & sic eum relinquat aliquantum dubium, & incertum de tali electione, deinde etiam instruat quomodo disponere se debeat, ne aditum claudat divinæ luci.

3. Sæpe enim experientia monstravit quosdam, qui in ipso conflictu exercitiorum succubuerant, deinde extra exercitia, commodius veritatē agnovisse, idque ex iisdē principiis, quæ hauserant in ipsis exercitiis, sive quia dæmon acrius oppugnat in illo articulo electionis, sive quod natura ipsa præsertim in iis qui timidiores sunt, & pusillanimes, ut

in illa

in illa quasi agonia quodammodo opprimitur, & suffocatur: ita cùm deinde quodammodo respirat, est melius disposita ad ratiocinandum, & percipiendum lumen Dei, sive denique, quid experientia deinde cognoverunt se non eam vitam posse in sæculo tenere, quam fortasse in exercitiis vel ipsi sibi finxerant, vel eis dæmon persvaserat.

*De iis qui iam statum habent. Cap. XXXIV.*

1. POst tractationem de electione ponitur à nostro Patre methodus quædam de emendatione, seu reformatione vitæ: quæ doctrina maximi momenti est pro iis, qui iam sunt in statu immutabili, vel saltem quos Deus non vocat ad mutationem status. Per hanc enim reformationem tolluntur multi abusus, qui etiamsi non sint peccata, saltem sunt origo multorum malorum.

2. Hac vero doctrina id agitur, ut multi qui iam uxorem, & familiam habent, licet in sæculo maneant, suo tamen modo perfectionem sectentur, ad quam nos quoque invitare, & perducere eos debemus ex vocatione nostra; itaque passim iubent Constitutiones nostræ. Nec est dubium, quin si proximos iuvare conamur, ac dirigere ad hanc formulam, quæ hic expressa est, valde insignis fructus sequeretur. Itaque hoc omnibus operariis Societatis valde commeddatum esse deberet.

3. Cùm his igitur hunc modum tenere oportet, ut præter exercitia ordinaria de mysteriis vitæ Christi; dentur etiam illa de duobus vexillis, & tribus hominum classibus, imo etiam præludium electionum. Hæc enim licet non adeo necessaria sint, ut iis qui de toto vitæ statu deliberaturi sunt: non potest tamen dubitari, quin valde sint utilia, ut animentur ad eam perfectionem, cuius ipsorum saltem status, ac conditio est capax.

4. Cæ-

4. Cæterum secundus modus eligendi non valde ad hoc negocium pertinet, sed potius modus, eiusque membrum utrumque. Res autem instituenda ita est, ut singula puncta discutiantur v. g. de familia, vel de expensis, & post deliberationem factam de uno puncto, transeatur ad aliud; in singulis autem maius vel minus tempus insumatur, ut fuerit negocii gravitas, vel difficultas. Aliquando enim una hora, aut etiam plures in uno puncto insumendæ erunt, aliquando autem plura puncta in una hora concludentur.

*De tertia hebdomada. Cap. XXXV.*

1. IN tertia hebdomada stabilitur, & confirmatur electio vitæ melioris iam facta, & voluntas serviendi Deo, proposito tanto, & tali exemplo; nempe passione Domini, & Salvatoris nostri. In ea enim omnes eius virtutes multo insignius, atque excellentius elucent, & efficacius nos invitant ad sui imitationem. Itaque magnus hic thesaurus reconditus est, unde videmus sanctos omnes in hac potissimum parte se exercuisse, ut apparet ex libris, quos scriptos reliquerunt. Et ideo in hoc etiam oportet meditantem, diligenter instrui, quoniam hic esse deberet ordinarius animæ cibus.

2. Ordo & discursus harum meditationum est idem, qui in præterita hebdomada, nempe intuendo personas, dicta & opera. Debet tamen, iis præsertim qui non adeo sunt exercitati, aperiri via in hac materia per illa puncta, quæ communiter tradi solent, quis patiatur, quid patiatur, à quibus, & propter quos.

3. In compositione loci debet qui meditatur ita se constituere, quasi præsens esset mysterio illi, dum ageretur, & quidem ac si gestum esset propter se solum, iuxta formam illam Apostoli. Qui dilexit

me,

me, & tradidit semetipsum pro me. Itaque debet anima ita se respicere, quasi ipsa causa fuerit tantorum dolorum, & ignominiarum, quas Dei Filius perpessus est, deinde videre, quidquid bonorum spiritualium, quidquid gratiæ, & quod ab æternis malis liberata sit, quod æterna bona se consecuturā speret, hæc omnia ex Christi meritis sibi provenisse. Imo etiam considerare Christum, dum illa pateretur, habuisse ante oculos & nos, & nostra peccata in particulari omnia, & pro iis orasse, eorumque remissionem, & gratiam nobis impetrasse.

4. Quanquam autem affectus compassionis est valde bonus, debetque & peti cum instantia, & desiderari cum humilitate, & excipi cùm gratia: debent tamen simul etiam curari alii affectus, qui sunt utiliores ad profectum nostrum spiritualem.

5. Primus autem est, quanta res sit offendere Deum, quando ad satisfaciendum ei divina sapientia dignū putavit adhibere ipsū filii sui sanguinem, & vitam, ex quo etiam nascitur summum odium peccati, quod præsertim ab illa iustitia tam severis poenis vindicetur, quiasi hoc in viridi, quid in arido;

6. Secundo cognoscenda, & veneranda est bonitas, & sapientia Dei infinita, quæ tam aptum medium invenit, ut hominum corda amore suo liquefacta ad se attraheret iuxta Apostulum, Commendat Deus charitatem suam in nobis quoniam cùm inimici essemus &c. ( Rom. 5. )

7. Tertio hic etiam confirmatur spes nostra, quia ut ait S. Augus. qui dedit quod plus est, nempe unigeniti sui sanguinem, dabit & gloriam æternam, quæ minus est sine dubio. Et ideo hic Christi sangvis tenendus est, ut arrha, & pignus tum divini amoris, tum futuræ beatitudinis.

8. Quarto & omnium maxime, inflammatur amor in De-

in Deum, consideratione tantæ bonitatis, & tanti beneficii nobis dati, & dati tali modo.

9. Quinto sic etiam animantur omnes ad perfectam imitationem, ut ait S. Petrus, ( 1. *Pet.* 2. ) Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Turpe enim esset, & intolerabile, cùm ille ut nos pro nostra ipsorum salute doceret, non dedignatus sit tam humilia perpeti, si nos, quorum salus agitur recusemus.

10. Denique potest etiam & debet concipi magnus Zelus animarum, quas videlicet Deus tanti æstimavit, & tanto affectu amavit, & tam magno pretio emit.

11. Iuvat etiam habere in promptu hac hebdomada, aliquas sententias sacræ scripturæ ad Domini passionem pertinentes ex psalmis, vel ex prophetis, & maxime ex Isaia, vel etiam ex Evangeliis, aut ex epistolis Pauli, quæ vel magnitudinem dolorum, ac cruciatuum Christi Domini indicent, vel eius bonitatem, aut effectus mirabiles in hominum reparatione, quæ extra meditationē valde proderunt ad cor excitandum, & etiam ad tollendam nescio quam satietatem, quæ subrepere solet ex continuatione earundem rerum. Hæc autem loca scripturæ poterit Instructor colligere, vel ab alio iam collecta suppeditare, sunt enim multa & passim occurrunt.

12. Cætera, quæ ad hanc hebdomadam pertinent, scripta sunt in libro exercitiorum clare, & distincte in meditationibus, & additionibus. In particulari autem quæ in fine huius hebdomadæ traduntur de regulis ad victum temperandum, non est quod scripta dentur, sed verbo tantum explicentur, tum ob alias causas, tum quia non omnibus eodem modo proponendæ sunt, sed adhibita discretione

pro

pro cuiusque complexione, & viribus tam corporis, quam animi.

13. Notandum etiam quod hæ regulæ non solum proponi debent hac hebdomada, sed antea etiam aliquo opportuno tempore saltem, si tamen prius factum non est, hic declarentur. Fortasse enim in hunc locum dilatæ sunt, ne prioribus hebdomadis nimis oneraretur is, qui in exercitiis versatur tot documentis extra ipsas meditationes. In hac autem hebdomada multo pauciora sunt eiusmodi documenta, & sic magis vacabit Instructori ea explicare. Expedit enim ut semper aliquid novi afferat, cùm illum cui tradit exercitia invisit.

### *De quarta hebdomada. Cap. XXXVI.*

1. QVarta hebdomada videtur respondere viæ unitivæ: tota enim exercetur in amore Dei, & desiderio æternitatis, cuius tanquam exemplar proponitur resurrectio Christi, eaque gaudia, quæ etiam in hoc mundo eam consecuta sunt. Possent etiam hic addi aliquæ meditationes de gloria Paradisi, & de futura iustorum foelicitate, cuius pignus accepimus in hoc mysterio resurrectionis Christi, quia iuxta Apostolum, Deus nos etiam conresuscitavit & consedere fecit cùm illo. Quare eo magis excitari debemus ad contemnenda terrena, & coelestia appetenda iuxta illud eiusdem. Si consurrexistis cùm Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, &c.

2. Exercitium de amore Dei est valde aptum ad amorem nostrum in Deum excitandum, & continet quatuor puncta foecundissima, & quæ magnam materiam suppeditant ad meditandum. Potest autem duobus modis fieri, primo iisdem diebus cùm aliis mysteriis resurrectionis, ita ut secunda die postquam cœpta sint mysteria resurrectionis, incipiatur

etiam hæc meditatio de amando Deo, eique quotidie una, aut altera hora tribuatur distincta à meditatione illorum mysteriorum. Alter modus est, ut absoluantur prius omnia illa mysteria, & deinde integer dies, aut duo dies huic uni meditationi assignentur.

3. Est autem bene notandum, & declarandum hanc meditationem aggredienti, quod in eo dicitur, amorem magis pendere ex operibus, quam ex verbis, & consistere in mutua quadam facultatum, & omnium rerum communicatione. Per hoc enim intelligere debet non sufficere sibi teneriorem quendam affectum, quem in se sentiat, neque eo contentum esse debere. Verum est enim, quod ait S. Gregorius: probatio amoris, exhibitio est operis: & amor ubi est, magna operatur, & ubi operari renuit, amor non est. Nec aliud occurrit circa hanc quartam hebdomadam.

*De tribus modis orandi. Cap. XXXVII.*

1. POst exercitia adduntur aliqua documenta aptissima, & valde utilia profectui spirituali. Primo autem loco ponuntur tres modi orandi, non ut omnes qui iam exercitia peregerint in eis exerceantur, nam hoc non necessarium est, sed ponuntur ad complementum doctrinæ, & propter rudiores, & minus capaces, qui scilicet non ita possunt habere perpetuos discursus in oratione, ut diutius hæreant in una materia. Vnde in const. part. 7. cap. 4. lit. E. dicitur exercitia plena non nisi paucis, primam hebdomadam cùm his tribus modis orandi, pluribus communicari posse.

2. Primus ergo modus est discurrendo circa præcepta Dei aut Ecclesiæ, & circa septem peccata capitalia, & tres potentias animæ, & quinque sensus, & hoc non tam speculative, quam practice. v. g.

cogi-

cogitando in præceptis quomodo male ea servaverit, & proponendo in posterum melius servare, & sic de reliquis.

3. Si vero hæ materiæ paulo altius elevandæ essent & exercitans capacior esset, hic modus præscribi posset. In præceptis consideretur primo præceptum ipsum in se quam sit bonum, & iustum, & sanctum. Secundo quam utilis eius observantia.

Tertio quomodo antea observatum sit, & si bene sit observatum, agendo gratias Deo, sin contra, dolendo, & petendo veniam. Quarto proponendo in posterum perfectam, & exactam observantiam, & petendo ad hoc gratiam per colloquium. Quo finito, si non expleta sit hora, transeatur ad aliud præceptum eodem ordine.

4. In peccatis primo videndo singula, quam mala sint, & quam iuste prohibita. Secundo quantum noceant si non fugiantur. Tertio quomodo adhuc fugerit, vel in posterum decreverit fugere.

5. In potentiis, & sensibus cogitari potest primo quam nobiles, & quam nobis utiles sint singulæ, ut v. g. intellectus, & deinceps aliæ. Secundo ad quem finem datæ. Tertio quomodo iis usus sit Christus, vel Beatissima Virgo Quarto quomodo nos usi simus, & dolendo quod male, &c. Et idem de aliis potentiis, & sensibus sigillatim, & inter alia etiam de facultate loquendi, de virtute motiva, & similibus.

6. Est tamen advertendum, dum cogitamus, quomodo usi simus his potentiis, vel in meditandis præceptis, quam male ea servaverimus, & maxime in meditandis peccatis, non ita debere institui meditationem. quasi examinare velimus conscientiam, ut fit, cùm nos præparamus ad confessionem, vel etiam velimus de industria elicere contritionem. Hoc

enim

enim pertinet ad primam hebdomadam. Sed hic principalis intentio est cogitare ipsas materias, ex occasione autem fit reflexio ad nos ipsos, & ideo in generali tantum debet fieri hæc reflexio, non multum descendendo ad particularia peccata.

7. Hoc orandi genus dicitur P. Franciscus Xaverius commendare solitus omnibus animabus, quas tractabat, ita ut etiam poenitentiæ loco iniungere soleret, ut mane, & vespere aliquod tempus huic impenderent.

8. Quamvis autem in libro exercitiorum dicatur tanto spatio esse immorandum, quo oratio dominica ter recitari possit, tamen si quis in aliquo gustum inveniret, vel utilitatem aliquam spiritualem, deberet ibi hærere diutius, etiam si non posset absolvere omnia præcepta: iuxta id quod dicitur in quarta addit ad finem primæ hebdomadæ.

9. In secundo modo orandi notandum est, cùm una vox non facit sensum, plures debere coniungi, ut Qui es in cælis, aut Sanctificetur nomen tuum. Aliæ sunt voces, quæ solæ præbent materiam meditationis, ut Pater, vel Noster.

10. Quod autem hic dicitur de his orationibus, idem intelligendum est de aliquibus scripturæ locis, ac præsertim psalmis, è quibus aliqui eligi possunt, vel psalmi toti, vel eorum versiculi, qui uberrime pascunt & intellectum, & affectum.

11. Notandum est etiam, cum, qui facit exercitia bene procedit in hoc orandi modo, ita ut eum satis tenere videatur, non esse necessarium, ut multum in eo procedat, quia sufficit, ut didicerit modum, quo deinde in posterum uti sciat. Quod idem intelligendum est de primo modo, nisi quod cùm ille habeat aliquanto maiorem varietatem, utile erit, ut faciat unum exercitium circa præcepta, aliud circa pecca-

peccata, aliud circa potentias animæ, aliud circa sensus. &c.

12. Tertius modus orandi ita intelligendus est, ut in considerandis singulis vocibus alicuius otationis, tantum tempus insumamus, quantum communiter una respiratio durare solet. Quod si quis pro sua devotione amplius morari vellet, poterit quidem, sed tunc potius ad secundum orandi modum pertinebit, quam ad hunc tertium. Iuvat autem hic modus, ut assuescamus facere orationem vocalem cùm attentione, & devotione debita, ut servemus illud Apostoli, ( *primæ Cor.* 4. ( Orabo spiritu, orabo & mente. Quare hoc exercitium est valde utile eis, qui obligati sunt ad horas canonicas, vel ad alias orationes mentales.

13. Quamvis autem hi tres modi orandi hic tradantur, non existimandum est excludi alios modos, quos Spiritus sanctus docere solet, & quos viri in spiritu exercitati secundum experientiam,& secundum rationem, & doctrinam sanam habere solent, vel quos quisque sibi utiles ad suum profectum ipso usu deprehenedrit.Quod idem etiamde nostris ipsis intelligendum est, accedente tamen semper approbatione, & consensu superioris, vel præfecti spiritualis quibus, quisque patefacere modum debet, quem in orando tenet, eoque magis,si paulum discedat ab ordinario modo. Cæterum tres hi modi non solum alius aliis aptior erit pro personarum varietate, sed etiam persona eadem pro varia dispositione animi,vel corporis aptior erit modo ad unum, modo ad alium, ut v. g. cum aliquis est fatigatus, vel male habet, non erit bene dispositus ad longiorem meditationem, & mentis excursum, & tunc magis iuvabitur secundo, vel tertio modo. Quod intelligendum est non solum in hac quarta hebdo-

mada, sed reliquo omni tempore.

*De Regulis tradendis Cap. XXXVIII.*

1. Regulæ quæ additæ sunt in fine exercitiorum, non ideo positæ sunt, ut omnibus proponantur, sed ut quisque eguerit, vel etiam desideraverit pro sua devotione.

2. Quare illæ quæ agunt de distributione eleemosynarũ, nõ debebunt dari nisi iis, qui locupletes sunt, & qui solent, aut possunt eleemosynas facere. Similiter quæ agunt de scrupulis, non est cur dentur iis, qui nullis scrupulis agitantur.

3. Illæ item, quæ ad catholicam doctrinam pertinent, quamvis ad omnium pietatem confirmandam & fovendam valent, iis tamen potissimum, qui in locis vel, cum personis, suspectis versantur, secundo loco omnibus etiam operariis, & iis qui verbum Dei tractant, tradendæ sunt, quia directe pugnant contra sensa, & dicta hæreticorum nostri temporis.

*Brevis explicatio nonnullorum, quæ in Directorio de tribus viis attinguntur. Cap. XXXIX.*

1. Quoniam in hoc Directorio, & in Exercitiis tradendis fit mentio viæ purgativæ, illuminativæ, & unitivæ, & quod his respondent ordine suo hæ quatuor hebdomadæ, idem visum est pro maiori notitia huius rei aliquid addere. Non enim hoc ita accipiendum est, ut intelligatur aliquis peracta prima hebdomada perfecte, & plene purgatus, peracta autem secunda & tertia perfecte illuminatus; & denique absoluta etiam quarta pervenisse ad plenam unionem cum Deo. Hæc enim omnia indigent diuturno tempore, studio, & exercitatione in extirpandis vitiis, in passionibus edomandis, & in virtutibus acquirendis.

2. Verum hoc indicatur, primam hebdomadam proportione quadam respondere viæ purgativæ: quo-

quoniam in ea nihil aliud agitur, quam ut peccata præterita recogitentur & ponderentur, & concipiatur de eis quam maximus dolor & contritio, & timor æternæ poenæ, ex quibus fiat,ut animus abstrahatur ab amore omnis rei terrenæ, & fundetur in odio, & detestatione peccati. Quæ omnia pertinent ad purgationem animæ.

3. Similiter in secunda & tertia hebdomada, considerando exemplum Domini Salvatoris in vita, tum in passione, & omnes virtutes, quæ in eo tantum quam in idea fulserunt, nos quoque discimus, in quo consistat salus, & perfectio hominis, & quæ via sit ad æternam beatitudinem consequendam. Et præterea, cum anima purgata fuerit, fit habilis & apta ad recipiendas illustrationes divinas, & illapsum, & influxum illius interni luminis, simulque gignitur in anima vigor quidam eiiciens omnem concupiscentiam, eamque ferventem faciens ad patiendam paupertatem, contemptum, & omnem asperitatem, & excutiens omnem negligentiam, & disponens ad exequenda bona opera vigilanter & strenue.

4. Denique in quarta hebdomada primum obResurrectionem & Ascensionem Domini, in qua simul etiam meditari possumus futuram nostram gloriam, quoniam, ut ait Paulus, si Christus resurrexit, & nos resurgemus: deinde vero ex meditatione ad amorem in nobis excitandum, quæ multiplex est, & varia puncta ac materias complectitur, efficitur, ut anima uniatur Deo per amorem, qui concipitur meditando bonitatem Dei,& eius beneficia, & quantum nostra causa egerit, atque pertulerit, tum etiam per desiderium coelestis gloriæ, per considerationem præsentiæ Dei in omni re & in omni loco, gaudendo de eius perfectionibus, & optando pla-

cere ei soli. idque propter ipsum solum, & nunc eum laudando, nunc magnificando, nunc admirando eius altitudinem, & aliis similibus, quæ ut ante diximus, respondet viæ unitivæ.

5. Hæc igitur est ratio duplex, cur dicatur has quatuor hebdomadas respondere his tribus viis, primum propter materias, quæ in earum quaque tractantur, pertinentes ad has vias; & quia in eis iaciuntur initia singularum, quæ deinde oportet prosequi cum tempore, & cum studio, si velimus ad aliquam earum perfectionem pervenire. Deinde etiam quia discitur modus ac methodus, quam deinde servare debemus in prosequenda unaquaque harum viarum.

6. Ex his ergo sequitur, quod etiamsi quis aliquem gustum, aut specimen huius viæ unitivæ in quarta hebdomada habuit, non propterea debet assidue in ea hærere, sed debet redire ad priores, vias, & se se diu & ordinarie continere tum in passionum mortificatione, tum in virtutum exercitatione, & in aliis eiusmodi studiis consentaneis utrique viæ: etsi nihil impedit, imo etiam sæpe evenit, ut dum aliquis versatur in una via, sentiat interdū aliquos affectus pertinentes ad aliā viā nec sunt reiiciendi, modo ut dictum est, non exerceantur ordinarie ante tempus.

7. Hoc enim negotium non ex spatio temporis, sed ex mensura profectus pendet. Nam si quis temere aspirare vellet ad illam viam unitivam, esset magna confusio, quæ impediret omnino profectum spiritualem; & insuper etiam esset res exposita periculis & illusionibus. Faceret enim perinde, ac si quis ex infima schola transire vellet ad primam, non transeundo per medias: aut si ex infimis gradibus scalarum saltu traiicere vellet ad summos, re-
lictis

lictis iis, qui sunt interiecti. Sic igitur antequam aliquis exerceat se ex professo in via hac, quam diximus, unitiva, oportet ut bene purgatus sit exercitiis viæ purgativæ, & deinde etiam bene profecerit in via illuminativa. Ex huius enim defectu provenit, ut multi non ambulantes, sed saltantes in via Domini, post multum tempus, diversósque labores vacui virtutibus inveniantur, impatientes, & iracundi, & cum aliis eiusmodi imperfectionibus.

Imo hic gradus ad altiorem viam non tam ex electione nostra, & voluntate, ac conatu pendet, quam ex directione Spiritus sancti, cuius mos est ascensiones istas in anima disponere, ut eat de virtute in virtutem: in quo tamen ad certiorem directionem, & ad præcavendos errores, qui contingere possunt, consulendus est Pater spiritualis, qui animam gubernat, & cum eius consilio in omnibus procedendum.

*Quæ commendanda sunt ei, qui absolvit Exercitia. Cap. XL.*

1. VT qui ex loco calido ad locū frigidum egreditur, facile fieri potest, ut cito frigefiat, nisi diligentem curam adhibeat retinendi calorem, ita qui exercitiis peractis redit ad communem vitam, & conversationem, nihil est facilius, quam ut fervorem, ac lumen conceptum brevissimo tempore perdat, præsertim quia quicquid boni acquisivit, nondum est confirmatum per modum habitus, sed est tanquam passio quædam, quæ facile remittitur, vel etiam tota amittitur: Quod cum contingit, omnis fructus, & omnis labor exercitiorum evanescit.

2. Quare hoc primum commendandum est ei, qui exercitia absoluit, ut magni æstimet hoc principium, & quasi fundamentum vitæ bonæ, & spiritua-

ritualisper quod Dei gratiæ iecit in exercitiis, idque à Deo accipiat tanquam beneficium, & quidem maximum; & omnia lumina, omnem cognitionem, quam in exercitiis acquisivit, credat sibi à Domino Deo donata peculiari quodam amore, & ut talia ea conservare, & tueri studeat. Præterea timorem concipiat, ne si deinceps non vixerit, ut intellexerit esse vivendum, gravius à Deo puniatur ob ingratitudinem, & quia scienti bonum, & non facienti, maius iudicium est ipsi.

3. Secundo loco intelligat se adhuc nihil aliud fecisse, nisi quod bonum semen in eius anima à Deo seminatum est. Vnde nisi hoc semen foveatur, & excolatur, & ad maturitatem perducatur, ut det fructum in tempore suo, per se quidem aut nihil, aut parum est. Itaque hoc primum cavere debet, ne eiusmodi semen, vel à volucribus, id est à Dæmonibus rapiatur, vel à spinis suffocetur, nempe à cogitationibus, & cupiditatibus terrenis & vitiosis, ideoque non solum peccata, sed etiam earum occasiones evitet, & illa præsertim, ad quæ ante exercitia inclinatus fuit. Nam contra hæc potissimum se armare debet, quia facillime recidere potest.

4. Tertio hortandus est ad conservandam, & alendam devotionem iam conceptam piis, & spiritualibus exercitationibus, inter quas hæc potissimum commendari poterunt. Primo ut conservet usum meditandi, quotidie per dimidiam horam, aut etiam integram, si fieri poterit. Secundo ut singulis diebus faciat examen conscientiæ, per quartam horæ partem. Tertio ut octavo quoque die confiteatur, & communicet. Quarto eligat aliquem Confessarium stabilem, eumque accipiat ut ducem huius spiritualis itineris, & cum eo tractet omnia, quæ ad suam animam pertinent. Quinto legat sæpe

pios

pios libros, & habeat bonorum hominum conversationem, malorum autem fugiat summopere. Sexto curet proficere quotidie in virtutibus, præsertim in humilitate, patientia, & charitate. Et in summa nitatur ipse quoque ad eã summam perfectionẽ, quam in suo statu, & iuxta mensuram divinæ gratiæ acquirere poterit.

5. Hæc autem sunt fere generalia monita, quæ omnibus dari poterunt. Alia sunt deinde, quæ iuxta cuiusque professionem aut statum, aut particularem indigentiam addi poterunt; imo hæc ipsa augeri, & intendi ex maiori aliquorum devotione, & progressu spirituali; quod facile advertet bonus, & prudens Instructor adiutus gratia, & lumine Domini, & Salvatoris nostri Dei, cui sit gloria, & honor in sæcula Amen.



IN-

# INDEX
## Capitum.



teria

IN-

# I N D E X

*rerum.*

Primus numerus indicat capita, ſecundus paragraphos.

Fun-

*Examen.*

vel

faci-

Me-

Negotia.

N3.

Sta-

INDEX

*INDEX Rerum hoc thesauro contentarum*
Habet is partes quatuor.



Alia

F I N I S.

# CATALOGVS 1
# QUORUNDAM
## è SOCIETATE IESU.
## QVI
## *PRO FIDE, VEL PIETATE interfecti sunt.*
Ab Anno. 1549. ad annum 1603.

*Anno Domini.* 1549.

P. ANTONIUS CRIMINALIS è Ducatu Parmensi, cum ad vada Remanaeoris in India Orientali Christianos Neophitos à Badagarum Christianæ Religionis odio accensorum crudelitate vindicaret, & ad Lusitanorum naves fugientes deduceret, ipse Barbarorum interventu exclusus à navibus, ab iisdem hastis confossus, & capite truncatus, mortem excepit in genua procumbens, quod ille quadragies ferme quotidie cum iaculatoriis precibus factitabat. *Ribadeneira lib.* 3. *Vitæ B. P. Ignatii Maffeius Hist. Ind. lib.* 14. *Turfellinus lib.* 4. *cap.* 4. *Vitæ B. Xaverii.*

2. P. NVNNIVS RIBEIRVS Lusitanus, dum in Amboino rem Christianam administrat, Maurorum insidiis appetitus frequenter, veneno denique sublatus est. *Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus lib.* 1. *de Iubileo cap.* 9. *Ioannes Lucena lib.* 5. *cap.* 2. *Vitæ B. Xav.*

3. ALOYSIVS MENDEZ Lusitanus in Comorinensi promontorio Indos Christi cognitione imbuens, ab impiis post accepta duo vulnera capite cæsus est, in oratione pernoctans in templo. *Maffe. in Comm. Ind. verbo Solor. Bozius de signis Eccl. lib.* 7. *sig.* 27.

*Anno* 1554. *Mense Novembri.*

4. PETRVS CORREA Lusitanus vir nobilis, qui primus omnium Societatem in Brasilia ingressus est. Quinto anno initæ Societatis cum Brasiliensium conversioni daret operam, proditus ab interprete, cui concubinam detraxerat, à Carigis Barbaris sagittis

confectus est. *Ribad. lib. 4. vitæ B.P. Ignatii cap. 14. Maff. lib. 16. Hist. Ind.*

5. IOANNES SOSA Lusitanus Correæ comes ante eum ab iisdem hostibus confixus, flexis item genibus precibus insistens occubuit. *Iidem ibidem.*

*Anno* 1555. 18. *Februarii.*

6. P. EMMANVEL FERNANDEZ Lusitanus, cum primus è Societate in agro Transtagano Divini verbi semen spargit. publicæque peccatorum licentiæ evellendæ maxime intentus, pellices amicasq; ab amatoribus, impudicisque hominibus multas abigit id iniquo animo ferentibus, ab eorum uno, cuius nomen nunquam promere voluit, in itinere vulneribus multis affectus Eboræ defunctus est. *Franc. Bencius in annuis Collegii Eborensis in Lusitania anno* 1589. quo eius corpus ad Collegii templum ex æde maxima translatum est.

7. QVIDAM Societatis laicus Lusitanus socius P. Henriquez in Orientali India, cum Gentilibus doctrinam Christianam traderet, à Barbaris trucidatus est. *Ant. Quadros in litteris Venetiis Italice editis Rutilius loco sup. citato.*

8. P. ALPHONSVS A CASTRO Lusitanus, cum multum laboris in convertendis Barbaris in India Orientali posuisset, atque undecim ipsos annos sociis in Molucis præfuisset, anno 1558. ineunte, in Maurorum incidit manum: Ab iis, detractis vestibus fune constrictus, per quinque dies raptatus est: Deinde viridi trunco, cui collum eius seu iugo inseruerant, oppressus; demum multis confectus vulneribus in mare deturbatus. Tertio post die mortui corpus in littore inventum est, multo lumine circumfusum, vulneribus recentibus, puroque sanguine manantibus. Sicarii eorumque propinqui paucis diebus partim tormentorum globis, partim igen,

gne, quem S. Antonii vocant, periere. *Ribad. de vita Lainis lib. 2. cap. 1. Thom. Bozius lib. 5. fig. 11.*

*Anno* 1561. 15. *Martii.*

9. P. CONSALVVS SILVEIRA Lusitanus, generis claritate in primis conspicuus, cum Regem Monomotapæ Baptismo cum matre, & trecentis proceribus lustrasset, permotum aspectu Deiparæ, (quam secundum quietem quinque noctibus viderat quidem, sed quod Christianus non esset eius sermonem non intellexerat) ab eodem deinde Rege, mendaciis Minguamis Mahumetani Antistitis, aliorumque trium onerato, mori iussus est. Cædem suam edoctus divinitus, & prædixit amicis, & ad eam ardentissimis se precibus comparavit. Demum à Barbaris strangulatus, & in Mosengessem præterfluentem proiectus est, cum eodem die quinquaginta fecisset Christianos. *Maffejus epist. lib. 2. Iacobus Payna Andradius lib. 1. orthod. expl. Surius anno* 1540.

*Anno* 1564. 18. *Octobris.*

10. P. PETRVS VENVSTVS Helvetius Collegii Bivonensis in Sicilia Rector à Clerico, quem tum aliis beneficiis affecerat, tum frequenter aberrantem extra virtutis semitam monuerat, occisus est. Cum. n. ab Episcopi Vicario merito coniectus esset in carcerem, ratus id etiam Rectoris suasu factum esse, eum ex agro revertentem domum, precumque pensum persoluentem tribus in capite vulneribus confecit. Inventus à prætereuntibus moribundus, sanctum IESV nomen invocans, nomen percussoris nunquam edere voluit. Paucis ante diebus Sociis dixerat se optare Io. Baptistam mortis genere imitari. *Rib. de vita Lainis lib. 3. cap. 12.*

*Anno* 1566. 24. *Septembris.*

11. P. PETRVS MARTINEZ Hispanus Aragonensis ex Diœcesi de Tervel à P. Francisco Borgia

Philippi Regis Catholici rogatu cum aliis duobus sociis missus in Floridam Insulam, ubi terram simul attigit, ut Dei verbum, evangeliumque prædicaret, pro eo, quod pridem optarat, interiit, ictus caput pertica ab incolis: mox semivivus in mare proiectus est. *Schottus lib. 3. vitæ P. Fran. Borgiæ cap. 6.*

*Anno.* 1568. 3. *Februarii.*

IN FLORIDA Insula à Ludovico Cacicha, id est viro Principe eius Insulæ, qui Baptismum in Hispania simulate susceperat, seque Patribus ducem obtulerat, per insidias circumventi, obtruncatique sunt de Societate octo.

12. P. IOANNES BAPTISTA Segura Hispanus cæteris à P. Francisco Borgia præfectus, morum probitate ei mire gratiosus.

13. P. LVDOVICVS QVIROS Hispanus.

14. GABRIEL COMES Hispanus.

15. PETRVS LINARES Hispanus.

16. SANCTIVS SAVALLIVS Hispanus.

17. IOANNES BAPTISTA Mendez Hispanus.

18. CHRISTOPHORUS ROTONDUS Hispanus

19 GABRIEL DE SOLIS Hispanus. *Schott. cap. 6. lib. 3. vitæ P. Fracisci Borgiæ.* Ex eorum interfectoribus tres cum eorum arculas scrutarentur, atque inventam Crucifixi imaginem curiosius intuerentur, exanimes ceciderunt humo afflicti, & mortui. *Ibidem.*

*Anno* 1567. *Mense Novembri.*

20. P. FRANCISCVS LOPEZ Lusitanus cum in India Orientali è navi pulvere tormentario forte inflammata se demisisset in mare, à piratis Mauris captus, & è raso capite Sacerdos agnitus, sollicitatus ad fidei defectionem, & Mahumetis cultum, quod se potius quoduis supplicii genus subiturum respondisset, confossis lancea iliis martyrium sangvi-

gvine consummavit. *Maff. lib. 4. Epist. Schottus lib. 3. cap. 6. vitæ P. Franc. Borgiæ.*

21. 22. DVOS Lusitanos Francisci Socios ab iisdem Mauris telis transverberatos memorat. *Riba: lib. 1. vitæ B.P. Ignatii cap. 19. Maff. lib. 4. Epist.*

*Anno 1570. 15. Iulii.*

TRIGINTA NOVEM de Societate in Oceano apud Palmam unam è Fortunatis, cum in Brasiliam fidei nostræ propagandæ causa proficiscerentur, à Iacobo Soria Calvinisticæ Hæreseos Pirata interfecti, ita clamante, *Interfice; quoniam ad prava dogmata disseminanda Brasiliam petunt.*

23. P. IGNATIVS AZEBEDVS Lusitanus Provincialis Præpositus, & totius missionis Superior, ut genere, ita & pietate illustris, dum suos hortatur, additque animos, fisso capite, tribus lanceis confossus, demum in mare deturbatus est, cum Deiparæ imaginem, frustra eripere nitentibus Hæreticis, manu teneret, mortales, Angelosque testatus se pro Romanæ Ecclesiæ defensione mori.

24. P. BENEDICTVS CASTRIVS Lusitanus Christi Crucifixi imaginem complexus, tribus primum glandibus ictus, deinde ferro punctim cæsimque confossus, demum in mare deturbatus est.

25. EMMANVEL ALVARVS Lusitanus, primum in facie vulneratus, deinde tabulato affixus, confractis cruribus ossibus collisis in fluctus præceps datus est.

26. BLASIVS RIBEIRO Lusitanus, cui caput gladiorum capulis elisum, cerebrumque effusum est.

27. PETRVS FONSECA Lusitanus, cui os pugione confossum, & maxilla soluta est.

28. P. DIDACVS ANDRADA Lusitanus, qui augres dabat confitentibus cum pugionibus confossus

iaceretur in pelagus. *Fundamus* ( inquit ) *pro Christo, sanguinem, qui pro nobis fudit suum.*

29. GREGORIVS SCRIBANVS &

30. ALVARVS MENDEZ Lusitani ægri, cum latere possent, seminudi lecto exsilientes ultro oblatis iugulis occubuerunt.

31. SIMON AÇOSTA Lusitanus se Societatis IESV ultro professus cum pro tali non agnosceretur, iugulatus in mare proiectus est.

QVI sequuntur, præter aliquos, plerique omnes adolescentes bini aut terni ordine deinceps producti, talaribus tunicis exuti, adacto bis, terue singulis in viscera pugione, confossi quidam etiam manibus, brachiisque truncati in mare præcipites dati sunt. ( Lusitanus.

32. FRANCISCVS ALVARVS COVILLIVS

33. DOMINICVS FERDINANDVS Lusitanus.

34. ALPHONSVS VAENA Hispanus.

35. GONZALVS HENRICVS Lusitanus.

36. IOANNES FERDINANDVS Bracarensis Lusitanus. ( Lusitanus.

37. IOANNES FERDINANDVS Olissiponensis.

38. IOANNES MAYORGA Hispanus.

39. ALEXIVS BELGADVS Lusitanus.

40. LVDOVICVS CORREA Lusitanus.

41. EMMANVEL RODERICVS Lusitanus.

42. SIMON LOPEZ Lusitanus.

43. EMMANVEL FERNANDVS Lusitanus.

44. PETRVS NVNNIVS Hispanus.

45. FRANCISCVS MAGALANIVS Lusitanus.

46. NICOLAVS DINYVS Lusitanus.

47. GASPAR ALVARVS Lusitanus.

48. ANTONIVS FERNANDVS Lusitanus.

49. EMMANVEL PACIECVS Lusitanus.

50. PETRVS FONTAVREVS Lusitanus.

51. ANDREAS GONSASALVVS Lusitanus.
52. DIDACVS PEREZ Lusitanus.
53. IOANNES BAEZA Hispanus.
54. MARCVS CALDEIRA Lusitanus.
55. ANTONIVS CORREA Lusitanus.
56. FERDINANDVS SANCHEZ Hispanus.
57. FRANCISCVS PEREZ GODOI Hispanus.
58. IOANNES ZAVREVS Hispanus.
59. IOANNES SANCTI MARTINI Hispanus.
60. ANTONIVS SVAREZ Hispanus.

61. STEPHANVS ZVRARA Hispanus. qui antequam iter ingrederetur prædixit à Deo se certiorem factum martyrium se manere. *Maff. in Append. epistol. ep. 1. quæ est Petri Diazii ad Leonem Henricum. Schot. lib. 3. cap. 10. vitæ Borgiæ.*

62. NEQVE prætereundus Adolescens Lusitanus. qui cum his religiosis interfectus est: Vulgo SANCTVS IOANNES appellatus: Qui Societatis candidatus vehementer in eam adscribi optabat, ideoque à P. Ignatii Azebedi latere non discedebat. *Schot. ibidem.*

*Anno* 1571. *partim* 13. *Septembris. partim* 14. *Septembris.*

DVODECIM Martyres, qui in eodem itinere Brasiliensi à Ioanne Cadovillio Caluiniano pro Christi religione, quam disseminatum ibant in Brasiliam, interempti sunt.

63. P. PETRVS DIAZ Sacerdos Lusitanus Superior horum, cum confitenti aures præberet iugulatus est.

64. P. FRANCISCVS CASTRIVS Lusitanus, quod confitentem Navarchum audiret, certatim ab omnibus, vulneribus punctim cæsimque petitus, occubuit.

65. GASPAR GOEZIVS Adolescens Lusitanus, qui Diazii lateri hærebat, item iugulatus est.

66. MICHAEL ARAGONIVS Hiſpanus, accepto ſecundum brachium vulnere in altum deturbatus eſt.

67. FRANCISCVS PAVLVS Luſitanus cum ſuperiore ſubmerſus eſt.

68. IOANNES ALVARVS &

69. PETRVS FERNANDVS Luſitani poſt multas iniurias proiecti in altum præcipites illico merſi ſunt.

QVINQVE qui ſequuntur, peſſime totam noctem habiti, cum in pelagus proiecti eſſent, unum in locum congregati, Vale ſibi dicentes, ac veniam inter ſe delictorum petentes, recitato ſymbolo tamdiu, præeunte in verba Alphonſo, tum alia, tum illam orationem. *Tibi ſoli peccavi*, iterarunt, donec fluctibus haurirentur.

70. ALPHONSVS FERNANDVS Luſitanus Philoſophiæ in Braſilia profeſſor deſignatus.

71. ANDREAS Pais Luſitanus.

72. PETRVS Diaz alter Luſitanus.

73. DIDACVS Carvalius Luſitanus.

74. FERDINANDVS Alvarus Luſitanus. *Maff. App. ep. 2. quæ eſt Leonis Henrici ad ſocios Romam. Schot. lib. 3. cap. 11. vitæ Borgiæ.* *Anno* 1581.

75. P. GREGORIVS Fernandes &

76. P. GOMEZIVS Damarallius Luſitani apud Maluccum in India Orientali cum in Portu Zaenſi confeſſiones audirent, à Tais Chriſtianorum hoſtibus interfecti ſunt. *Ioanes Ant. Valtrinus in annuis Indiæ Orientalis.*

*Anno* 1581. 1. *Decembris.*

77. P. EDMVNDVS Campianus Anglus Preſbyter Societatis IESV, poſtquam complures annos ſum̃a cum laude Pragæ Latinos de rebus divinis ſermones habuiſſet, miſſus eſt in Angliam ad fidẽ Catholicam propagandam Anno D. 1580. Vbi quoad

per

per libertatem licuit, docendo, scribendoque rem Catholicam mirifice promovit: atque inter alia aureum illum libellum edidit, qui inscribitur, *Rationes decem redditæ Academicis, &c.* Verum post annū plus minus à falso quodam fratre proditus, ac triumphi specie Londinū perductus, in carcere frequentibus, ac diuturnis vexatus est tormentis; ita tamen animo ac fidei zelo erectus, ut cum luxatos convulsosque artus commovere non posset, præcipuorum nihilominus ad se disputandi causa aduentantium hæreticorum impetum ita fregerit, ut nonnulli viri dignitate præcipui sint inde adfidem conversi. Tandē urgentibus Calvinistis, primus e Societate IESV Londini, ubi erat natus, præclaram Martyrii palmā adeptus est intestinis extractis. *Cardinalis Alanus in Vita, Concert. Angl. in ipsius Martyrio, Sand. de Schis. lib.* 3. *Episcopus Tirason. lib.* 4. *histor. cap.* 33.

78. P. ALEXANDER Briantus Anglus post sævissima in carcere non semel tolerata tormenta, tertia vice (qua dolor solet esse gravissimus) emisso Societatem ingrediendi voto nullum eorum sensum habuit, mirabili constantia animi, orisq; suavitate, in ipso iuventutis flore una cum Campiano eodem die ac loco, eademq: de causa per idem mortis genus martyrii palmā est adeptus, cum ante mortem admissus in Societatem fuisset Londini in Anglia. *Card. Alanus in vita. Episcopus Tiras. lib.*4.*hist. Angl. Anno* 1582. 30. *Maii.*

79. P. THOMAS Cottamus Anglus cum ex Societatis novitiatu Avinionensi ob adversam valetudinē in Angliā anno D. 1580. mitteretur, & in ipso portu in exploratorum manus incidisset, promisit fore ut se Londini Iudicibus Hæreticis ultro sisteret: quod cum libere præstitisset, martyrio ab eis ob religi-

ligionis Catholicæ defensionem affectus est Londini. *Cardin. Alanus in Vita. Episcopus Tirason. lib. 4. histor. Angl. cap.* 23.

*Anno* 1583. 15. *Iulii.*

QVINQVE Martyres, qui in Salsetana Regione Indiæ, pago Coculino ab incolis Ethnicis, incensis ira, quod templa Deorum suorum diruta, & idola ludibrio habita esse à Christianis viderent dum de area ædificandi Christo templi deliberant, hortatu cuiusdam Arioli occisi sunt.

80. P. RVDOLPHVS Aquaviva, Ioannis Hieronymi Ducis Hadrianorum filius, duorum Cardinalium IVLII, & OCTAVII germanus, R. P. CLAVDII Generalis, Societatis IESV, ex fratre nepos, annos natus tres & triginta, quorum dimidiam partem in Societate exegerat. Tres annos apud Regem Mogorum, in magna vitæ asperitate vixerat: tantoque precandi studio, ut sæpe cum se primis tenebris coniecisset in preces, mane in eodem vestigio reperiretur; quo tēpore tot ei affluebant solatia, cœlestesq; deliciæ, ut tum demum se diceret ex animi vivere sententia. Tanta erat apud omnes opinione Sanctitatis, ut vulgo ab Ethnicis Angelus vocaretur. Denique vero in Salsetanum agrum Rector designatus cum venisset, una cum comitibus suis deprehensus à Barbaris, mori maluit, quam equum, qui expeditus ei ab interprete suo offerebatur ad fugam, admittere. Ibi succisis ab hoste poplitibus primum procubuit in genua; deinde deducta suis manibus veste, duas plagas ceruicibus accepit. ad has accessit quarta, quæ humerum á reliquo corpore pene discerpsit, & ad extremum iaculi vulnus in pectore.

81. P. PETRVS Berna Italus è Gallia Cisalpina trigesimū agebat annum, è quibus sex in Societate confecerat. Is author fuerat, ut aliquot fana in Salseta-

ſeta diruerentur; & vaccam quandam, quæ pro numine colebatur à Barbaris, interfecerat, & vas, in quo ſe ad Idoli honorem abluebant, eius inteſtinis conſpurcarat. Quare ab iis vulneratus in occipitio, traiecto etiam oculo, & aure graviter ſauciata occiſus eſt.

82.P. ALPHONSVS Paciecus Hiſpanus ex per Illuſtri familia de Minaya annorum 33. cui cum Barbari lanceam adegiſſent in pectus, extenſis in crucis figuram manibus, oculiſque ſublatis in coelũ alteri vulneri ſe ſe obtulit; quod cum iugulo accepiſſet, exanimis concidit.

83.P. ANTONIVS Franciſcus Luſitanus annum agebat trigeſimũ, in Societate circiter duodecimũ, cum reliquis tum in capite, tum in reliquo corpore vulneratus à Barbaris, Martyrum cruciatus expertus eſt; quod ut Chriſti cauſa liceret, ab ipſo, cum ſacrificaret, enixe quotidie contendebat.

84.FRANCISCVS Aranea Luſitanus Gaſparis Goenſis Archiepiſcopi nepos, annos duodetriginta natus decennium in Societate vixerat. Is poſt Rudolphũ accepto in cervicibus vulnere, lateraq; haſtili transfixus, in vepres ſe abdiderat; confectis vero iã cæteris à muliere paſtoritia indicatus, ab univerſa multitudine circum Idolum raptatus eſt; ſed cum illi ſupplicare recuſaret, innumerabili telorum copia confixus eſt, tanto furore omnium, ut pueri etiam, ac puellæ arundines, ac veruta eius ſanguine madefacta una cum reliquo occiſorũ cruore ſuis idolis conſecrarent, ipſaq; illo inungerent. *Nicolaus Orlandinus in litteris annuis Indiæ Orient. ex litteris P. Alexandri Valignani Provinc. Præpoſiti, & aliorum Thomas Bozius lib. 7. ſigno 27. Franc. Bencius in 5. Martyribus.*

*Anno 1593. 8. Februarii.*

85.

85. P. IACOBVS Salesius trigesimũ septimũ agebat annum ætatis, initæ vero Societatis vigesimũ, vir non modo Latinis, Chaldæis, sed Philosophia etiã & Theologia egregie instructus. Eximia erat in sacram Eucharistiam pietate, & martyrii cupiditate: qua incensus datis Romã litteris, Indicã profectionẽ expetierat; sed ei, quã quærebat palma in ipsa Gallia obtigit, Albenaco à Chiambando Caluiniano per proditionẽ occupato. Igitur datus cum Socio GVILIELMO SALTHAMOCHIO præda tribus ministris Caluinianis, cum illi disputatione, quæ forte ob iusculum è carne, quod Sabbatho oblatum Salesius reiecerat, nata erat, succumberent, ab uno eorũ comota multitudo illos ad cædem postulavit. Ibi Salesius suis hostibus veniam orans, primũ sclopo secundum humerũ appetitur, ac deinde IESVM ingeminans ferro confoditur.

86. GVILIELMVS Salthamochius patria Arvernus annos octo & viginti natus, è quibus duodecim Societati dederat, morientẽ complexus Salesium, obtestatusq; ne se martyrii expertẽ desereret, ab iisdẽ, pugionibus confixus, brachiis ad pectus in crucis modum conformatis extinctus est. *Horat: Tursell. in annuis. Prov. Lugdun.* *Anno* 1594.

87. P. IOANNES Cornelius Anglus concionandi laude celebris, Dorcestriæ in Anglia pro fide Catholica suspensus, ac sectus intestinis extractis. *Episcopus Tirason. lib. 5. histor. Angl. cap. 4.*

*Anno* 1594. 12. *Iulii.*

88. P. CONSALVVS de Tapia Hispanus, dum utiliter in salute Indorum procuranda occupatur, in Sinaloa Mexici Provincia Ethnici hominis Douropæi opera extinctus. Is odio Christianæ fidei, quam suis ritibus, vitiisque adversã videbat, quatuor inducit Indos ad necẽ Consaluo inferendã; ratus eo

mor-

mortuo Christianã simul fidẽ interituram. Captato Indi tempore sub vesperã Consaluũ, cum se in cubiculum recepisset, ac Beatissimæ Virginis coronã recitasset, aggrediuntur, caputq; eius & brachium sinistrum abscindunt: brachium quoque dextrum, cuius in manu duos digitos crucis in modum conformatos habebat, conati abscindere, non potuere. Postero die inventum est à Christianis corpus, verso in terram pectore; eoque brachio, quod recidi nequiverat, quasi ad tum etiam sustinendum crucis vexillum è terra sublato. *Ex litteris Mexicanis.*

*Anno* 1595. 3. *Martii.*

89. P. ROBERTVS Southuellus Anglus, cum plurimum concionando in Patria profecisset, multisq; utilissimis conscriptis libris, ab Hæreticis tandem comprehensus, post diuturnos carceris squallores, ac sæva sæpius repetita tormenta Londini pro Catholica fide eodem quo alii Martyrii genere occubuit. *Episc. Tirason. lib.* 5. *Hist. Angl.*

*Anno* 1595. 17. *Aprilis.*

90. P. HENRICVS Vualpolus Anglus equuleum, aliaque id genus tormenta non minus quã quatuordecim vicibus incredibili animi constantia Londini perpessus, Eboraci deinde, ubi fuerat comprehensus, non acceptata cõmodissima è carcere elabẽdi occasione, quam avidissime illi obtrudebant nobiles quidã & Catholici amici, pro Catholica fide fuit suspensus, gladioq; sectus intestinis extractis. *Ex hist. Episc. Tirason. lib.* 5. *hist. Angl.*

*Anno* 1595.

91. P. ABRAHAMVS Georgius Maronita in aditu Regni Abassinorum in Aethiopia captus à Turcis, cum Mahumetẽ detestatus se Christianum esse profiteretur, eamque regionem esse ingressum, ut quotquot posset adChristum adduceret, iussu præfecti in

oppi-

oppido Delec insulæ Mazuæ obtruncatus est. Fama est carnificem ut eum capite plecteret immissum primo ictu gladium fregisse, Patre illæso manente: mox alio gladio allato cum bis carnifex percussisset, iterum gladium fractum, parvulo quodã signo cervicibus impresso: Tertio demum gladio ictum succubuisse. In loco, quo sepultus est, tres aves albas raræ magnitudinis & speciei ignotæ per quadraginta dies comparuisse; quo toto tempore eodem loco vespertinis horis quasdam quasi lucernas conspectas esse concurrentibus visendi studio Massuensibus. *Ex litteris Indicis P. Nicolai Pimentæ. & ex aliis manuscriptis alterius Patris.* *Anno* 1597. 5. *Februarii.*

92. IACOBVS Ghisai Iapon. Soc. IESV coadiutor.

93. PAVLVS Michi Iaponius ætatis tertium & trigesimum, initæ Societatis undecimum agens annum, concionator inter suos singularis, etsi Laicus.

94. IOANNES Goto annorum novemdecim adolescens nuper in Societatem acceptus. HI TRES cum viginti tribus aliis iussu Taicosamæ Iaponiorum tyranni, post diuturnum carcerem, sinistramq; aurem præcisam, acti sunt in crucem, ac postremũ transuersis lanceis confixi. *Ex litteris Iaponicis impressis Romæ.* *Anno* 1598. 30. *Sept.*

95. P. MARTINVS Laterna Polonus apud Stephanum I. & Sigismundum III. Polonorum Reges concionatoris munere functus, navi qua cum Catholicis in mari Balthico vehebatur, ab Suecis hæreticis, dum Catholicos ad Religionis constantiam adhortatur, in mare demergitur. *Ex litteris Polonicis.* Non multo post pio cuidam viro captivo apud Tartaros, & vinclis constricto luce mira circumfusus apparuit, rogavitq; num liber fieri vellet? Qui cum affirmasset, vinclis sua sponte solutis, ingenti sane miraculo repente in campo Russiæ adfuit, quinquaginta

ginta circiter leucis à Tartarorum castris ubi vinctus fuerat, dissito. Quam rem ipsemet Romam pietatis ergo profectus, confessario suo P. Mathæo Pakost, S. Petri Poenitentiario, non semel sancte, & constanter narravit, asseveravitque.

*Anno* 1601. 27. *Februarii.*

96. P. ROGERVS Filcocus Anglus Londini pro fide Catholica suspensus ac sectus, intestinis extractis: *Ex Relatione ex Anglia missa.*

*Anno* 1602. 29. *Aprilis.*

97. P. FRANCISCVS Pagæus Anglus Londini pro fide Catholica eodem mortis genere quo prior sublatus, quam uterq; insigni animi constantia pertulit. *Ex litteris Sacerdotis ex Anglia.*

*Anno* 1602. *ultima Octobris.*

98. DOMINICVS Collinus ex Hibernia, Coadiutor temporalis, cum antequã religionẽ ingrederetur sub Duce Mercurio egregius fuisset ductor exercitus, conantibus deinde Hæreticis adducere ut in bello, quod contra Catholicos gerebant, copiarum partem regeret, constantissime recusavit, eamque ob causam ab illis post diuturnum carcerem Corchæ in Hibernia suspensus est. *Anno* 1603.

99. EMMANVEL Niger Italus, qui Collegii Claudiopolitani sacrario & valetudinario præerat, cum eam urbem Moyses Zagkl Caluinianus Turcicis armis occupasset, atq; hanc nacti occasionẽ furiosi Ariani à magistris impietatis suæ incitati, in templum Societatis IESV impetum facerent, & horrendas contumelias rebus sacris inferrent, unusque præter cæteros impius aurifex Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pedibus conculcaret, Emmanuel, securi primum in capite sauciatus est, deinde sclopo traiectus pro fide Catholica occubuit. *Ex litteris P. Ioan. Argent. Rectoris Claudiopolitani.*

OM-

OMNES QVI PIE vivere volunt in Christo persecutionem patientur. 2. Tim. 3.

*Sed ii maxime qui saluti proximorum promovendæ ex animo incumbunt.*

M*Att.* 5. *C.* Beati qui persecutioně patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

*Matt.* 10. *C.* Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ. Cavete autě ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad reges ducemini propter me, & in testimoniū illis & gentibꝰ.

Et mox: Tradet autě frater fratrem in mortem & pater filium, & insurgent filii in parentes & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usq; in finem hic salvus erit.

Et iterum: Non est discipulus super magistrum, nec servus super dõinum suum &c. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt quanto magis domesticos eius.

*Lucæ* 21. *C.* Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas & custodias trahentes ad reges & præsides propter nomen meum.

Et: Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis & morte afficient ex vobis. Et eri-

eritis odio omnibus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.

*Ioan.* 15. *C.* Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuū erat diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: non eſt ſervus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum &c.

*Ioan.* 16. *C.* Hæc locutus ſum vobis ut, non ſcandalizemini. Abſq; ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.

Et: Amen Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos vero contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

NOTA: Sic prædictum à Chriſto, ſic omnibus poſtmodum ſanctis factū. Teſtantur id hiſtoriæ Eccleſiaſticæ omnes, & maxime Acta Apoſtolorum.

Act. 5. In carcerem primū coniiciuntur Petrus & Ioannes, inde & virgis bene cæduntur. Act. 6. D. Falſis teſtimoniis accuſatur Stephanus: & Act. 7. G. Lapidibus ad mortē uſq; multatur. Act. 8. A Facta eſt perſecutio magna in Eccleſiā, quæ erat Hieroſolymis, & ōnes Chriſtiani diſperſi fuere, in exilium ſcilicet acti tot millium ( qui Act. 2. crediderunt ) præter Apoſtolos. Act. 9. A. Saulus ſpirans minarū & cædis in diſcipulos cum literis Magiſtratus circum curſitat, ut ōnes fideles undique vinctos perducat in Ieruſalem. Act. 12. A. Occiditur Iacobus gladio, & appræhenditur atque etiam in carcerem mittitur Petrus, ut paulo poſt gladio & ipſe feriatur.

Idem Paulus 2. Cor. 11. F. in 1. Cor. 4. C. Idem ad Eph. 3. 2. Tim. 1. C. vidend. locus. MERITO PATIENTER omnia ferenda pro Christo.

*Maxime iis qui lucrandis Deo animabus operam navant.*

*Luc. 6. C.* Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum vos odreint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo. Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei patientiam operatur.

Et maxime: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam dum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

*Rom. 5. A.* Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas *Dei* diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

*Gal. 6. D.* Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

*Act. 5. G.* Ibant Apostoli, ( virgis bene cæsi ) gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

*Hebr. 12. A.* Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium: deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogita-

gitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim uſque ad ſangviuem reſtitiſtis ad-verſus peccatum repugnantes.

FINIS









